This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1. c. 54.

COMMENTARIA
IN OMNES
BEATI PAULI
ET SEPTEM CATHOLICAS
APOSTOLORUM
EPISTOLAS,
AUTHORE
JOANNE BENCE
Doctore Sorbonico, ac Congregationis Oratorii JESU CHRISTI *Preſbytero.*

Editio poſtrema prioribus multùm auctior & Emendatior.

TOMI SECUNDI.
Pars altera.

LOVANII,
Typis JOAN. FRANC. VAN OVERBEKE,
Sub ſigno Lampadis aureæ 1763.

Cum Approbatione & Privilegio.

CAPUT VII.

Docet Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, cujus Sacerdotium æternum futurum ſit, cùm ſemper vivat ad interpellandum pro nobis.

℣. 1. *Hic enim Melchiſedech, rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo à cæde regum, & benedixit ei:*

OStenſimus Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem *Melchiſedech*, de quo dixerat c. 5. ſibi *grandem* reſtare *ſermonem*, ipſius hiſtoriam præmittit. Melchiſedech autem Hebræi tradunt eſſe Sem primogenitum Noë; ſed Scripturæ conformius apparet fuiſſe unum ex poſteris Chanaan; ùt multi Veteres docent & *Eſtius*, quem conſule. *Rex Salem*, illius quidem quæ juxtà Scitopolim eſt, ex *Hieron.*; vel meliùs Hieruſalem, ex *Ribera* & *Eſtio.* Cujus neque nativitas, neque mors in Scripturis invenitur, ſed tantùm, *Gen.* 14. ſcribitur, quòd *Abrahæ revertenti à cæde* Chodorlahomor *obviaverit Melchiſedech Rex Salem*, & cùm eſſet *Sacerdos Dei altiſſimi* proferens panem & vinum *benedixerit*: cui viciſſim pro accepta benedictione tanquam Sacerdoti Dei ſummi omnium ſpoliorum quæ habebat, decimas Abraham dedit: quod non abs re *Paulus* allegat, ut oſtendat quòd ſi Melchiſedech, Chriſti tantùm figura, Abraham dignitate an-

teſerit, utpotè cui benedixit & à quo decimas ille accepit; multò magis Chriſtus alios Sacerdotes & Pontifices qui ex Abraham deſcenderunt, antecellat: quem multis modis à Melchiſedech præfiguratum oſtendit; ex *Gaig.* Meritò hìc ex *Eſtio* adjungitur, vocem Græcam ἱερεύς, aliquando, ùt 2. *Reg.* 8. ℣. 18., principem, longè tamen uſitatiùs Sacerdotem ſignificare; quam ſignificationem ſinè ulla ambiguitate habet, ſi addatur ei vox *Dei*, vel ùt in *Gen.* 14., *Dei altiſſimi.* Cujus interpretationis indubitatam fidem facit authoritas hujus Epiſtolæ cum adjunċto teſtimonio Davidis *Pſal.* 109. ℣. 4.; quod nullus tam Hebræorum quàm Catholicorum aliter vertere auſus eſt quàm, *Tu es Sacerdos in æternum.*

℣. 2. Cui & decimas omnium diviſit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex juſtitiæ: deindè autem & rex Salem, quod eſt, rex pacis,

Oſtendit Apoſtolus Melchiſedech, etiam Abrahæ opinione Sacerdotem fuiſſe, nec qualemcumque; ſed quem ille ſe majorem agnoſceret: id enim probat oblatio decimarum (quomodo & Jacob *Gen.* 28. vovit decimas ſe daturum ſcilicet in divinum cultum) facta Sacerdoti Dei ſummi. Incipit Apoſtolus ea quæ de Melchiſedech adduxit, ad Chriſtum cujus alter typum geſſit, accommodare. Orditur autem ab interpretatione nominum. Qui ſcilicet Melchiſedech *interpretatur rex juſtitiæ*: *Melech* enim Regem ſignificat & *Sedech* Juſtitiam, ſic exponit *Hier. ad Evag.* & ante eum *Joſephus l.* 1. *Antiq. c.* 11.; *Salem* autem vel *Solom* Pax dicitur: quibus nominibus rectè Chriſtus exprimitur qui verè & *juſtitiæ rex* fuit & *pacis* juxtà *Zachar.* 9. ℣. 9. & *Pſal.* 44. *ſuprà* c. 1. ℣. 8. & 9. citatum.

℣. 3. *Sinè patre, ſinè matre, ſinè genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum.*

Sinè Patre, *ſinè Matre*, non quòd Patrem aut Matrem non habuerit; vel ſpurius fuerit; vel parentes indigni eſſent qui cum viro tantæ virtutis nominarentur, ùt à quibuſdam dictum eſt: ſed *ſinè Patre* &c. reſpectu Sacerdotii quod non inivit per carnis ſucceſſionem, ſed à Deo ſolo accepit: vel potiùs *ſinè Patre* &c. videlicet in Scripturis quàm ea myſterii causâ tacuiſſe & prætermiſiſſe, Apoſtolus paulò poſt inſinuat. *Sinè genealogia*, græcè, *non genealogizatus*, id eſt, cujus *genealogia* nuſquam in Scripturis texitur. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*: videlicet in Scripturis: hæ enim, nec quando natus nec quando mortuus ſit Melchiſedech, referunt. *Aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum*: his verbis abſolvitur periodus inchoata ab initio capitis. *Aſſimilatus eſt*, id eſt, in his omnibus geſſit figuram & ſimilitudinem Filii Dei. Quod ſequitur: *manet Sacerdos in æternum*, ſimilem cum ſuperioribus habet ſenſum; dicitur *manere in æternum*, quia de fine Sacerdotii ejus nihil ſcriptum invenitur: ita *Eſtius* qui exiſtimat, Apoſtolum, cùm dicit, *aſſimilatus autem* &c., non tam reſpexiſſe ad ſingulas qualitates Melchiſedech, *ſinè Patre* &c., quàm ad omnes ſimul & præcipuè ad hanc, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*: quia per illas ſic conſideratas Melchiſedech in Scriptura velut ſinè origine & fine, ſive ùt æternus proponitur, & eatenùs maximè *aſſimilatus eſt Filio Dei*, id eſt, Chriſto ùt ab

æterno & in perpetuum ſinè fine exiſtenti & exercenti ſacerdotium. Alii ſingulas qualitates particulariter Chriſto applicantes dicunt, Chriſtum eſſe *ſinè Patre & Matre:* quòd Patre careat ſecundùm naturam humanam; Matre ſecundùm divinam; *Genealogiâ* verò, quòd nec divina ejus generatio mente comprehendi, nec humana per naturam cognoſci poſſit, juxtà *Iſaïæ* c. 53. ℣ 8.; item quòd Chriſtus utpotè Filius Dei naturalis initium non habeat neque finem habiturus ſit: Atque ita Melchiſedech *aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in æternum*, non in ſe ſed in Chriſto: & quoad ſacerdotium dicunt aſſimilari: quia ſicut Abraham panem & vinum obtulit; ita Chriſtus æternus Sacerdos ſub panis & vini ſpeciebus carnem ſuam & ſanguinem nobis obtulit, & Patri qui verus eſt Abraham, id eſt, Gentium Pater, in ara crucis corpus ſuum obtulit: ita *Gaig.* Quomodo ex hoc loco probetur in nova lege eſſe ſacrificium, videri poteſt *in conc. Trid. Seſſ.* 22. *Cap.* 1.

℣. 4. ***Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.***

Probaturus Chriſti Sacerdotium Levitico præſtantius eſſe, oſtendit, quòd Melchiſedech ipſo Levitarum patre Abraham præſtantior fuerit, *cui* nimirùm ipſe Abraham de opimis ſpoliis *decimas dedit*: quantò magis ergo Chriſtus, cujus typum geſſit Melchiſedech, Sacerdotibus legis antecellit? Ne verò Sacerdotium Leviticum contemnere videatur, de ejus dignitate ſubdit.

℣. 5. *Et quidem de filiis Levi ſacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundùm legem, id eſt, à fratribus ſuis: quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ.*

Non carebat ſanè dignitate Sacerdotium Leviticum: nam Sacerdotes qui quidem *de* ſeu *ex filiis Levi Sacerdotium* accipiunt, *habent mandatum* ſeu potiùs decretum Legis, quo detur eis poteſtas ſumendi *decimas à* reliquo *populo: id eſt, à fratribus ſuis*; quia Sacerdotes & populus omnes erant fratres ex eodem patre Abraham deſcendentes, hoc eſt enim quod aït, *quamquam & ipſi de lumbis exierint Abrahæ*, id eſt, ab eodem cum ceteris Hebræis Abrahamo patre prodierint: nequaquam autem ab aliis decimas acciperent, niſi præſtantiores eſſent; ut notat *Gaig.*

℣. 6. *Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit.*

Melchiſedech *autem, cujus generatio*, id eſt, genus & genealogia *non annumeratur in eis* ſcilicet Populo nec Levitis: qui proindè quaſi alienigena erat, *decimas ſumpſit ab Abraham*, & eidem qui tantò habitus eſt à Deo, ut promiſſio illi benedictionis in Chriſto fieret, *benedixit:* quò docet, Melchiſedech fuiſſe Abrahamo majorem; ſicut enim Sacerdoti competit jus accipiendi decimas, ita & officium benedicendi.

℣. 7. *Sinè ulla autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.*

Quod minus eſt à meliore, id eſt, inferior à ſuperiore ac præſtantiore *benedicitur*: præ-

ſtantior ergo Melchiſedech quàm Abraham cui benedixit. Movetur quæſtio, quomodo Melchiſedech, tamquam Sacerdos. Abrahæ benedixit, & ab eo decimas accepit; atque eâ ratione major illo oſtenditur, cùm & ipſe Abraham obtulerit Sacrificium, ùt *Gen.* 15. & in Canone Miſſæ habetur. *Ribera* reſpondet, Abrahamum non fuiſſe ex officio Sacerdotem potiùs quàm alios; ſed cùm lege non prohiberetur, licuiſſe tunc ei ſicut & aliis promiſcuè ſacrificia offerre. Dici etiam poſſet, quòd ùt princeps familiæ aut civitatis, ùt *Noë*, id muneris obtinuerit. Potiùs tamen dicendum, Abraham ùt Prophetam agnoviſſe in Melchiſedech panem & vinum offerente ſingularem quandam figuram Chriſti Sacerdotis, quam nec in ſe, nec in aliis Sacerdotibus agnoſceret, & hâc causâ veneratum fuiſſe eum oblatione decimarum & acceptatione benedictionis tanquam ſe majorem. Nam & inferior Sacerdos à ſuperiore benedictionem accipit, ùt Presbyter ab Epiſcopo etiam cui non eſt ſubjectus, ſic & decimas obtulit honoris causâ non debiti: & quidem ùt minor, non ùt ſubjectus. Undè non immeritò Abraham qui Sacerdos erat non Pontifex ùt Melchiſedech, nec niſi ſuæ familiæ Sacerdos, illum velut ſe majorem ac digniorem honorandum putavit. Melchiſedech autem Abrahæ benedixit benedictione ſolemni quæ non fit niſi ab eo qui vel officio vel authoritate major eſt.

℣. 8. *Et hìc quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit.*

Hàc parte præſtantiam Sacerdotii Melchiſedech ſupra leviticum aſſumit à perpetuitate. *Et hìc quidem*, hoc eſt, in lege conſtituta

Num. 18., qui decimas accipiunt homines mortales ſunt, quorum morte jus ad alios tranſit. *Ibi verò*, id eſt, in hiſtoria Geneſis decimas accepit is, cui teſtimonium perhibetur in Scriptura, *quòd vivat*; quatenùs ſcilicet introducitur vivens, nullâ de morte ejus aut ſucceſſore factâ mentione, ut ipſo ſilentio perpetuitas Sacerdotii Chriſti, cujus ille typum geſſit, oſtenderetur.

℣. 9. *Et (ut ita dictum ſit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt:*

Deindè etiam ſuperior eſt Levitis Melchiſedech, quia, *ut ita dicam*, *per Abraham &*, id eſt, etiam *Levi* (eſt enim recti caſus) *qui decimas accepit, decimatus eſt*, ſive decimas ipſi Melchiſedech ſolvit: hoc eſt; cùm decimas illi offerret Abraham, Levi quoque, id eſt, etiam Sacerdotes Levitici, qui decimas ab aliis accipiunt, decimas quodammodò Melchiſedech obtulerunt; ita *Gaig*. Et conſequenter etiam benedictionem acceperunt, quod intelligendum reliquit Apoſtolus. Nam & ipsâ decimarum penſione profitentur homines, ſe viciſſim expetere & expectare benedictionem à Sacerdote Dei miniſtro.

℣. 10. *Adbuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech.*

Dixi, inquit, Levi decimatum eſſe per Abraham: quia *quando obviavit ei Melchiſedech* & decimas ab eo accepit, Levi cum tota ſua poſteritate *adhuc erat in lumbis Patris*, id eſt, proavi ſui Abrahæ. Quapropter cùm illi decimas Abraham offerret, & ipſi Levitæ quodammodò obtulerunt; qui autem offert inferior eſt accipiente: præſtantior eſt ergo Melchiſedech, qui tantùm erat Chriſti figura,

Leviticis Sacerdotibus: quantò igitur & Chriſtus? Sed obſtare videtur, quòd ſicut tribus Levi ita & tribus Juda, ex qua eſt Chriſtus, decimata ſit in Abraham; omnes enim tribus æqualiter erant in lumbis Abrahæ: ergo pari ratione ſequitur, Chriſtum quoque minorem eſſe Melchiſedech. Reſpondet *Eſtius* ex *S. Aug. l.* 10. *de Gen. ad litt. c.* 10., Chriſtum non ſecundùm rationem ſeminalem in lumbis Abrahæ fuiſſe utì Levi fuit, ceterique poſteri Abrahæ: hæc ulteriùs elucidata vide in *Eſtio*; qui etiam demonſtrat, oblationem panis & vini, factam per Melchiſedech in ordine ad Sacrificium, nihil facere ad præſens inſtitutum Apoſtoli; ita ut futile ſit argumentum Calvini contra ſacrificium Miſſæ deſumptum ex eo quòd Apoſtolus illius ſacrificii nullam hìc mentionem faciat.

℣. 11. *Si ergó conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aäron dici?*

Poſtquam Apoſtolus de officio & perſona Chriſti Sacerdotis egit, nunc propiùs ad inſtitutum primarium accedit, oſtenſurus adventu Chriſti abrogatum eſſe Sacerdotium Aaronicum, & cum eo legem Moſaïcam. *Conſummatio*, græcè, *Perfectio*, quo nomine hìc juſtificatio ſeu peccatorum remiſſio intelligitur, utì & ℣. 18.; & convenit cum eo quod *ad Rom.* c. 3. ℣. 20. & *ad Gal.* 2. ℣. 21. dicitur. Quod ait, *per Sacerdotium Leviticum*, intellige potiſſimùm de Sacrificiis: error enim Hebræorum fuiſſe videtur; 1° quòd dicerent, Sacrificiis V. Legis peccata remitti; 2° quòd ideò

hæc vellent ſemper in perpetuo vigore ſubſiſtere debere. Ultimum errorem hic refutat Apoſt., primum verò c. 9. & 10. Senſus igitur eſt : *Si ergo conſummatio*, id eſt, peccatorum remiſſio *per Sacerdotium*, ſive per Sacrificia *Levitica* (*Populus enim* hebræus *ſub ipſo*, id eſt, tempore hujus ſacerdotii *accepit legem*, non integram quidem ſed pro maxima ejus parte, omnia ſcilicet præcepta quæ in *Levit.*, *Num. & Deut.* tradita leguntur poſt inſtitutum Sacerdotium) *quid adhuc neceſſarium fuit* ut alius exurgeret Sacerdos *ſecundùm ordinem Melchiſedech*? Id eſt, Chriſtus de quo dictum eſt, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech? *Et non ſecundùm ordinem Aaron*, id eſt, non de tribu Aaron de qua ſumendi erant Sacerdotes? Si enim juſtificare Sacrificium Aaronicum poterat, Chriſti non opus erat Sacerdotio; quia ùt ad *Galatas* c. 2. ℣. 21., ait, *ſi per legem juſtitia*, *Chriſtus gratìs* ac fruſtrà *mortuus eſt*; ita *Gaig.*

℣. 12. *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat.*

Arbitratur *Gagnæus enim* pro *autem* vel *atqui* poſitum, ut ſenſus ſit. Si neceſſe fuit alium Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech exurgere ob imperfectionem Levitici Sacerdotii : indubiè tranſlatum eſt illud Leviticum Sacerdotium in Chriſti Sacerdotium; *tranſlato autem Sacerdotio*, *Legis tranſlatio neceſſe eſt ut fiat*; ſimul enim & Lex & Sacerdotium inſtituta ſunt : ſi igitur transfertur Sacerdotium, Legem quoque transferri oportet. Sic videtur Apoſtolus ſenſim Legem abrogare : ùt notat *Gaign.* Poteſt tamen retineri ſignificatio cauſalis *enim*, ut hæc pars reſpiciat illa præcedentia, *populus enim ſub ipſo legem accepit*, q. d.

Ideò cum Sacerdotio Legem conjunxi, ut intelligatis Sacerdotium ſine Lege transferri non poſſe; ſed dum illud transfertur, neceſſum eſt ut ſimul & iſta transferatur. Hæc autem tranſlatio facta eſt, quando Chriſtus Sacerdotio functus eſt in cruce: ex *Eſtio*.

℣. 13. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit.*

In quo, græcè, *in quem*, ſive de quo *hæc dicuntur*, ſcilicet *Tu es Sacerdos in æternum* &c., *de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit*, id eſt, aſtitit, miniſtravit vel Sacerdotio functus eſt. Ad unam enim tribum Leviticam & ad unam ſtirpem Aaronicam jus Sacerdotii ſpectabat: quod exactiſſimè etiam ſub externis regibus obſervatum eſt. Probat hoc & ſequenti verſu Apoſtolus tranſlatum eſſe Sacerdotium per diverſitatem tribuum, in quibus inſtituta ſunt Sacerdotia Chriſti & Aaronis.

℣. 14. *Manifeſtum eſt enim quòd ex Juda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt.*

Dicit *manifeſtum* eſſe, quòd Chriſtus *Dominus ex Juda ortus ſit*: quia hoc erat in confeſſo non ſolùm fidelibus qui credebant Chriſtum natum eſſe ex Virgine Maria, quam conſtabat eſſe ex tribu Juda; verùm etiam infidelibus exiſtimantibus Jeſum eſſe filium Joſeph, quem ſciebant eſſe de domo & familia David. *In qua tribu*, græcè, in quam ſeu ad quam tribum *nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*. Sed adversùs hanc Apoſtoli approbationem objici poteſt, Chriſtum non ſolùm ex tribu Juda, ſed ex tribu Levi genus duxiſſe: ideò

que eum dumtaxat, quâ de tribu Levi erat, altari præſto fuiſſe: ℟. Non conſtat, Chriſtum aliqua ex parte ex tribu Levi fuiſſe; ita *Chryſ.* Sed etiamſi fuiſſet ex ſerie & linea muliebri, nihil faceret contra Apoſtolum; cùm nullus apud Iſraëlitas cenſeri poſſet in aliqua tribu, niſi per Patrem, lineamque virilem: ex *Eſtio*, quem conſule.

℣. 15. *Et ampliùs adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos,*

Tranſlationem Sacerdotii hic ſecundò probat per diſtinctionem eorum qui primi fuerunt in ordine utriuſque Sacerdotii. *Et* hoc, inquit, *ampliùs adhuc manifeſtum eſt ſi*, græcè, *quia ſecundùm ordinem Melchiſedech exurgat alius Sacerdos*: ſcilicet Chriſtus.

℣. 16. *Qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.*

Tertiò hanc tranſlationem probat per regulam fundamentalem utriuſque ordinis. Nam qui ſecundùm ordinem Aaronis eſt, *ſecundùm legem* alligatus eſt *mandato carnali*, ſeu mandato quod præſcribit ſucceſſionem carnalem quâ filii ſuccedunt Patribus ſuis, non habentes jus ad Sacerdotium niſi tamquam filii prædeceſſorum ſuorum: ſed qui ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdos eſt Chriſtus, talis factus eſt *ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis*, id eſt, ex virtute divina quæ vitam ei præſtat inſolubilem ſeu immortalem: undè habet quòd nemini ſuccedat, & nulli ſucceſſori locum præbeat. Alii explicant *ſecundùm legem mandati carnalis*: hoc modo; Secundùm legem in qua multa ſunt mandata cæremonialia; ſi-

cut ſunt de circumcidendo carnem, de non attrectando, edendo &c. ſed ſecundùm virtutem ſeu potentiam vitæ inſolubilis, hoc eſt, acceptâ à Patre poteſtate conferendi vitam æternam: ita ferè *Chryſ.* Prior tamen expoſitio magìs litteralis & contextui conformior videtur: ex *Eſtio.*

℣. 17. *Conteſtatur enim: quoniam tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Teſtatur, ſubintellige, Deus ad filium dicens per Davidem: *Quoniam tu es ſacerdos in æternum* &c. Ex quo uno Pſalmi verſiculo duplex eſt probatio partis præcedentis: ſi enim Chriſtus eſt *Sacerdos in æternum*; non ergo ſucceſſionarium, ſed indiſſolubile habet Sacerdotium: quod idem conſequitur ex eo quòd *ſecundùm ordinem Melchiſ. ſit Sacerdos*: nam in Melchiſedech typum eſſe æternitatis Chriſti, diximus ſatìs *in ſuperioribus.* Huc etiam pertinent quod dicitur c. 5. ℣. 9., c. 9. ℣. 12. & c. 10. ℣. 14. Ex quibus intelligitur Chriſtum vocari Sacerdotem in æternum ratione perſonæ, officii, & effectûs. Perſonæ quidem ratione, quia ita Sacerdos eſt, ut nec ipſe cuiquam ſucceſſerit, nec ipſi quiſquam ſucceſſurus ſit, ſemper enim vivit; nec futurum ut aliquando transferatur ejus Sacerdotium. Officii autem ratione, quia ſemper apud Patrem in cælis interpellat pro nobis: eſt enim Sacerdotis officium interpellare Deum pro ſalute eorum quibus datus eſt Sacerdos; fungitur autem hoc officio Chriſtus in æternum, id eſt, uſque in finem ſeculi. Denique ratione ipſius effectûs, quia per ſacrificium, quod ſemel obtulit in cruce, factus eſt omnibus cauſa redemptionis & ſalutis æternæ. Explicandum reſtat, quo ſenſu Chriſtus *ſecundùm*

ordinem Melchiſedech ſit appellatus Sacerdos. *Ordinem* Apoſtolus *ſimilitudinem* interpretatur. Et *ſecundùm ordinem* idem eſt ac more ſeu ritu, qui ſimilis eſt illi, quem Melchiſedech obſervaſſe legitur, quo ſcilicet panem & vinum obtulit; huic enim ritui ſimilliſimum eſt, quod Chriſtus egit in ultima cæna, quando ſub panis & vini ſpeciebus corpus ſuum obtulit & ſanguinem, ita *Cyp.*, *Amb.*, *Hier.*, *Aug.*, *Epiph.*, *Chryſ.*, *Theod*: ex *Eſtio*; qui ſolvit argumenta contra Sacerdotium Melchiſedech, quæ à Sectariis objici ſolent.

℣. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem:*

℣. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex:....*

Pergit oſtendere legem eſſe abrogatam: *præcedentis*, inquit, *mandati*, id eſt, prioris teſtamenti ac legis reprobatio & abjectio facta eſt, id eſt, lex vetus abrogata & antiquata eſt ob ſui *inutilitatem* & *infirmitatem*: non quòd planè inutilis eſſet; erat enim à Deo: ſed quia *nihil ad perfectum* ſive ad veram juſtitiam adducebat, id eſt, in ſe confidentes perficere non poterat: initiabat enim tantùm Judæos per ceremonias ab idololatria deterrens. Sed tamen inutilis fuit quoad effectum juſtificationis quem nec per præcepta, nec per ſacrificia præſtare poterat; propter hoc cedit, atque diſcedat, ait *Chryſ.*

℣. 19. .... *introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.*

Introductio melioris ſpei, id eſt, loco præcedentis mandati introducitur aliquid multò melius, nempè lex & Sacerdotium Chriſti, ſpem nobis certiſſimam faciens appropinquan-

di ad Deum per veram juſtitiam. Eſt igitur hæc argumentatio : ſecundùm ordinem Melchiſedech ſurgit alius Sacerdos ; qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis : ergo reprobatio fit præcedentis mandati : introductio verò melioris ſpei, ita *S. Thom. & Eſtius*

℣. 20. *Et quantùm eſt non ſinè jurejurando (alii quidem ſinè jurejurando ſacerdotes facti ſunt ,*

Et quantùm non ſinè jurejurando ; locus hic continuè legendus ſinè verbo *eſt*, quod non eſt in græco, nec quidem ſubauditur. Sed ex antecedentibus ſupplenda eſt ſententia hoc modo : *Et in quantùm non ſinè jurejurando* factus eſt ſacerdos : ubì *alii* ſcilicet Levitæ *ſinè jurejurando ſacerdotes facti ſunt :* & proindè etiam hâc ratione ſacerdotium Chriſti præſtantius eſt ſacerdotio Aaronico. Quia ſequitur verſu ſequenti.

℣. 21. *Hic autem cum jurejurando, per eum, qui dixit ad illum : Juravit Dominus, & non pœnitebit eum : tu es ſacerdos in æternum :)*

Hic ſcilicet Chriſtus ſacerdos factus eſt *cum jurejurando* Dei Patris, *qui dixit ad illum : juravit Dominus* &c. Hæc autem verba ſunt Prophetæ teſtificantis Deum Patrem cum jurejurando filium conſtituiſſe ſacerdotem, quando ei dixit : *Tu es ſacerdos in æternum.*

℣. 22. *In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.*

Senſus eſt : adeòque tantò *melioris* & præſtantioris *teſtamenti*, id eſt, ordinationis, legis ſcilicet novæ *ſponſor*, ſeu mediator & interceſſor *factus eſt Jeſus* ; quod ejus Sacerdotium juramento firmatum eſt, non item legale. Valet

collectio, quia juramentum adhiberi non ſolet, niſi ad ea quæ majoris ſunt momenti, quæque volumus omninò rata & firma eſſe, atque perpetua, ex *Eſtio.*

℣. 23. *Et alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcircò quòd morte probiberentur permanere:*

Et hâc quoque ratione Sacerdotibus Leviticis Chriſtum præſtare oſtendit, quòd Sacerdotes Levitici plures fuerint, alius poſt alium: quia mortales erant & morte finiebatur cujuſque Sacerdotium. Nam Aaroni ſucceſſit in Sacerdotio Eleazar, Eleazaro Phinees; & ita deinceps.

℣. 24. *Hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum babet ſacerdotium.*

Chriſtus autem, quia in perpetuum *manet*, *Sacerdotium habet* perpetuum, græcè, incommutabile, quòd ſucceſſione ad alium non demigrat, ſicut contingebat Sacerdotio Levitico. Igitur cùm æternum ſit præſtantius eo, quod ſubindè transfertur; Chriſti Sacerdotium erit Levitico præſtantius: ùt in naturalibus corruptibilia multiplicantur ſub eadem ſpecie, non autem incorruptibilia, ùt Sol, Luna, &c. ex *S. Thoma.* Dicet quis, Chriſtus mortuus eſt. ℟. Verum eſt; ſed non ita mortuus eſt, ut Sacerdotium ejus ad alios tranſiret, ſed ut paulò poſt ipſe unus & idem ad vitam reſuſcitatus maneat Sacerdos in æternum: nec id ſolùm ratione perſonæ, verùm etiam officii & effectûs. Ideò Chriſtus nullos agnoſcit ſucceſſores in Sacerdotio ſeu Pontificatu, ſed vicarios duntaxat, ùt 1. *Cor.* 4. ℣. 1. Sic Deus æternus ac ſupremus judex habet ſuos vica-

rios ac miniſtros judices, id eſt, per quos Dei judicium exerceatur in terris; ùt *Deut.* 1. & 1. *Paral.* 19.; ex *Eſtio.*

℣. 25. *Undè & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Senſus eſt; quandoquidem ſemper vivit, ſeu in æternum habet Sacerdotium; poteſt igitur ad plenam perfectam & æternam ſalutem adducere eos, qui *per ipſum* ùt mediatorem *accedunt ad Deum:* vel eo quòd Chriſtus manet in æternum & ſempiternum habet Sacerdotium, non tantùm potuit quando mortalis erat, verùm etiam nunc & continuò *poteſt ſalvare per ipſum accedentes ad Deum*, ùt qui *ſemper vivat ad interpellandum pro nobis:* quia non otioſum gerit Sacerdotium; eſt enim Sacerdos *ſemper vivens*, ut ſemper agat Sacerdotis officium, id eſt, ſemper pro nobis apud Deum interpellet, & ſeipſum ùt hoſtiam ſemel in ara crucis oblatam exhibeat Patri, & adhuc ſeipſum quotidiè offert & ſacrificat in altari per miniſtros & vicarios ſuos Sacerdotes. Interpellare dicitur, tum quia humanitatem pro nobis aſſumptam Patri repræſentat: tum quia ſanctiſſimæ animæ ſuæ deſiderium quod pro ſalute noſtra habuit, exprimit: ita *Greg. l.* 1. *Mor. cap.* 24. & *Lib.* 22. *cap.* 13. Nec ſubmiſſa eſt poſtulatio, ſed ejus paſſionis, quæ ſemel ſuſcepta & ſemel pro nobis in ſacrificium oblata eſt, æterna commemoratio. Non enim Chriſto jam in gloriam aſſumpto convenit illa ſupplicandi humilitas, quâ uſus eſt in diebus ſuæ carnis mortalis, ùt *cap.* 5. ℣. 7.; *Rup. lib.* 9. *de divin. off. cap.* 3. Sic S. Paulus ſeipſum explicare videtur *cap.* 9. ℣. 24. Non tamen hæc

propriè dictam Chriſti pro nobis orationem excludunt: nam advocatus eſt noſter, 1. *Joan.* 2. & 1. *Tim.* 2.; verè igitur adhuc orat & intercedit pro nobis; ſive ſolâ mente id faciat; ſive etiam voce conceptum mentis efformet atque exprimat, ùt ſentit *S. Thomas.* Vides humilitatem, vides humanitatem: non enim dixit eum in humilitate conſtitutum duntaxat illud adeptum eſſe, ſed ſemper & quandocumque opus fuerit interpellare pro eis, ait *Chryſ.*

℣. 26. *Talis enim decebat ut nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus:*

Talem nos habere decebat Pontificem, qui juxtà humanitatem non modò vitæ ſanctimoniâ cæteris præſtaret hominibus, ſed *excelſior cælis* eſſet, id eſt, cæleſtibus ſpiritibus, Angelis, vel ſupra cælos etiam ad Patris dexteram ſublimatus. Probat hic locus nullum purum hominem fuiſſe idoneum, cujus oblatione genus humanum Deo reconciliaretur. Nullus enim purus à peccato, quanquam ab hujus muneris dignitate Leviticos Sacerdotes excludere intendat Apoſtolus, ex *Eſtio.*

℣. 27. *Qui non habet neceſſitatem quotidiè, quemadmodùm ſacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deindè pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſùm offerendo.*

Cui non eſt neceſſe *pro ſuis delictis hoſtias offerre*, quemadmodùm Pontifices Aaronici; quia peccatum non fecit: ſed *pro delictis populi*; neque *quotidiè* ùt veteres Sacerdotes, ſed *ſemel*, unâ enim ſui corporis hoſtiâ ſemel

omnium delicta Chriſtus abſtulit, ex quâ comparatione non ſolùm docet, Chriſtum iis eſſe majorem; ſed etiam officium oblationis placatoriæ, quod Chriſtus egit, prorſus ab illis agi non potuiſſe, ex *Eſtio.*

℣. 28. *Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem jurisjurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum.*

Oſtendit, quare Sacerdotes Leviticos opus eſſet hoſtias ſæpè repetere, Chriſtus autem ſemel omnium delicta expiarit hoſtia ipſe factus & Sacerdos: ſcilicet quia *Lex Sacerdotes homines infirmos* & peccatores ſtatuit: ideò pro ſe aliiſque & ſæpe ſacrificia facere indigentes. *Sermo autem jurisjurandi qui poſt legem* vel ſupra legem eſt, Sacerdotem *conſtituit in æternum filium* Dei perfectum; adeòque nec ſui gratiâ, neque pluries offerre indigentem; ita *Gaig. poſt Chryſ.*

CAPUT VIII.

Chriſtus eſſe verum Pontificem docet, ac novi teſtamenti mediatorem.

℣. 1. *Capitulum autem ſuper ea, quæ dicuntur: talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis,*

C*apitulum*, id eſt, ſumma & caput eorum quæ dicta ſunt, hoc eſt q. d. Multa de Chriſti Pontificio & Sacerdotio diximus, omnium autem ſumma & ſcopus hujuſmodi eſt. *Talem habemus Pontificem*, id eſt, ſanctum,

innocentem, impollutum, &c. qualem paulò antè deſcripſimus; vel qualem *qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis*, id eſt, qui in plenitudine divinæ majeſtatis habitat, ita *Gaig.* poſt *Theoph.*

℣. 2. *Sanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.*

Sanctorum miniſter, id eſt ut quidam dicunt, qui ſanctis beatitudinem adminiſtrat, ſicut in parabola Evangelica dicitur, præcinget ſe & tranſiens miniſtrabit illis: vel quia pro illis, quod Pontificis munus eſt, apud Deum interpellat. Vel *Sanctorum* vocabulo, conformiter ad vetus Pontificium, veriſſima Sancta Sanctorum intelligere poſſemus ſinum Patris, in quo tanquam in ſancto habitat Chriſtus; vel reconditiſſima Dei Patris arcana, quorum adminiſter & proxeneta Chriſtus eſt his, quibus vult. Horum ergò *Sanctorum miniſter* eſt Chriſtus: & quia ſanctos facit & auctor eſt veræ ſanctitatis, ex *Chryſoſt. Et tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo*; quod quidem tabernaculum nonnulli ſummum cælum, ipſam ſcilicet beatorum ſedem interpretantur; poſſumus & ipſam quoque beatitudinem, quâ perfruuntur ſancti, & in qua habitantes quieſcunt, intelligere. Alii intelligunt Eccleſiam militantem in terris; eo quòd non appareat, quomodo Chriſtus nunc ſit miniſter ſalutis eorum qui perducti ſunt ad ſalutem & regnant in cælo. Sunt etiam qui *tabernaculum verum* dicunt eſſe ſinum Patris, à quo ſicut exivit per Incarnationem, ſic ad ipſum rediit per Aſcenſionem, miniſtraturus ſanctis vitam immortalem. Alii tabernaculum verum interpretantur corpus Chriſti; alii cælum intelligunt: ſic ut

ſentiat Apoſtolus, Chriſtum non ita ſedere & regnare cum Patre in cælo, quin adhuc Pontificem ſe noſtrum meminerit & ùt Pontifex in cælo, tanquam in ſanctis locis & in tabernaculo miniſtret, id eſt, Pontificis officium agat pro nobis apud Deum, videlicet interpellando & humanitatem, in qua paſſus eſt, illi repræſentando, atque etiam verum per miniſtros & vicarios ſuos Sacerdotes offerendo ſacrificium. *Quod* tabernaculum *fixit* ille, cui nomen *Dominus*. Nam cælum ita fixum eſt à Deo, ut è loco ſuo nunquam moveatur; quamvis orbiculariter moveatur in loco. Quanquam cælum Empyreum, in quo Chriſtus reſidet, ne ſic quidem moveatur; in quo declarat excellentiam Chriſti Pontificis ſupra legalem: ille enim typici tabernaculi miniſter fuit, atque ejus quod manibus hominum figebatur in terra, & ſubindè refigebatur aliò transferendum, ut ſignificaretur mobilitas illius Sacerdotii; Chriſtus autem veri tabernaculi miniſter, quod fixit manus Dei, id eſt, perpetuum atque immobile fecit, quo ſimul innuitur Sacerdotium Chriſti perpetuum & immobile permanere, ex *Eſtio*, *Ribera*, & *Chryſ.*

℣. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: undè neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat:*

Probat hoc loco, quòd Chriſtus ad dexteram Patris aſſumptus verè Pontificis miniſterium agat, & Deo Patri pro nobis hoſtiam offerat. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur* & inſtituitur. Per *hoſtias* autem carnales victimæ, quæ in cruore offeruntur, intelliguntur, per *dona* autem & *munera* indifferenter quæcumque oblationes. Cùm

ergo Pontificis partes ſint offerre pro populo, *neceſſe eſt hunc* Chriſtum *habere aliquid quod offerat* : verè ergo ſanctorum miniſter eſt. Quæſtio eſt, quid offerat ? Id quidem hoc loco non aperit Apoſt., ſed colligi poteſt ex *cap*. 9. ℣. 24. Scilicet Chriſtum humanitatem aſſumptam, quam ſemel in ara crucis obtulit, pro nobis jugiter Deo Patri offerre ac repræſentare. Etiam verum eſt, Chriſtum quotidiè ſe ipſum offerre in terris per miniſtros ſeu Sacerdotes in ſacrificio Miſſæ : de hac tamen oblatione Apoſtolus prorſus tacet per totam hanc Epiſtolam : quia myſterium eſt, quod intelligendum relinquit fidelibus myſteriorum conſciis. Ne autem alicui mirum videatur, quòd hunc Pontificem noſtrum in cælis habitare dixerit, atque ita illum minimè videamus : probat ex oppoſito, nequaquam aliter verum Pontificem ac Sacerdotem futurum ; dicens : ex *Gaig*.

℣. 4. *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos : cùm eſſent qui offerrent ſecundùm legem munera*,

Si ergo, græcè, *ſi enim eſſet ſuper terram*, ſeu in terris adhuc ageret Chriſtus, nec mortuus eſſet, nec per reſurrectionem in cælum aſſumptus, ne verè quidem *Sacerdos eſſet* ; quoniam non haberet quam patri offerret ſufficientem hoſtiam : ſolum enim Chriſti corpus piacularis & expiatrix peccatorum noſtrorum victima ſufficiens eſſe potuit : mortuus eſt ergo, ut ſemetipſum hoſtiam pro nobis offerret : & à reſurrectione in cælum aſſumptus, ut verè Sancta Sanctorum cum corpore ingreſſus verus Pontifex illic pro nobis ſacra faceret, hoc eſt, pro nobis apud Deum interpellaret. Nam poſt peractum illud in cruce ſacrificium, nihil

ſupereſt, niſi ut pro nobis ipſe interpellet. Si ergo eſſet adhuc ſuper terram, nec mortuus eſſet, non eſſet verus Sacerdos, quippè cui nulla ſuppeteret vera hoſtia, *cùm* præter ejus mortem nulla eſſet digna, & *eſſent alii* Sacerdotes *qui ſecundùm* legis inſtitutionem terrena *offerrent munera* & carnales hoſtias. Si ergo ſuper terram adhuc eſſet & Pontificium exerceret in terris nondùm mortuus, nec perfectam illam ſui corporis hoſtiam immolaret, ſed ſimilem cum Leviticis Sacerdotibus: non eſſet plus, quàm illi, verus Sacerdos, imò ne Sacerdos quidem eſſet: quia cùm terrenum tantùm offerret ſacrificium, non eſſet æternus ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdos; nec Sacerdos quidem Leviticus, cùm de tribu Levi non eſſet, ex qua aſſumuntur Sacerdotes legis: de quibus ſubdit, ex *Græc.*

℣. 5. *Qui exemplari, & umbræ deſerviunt cæleſtium. Sicut reſponſum eſt Möyſi, cùm conſummaret tabernaculum: vide (inquit) omnia facito ſecundùm exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte.*

Qui exemplari & umbræ deſerviunt cæleſtium, id eſt, qui Deo deſerviunt talibus cæremoniis, quæ erant figuræ & umbra *cæleſtium*. *Chryſ. cæleſtia* extendit ad totam Eccleſiam; quia quæ per Sacerdotes Leviticos agebantur, typum præferebant eorum quæ aguntur in Eccleſia tam militante quàm triumphante. Mens tamen Apoſtoli, ut patet ex ℣. 1. & 2. tantùm videtur, nomine *cæleſtium* intelligere ea quæ aguntur in cælis: quod & patet ex antitheſi inter terram & cælum. Senſus eſt: Sacerdotes, qui ſuper terram ſunt, conſtituti ſunt, ut exemplar quoddam & quandam ſimilitudinem nobis ex-

hibeant eorum, quæ per Chriſtum fiunt in cælo; nam quòd Pontifex cæsâ victimâ introibat in Sancta Sanctorum ſemel, hoc ſignificabat Chriſtum fuſo ſanguine ſuo ingreſſurum fuiſſe in cælum ut appareret vultui Dei pro nobis. Ingreſſus quotidianus Sacerdotum ad altare, ut immolarent victimas, ſignificabat Chriſtum quotidiè per Sacerdotes ſuos oblaturum ſacrificium & ſeipſum oſtenſurum Patri, ac pro nobis uſque in finem ſeculi interpellaturum. Poſſunt hæc omnia non de omnibus Sacerdotibus intelligi, ſed ſolis Pontificibus, qui introibant in Sancta Sanctorum, quæ referebant Sancta Sanctorum cæleſtia: quod autem tabernaculum exemplar eſſet cæleſtis, probat dicens, *ſicut reſponſum eſt Moyſi, cùm tabernaculum conſummaret*, ſive cùm eſſet conſummaturus tabernaculum: *vide*, *inquit*, *omnia facito ſecundùm exemplar*, *quod tibi oſtenſum eſt in monte*. Locus eſt. *Exod.* 25.; de his etiam agitur *Exod.* 31. & 1. *Paral.* 28. Aſſerunt enim Doctores, & hoc loco Græci, quòd Moyſi in monte Dominus non modò corporalem formam tabernaculi materialis oſtenderit, ſed etiam cæleſtis, & arcana illi cæleſtia aperuerit, & ſpirituale tabernaculum: cujus figuram & umbram quandam materiale tabernaculum ædificavit: *Gaig.*, *Ribera* & *Beda*.

℣. 6. *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.*

Anteà dixit, ſi eſſet ſuper terram, & necdum mortuus eſſet, ne verè quidem Sacerdos foret, cùm Sacerdotes legales eſſent, qui ſimiles cum illo hoſtias offerre poſſent; *nunc autem*, inquit, *melius ſortitus eſt miniſterium:*

præſtantius ſcilicet Sacerdotium in cælis, quàm illi in terris; & tantò præſtantius *quantò melioris teſtamenti mediator eſt* & largitor, ſcilicet Evangelii. Quod autem præſtantius ſit Evangelii teſtamentum quàm legis, oſtendit dicens, *quòd in melioribus promiſſionibus ſancitum eſt* & confirmatum. Vetus enim teſtamentum temporalia aut terrena bona promittebat dicens: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis & ſimilia. Novum, cujus mediator eſt Chriſtus, æterna promittit ac cæleſtia, ſcilicet regnum cælorum & ſalutem æternam. Conſequenter etiam pergit oſtendere excellentiam novi ſupra vetus dicens, ex *Gaig.*

℣. 7. Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet: non utique ſecundi locus inquireretur.

Alio adhuc argumento probat Novam Veteri præſtare. *Si culpâ vacaſſet*, græcè, irreprehenſibile fuiſſet, non equidem tanquam malum in ſe continens, ſed tanquam imperfectum: hoc eſt, ſi perficere ſui obſervatores potuiſſet & juſtificare, *non utique ſecundi locus inquireretur.* Id eſt, neceſſe non fuiſſet novum ac ſecundum teſtamentum accedere, quod tamen ex ordinatione Dei acceſſit, ex *Gaig.* Nonnulli ſic exponunt, *ſi culpâ vacaſſet*, id eſt, à culpa liberaſſet, hæc autem eſt Apoſtoli ratiocinatio. Quod ſubrogatur alteri defectum habenti melius eſſe oportet; ergo hoc illo melius eſt: aſſumptionem probat *verſu ſeq.*

℣. 8. Vituperans enim eos dicit: ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda teſtamentum novum;

Vituperans, græcè, *reprehendens*, *conquerens* enim

enim de ipſis Deus dicit per *Jeremiam* c. 31. *Ecce dies veniunt* &c. Allegat hìc Apoſtolus illuſtrem de Novo Teſtamento prophetiam, quam plerique Hebræorum nobiſcum ſentiunt implendam fuiſſe tempore Meſſiæ; ſed cùm alium ſibi Meſſiam fingant, vehementer in hac explicanda à nobis differunt: ùt videri poteſt *in Eſtio.* Apoſtolus autem per hanc prophetiam probat, quòd, etſi crimen violati fœderis populo ſit imputandum, non teſtamento; indè tamen arguatur ipſius teſtamenti infirmitas & imperfectio, quia legis obedientiam præſtare non potuit: ut proindè novo, quod id poſſit, locus ſit quærendus: ùt dicitur *Rom.* 8. ℣. 3. *Et conſummabo*, græcè, *perficiam ſuper Domum Iſraël & ſuper Domum Juda, teſtamentum novum.* Aliqui *Domum Iſraël* hìc interpretantur Eccleſiam colligendam ex gentibus; *Domum Juda*, reliquias colligendas ex Judæis: ita *Aug. l.* 22. *cont. Fauſt.* c. 89, & *de Civ. Dei* l. 18. c. 28. Alii intelligunt ſecundùm litteram eos, qui ſunt ex decem, & ex duabus tribubus; non omnes quidem, ſed qui ex iis erant in Chriſtum credituri: quod *Eſtio* præplacet, quem conſule.

℣. 9. *Non ſecundùm teſtamentum, quod feci patribus eorum in die, quâ apprehendi manum eorum ut educerem illos de Terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus:*

Senſus eſt, Novum hoc Teſtamentum non tale futurum, quale prius erat *in die* ſeu tempore, quo eos velut manu apprehenſâ deduxi ex Ægypto: undè non ſtrictè intelligitur dies egreſſionis ex Ægypto, ſed tempus quod extenditur uſque donec Iſraëlitæ in monte Sinai

legem acceperunt. Deſignatur autem hoc teſtamentum, ne pactum cum Abrahamo initum repudiatum videretur. *Quoniam ipſi non permanſerunt* &c. Id eſt, legem quam dedi eis cum luculentis promiſſionibus, prævaricati ſunt: primùm in deſerto, deindè in ipſa terra promiſſionis, partim ac præcipuè per idololatriam, partim verò per alia multa & magna peccata. Et proindè *eos ego neglexi*, curam eorum abjeci, bona quæ promiſeram ſubtraxi, videlicet pacti mei violatoribus. Eſt autem hæc lectio ſecundùm LXX. Nam in Hebræo ſic habetur: *Et ego dominatus ſum in eos;* quæ verba variè exponuntur; 1° pactum meum irritum fecerunt: quamvis ego dominarer eis & curam eorum, tanquam Dominus & vir ac ſponſus haberem, plurimiſque eos auxiſſem beneficiis. 2° per interrogationem: & ego conjugio vinctus manſiſſem eis? q. d. Minimè; ſed abjeci & repudiavi eos. 3° quia pactum meum fecerunt irritum, idcircò dominatus ſum eorum, id eſt, Dominum me eſſe oſtendi, non paſſus legem meam contemni impunè: punivi eos pro meritis tanquam eorum Dominus: atque ita punivi ut abjicerem eos & pro neglectis haberem, ùt *Ezech.* 20. ℣. 30. ita *S. Thomas.*

℣. 10. *Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum:*

Quale autem futurum ſit hoc novum teſtamentum quod promittit, exponit dicens, *Hoc autem eſt fœdus quod diſponam domui Iſraël,* ſub qua *domum Juda* comprehendit. Quod ad-

dit, *poſt dies illos*, non liquet de quibus diebus, id eſt, de quo tempore Propheta loquatur. *Oecum.* & *Thom.* intelligunt tempus datæ legis Moſaïcæ. *Theophylactus* illos dies de quibus antè dixerat, *Ecce dies veniunt*, q. d. nunc, cùm venerint dies illi, tunc feriam hujuſmodi fœdus. Alii dicunt Prophetam reſpicere ad tempus quo futurum ſit, quod dixerat Dominus, *& ego neglexi eos*, id eſt, ad tempus rejectionis populi Judaïci, ut ſenſus ſit. Poſtquam Judæos abjecero propter eorum incredulitatem, dabo novam legem filiis Iſraël, id eſt, electis ex Gentibus. *Eſtius* arbitratur *poſt dies illos* idem eſſe ac poſt aliquantum temporis ſpatium; ut in genere tantùm ſignificetur aliquod tempus futurum: quomodo Prophetæ interdùm dicunt, *poſt multos dies, dicit Dominus: dando*, hebraïcè, *dabo leges meas in mentem eorum.* Hæc Prophetæ verba apertam continent novi teſtamenti promiſſionem, ùt *Ezech.* c. 11. ℣. 19, *& ſeq.*, & c. 36. ℣. 26. *& ſeq.* Similia leguntur *Deut.* 30. ℣. 6. *& ſeq.*, & *Jerem.* 24. ℣. 7. Senſus igitur promiſſionis eſt, legem meam inſeram animis eorum potenter in eis operando, ut eam cognitam obſervent: quod quidem facere Dei proprium eſt, ait *S. Thom.* q. d. Novum hoc pactum feriam cum domo Iſraël: non iterùm ſcripturus legem meam in tabulis lapideis ſicut olim feci, ſed eam *ſcripturus in cordibus eorum*, ùt 2. *Cor.* 3. ℣. 3., id eſt, per meam gratiam efficaciter inclinaturus eorum voluntates ut legem meam ament & impleant. Et ego reipsà me declarabo eſſe eorum Deum, in curam & tutelam meam eos recipiam, proſperabo eos & beatos faciam, & ipſi viciſſim factis oſtendent ſe eſſe populum meum, purè ac ſincerè me colendo, leges meas obſervando: vel illi me

colent ut Deum ſuum meiſque mandatis obedient: & ego viciſſim eos ùt populum meum tuebor & benefaciam eis, ùt 2. *Cor.* 6. ℣. 18. *Apoc.* 21. ℣. 3. ex *Hieron.* & *Chryſ. hom.* 1. *in Matth.* Mihi tamen, ait *Eſtius*, veriſimilius eſt utroque membro ſignificari affectum Dei in homines; ut ſenſus ſit; Ego me eis præſtabo Deum, & habebo eos pro populo meo. Explicat idem Author hìc aliquas quæſtiunculas circa juſtos V. T., quas conſule.

℣. 11. *Et non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: cognóſce Dominum: quoniam omnes ſcient me à minore uſque ad majorem eorum:*

Prophetia hæc verbis quidem clara apparet, ſed ſenſu difficillima eſt; quòd non appareat, quando aut quomodo vel impleta ſit vel implenda. Aliqui docent, non ad hæc tempora referendam eſſe quibus, per malitiam hominum & jam refrigeſcente charitate, doceri ac docere viciſſim indigemus: ſed ad tempora Apoſtolorum in quibus ſtatim accepto ſpiritu fideles nullo labore docebantur, quæ ad fidem ſpectabant: ita *Gaig.* ex *Thom.* Sunt qui hanc *Jeremiæ* promiſſionem rejiciunt in futurum ſeculum: ubì proculdubiò omnis docendi cura ceſſabit, 1. *Cor.* 13. ℣. 10.; ſic *Aug. l. de Spirit. & litt. c.* 24. & 25. & *Anſel.* Sunt qui interpretantur promitti filiis Iſraël futurum, ut nequaquam Judaicos quærant magiſtros & traditiones & mandata hominum, ſed doceantur à Spiritu ſancto, ùt *Hieron.* Alii de manifeſtatione legis Evangelicæ per omnes Gentes, ùt *Chryſ.* Alii negari laborioſam inſtitutionem putant, eo quòd facili negotio perſuadeatur hominibus fides Chriſti, ùt *Theoph.* & *Oecum.*

Alii non de ſolis primis novi teſtamenti fundatoribus, id eſt, Apoſtolis; nec de ſolis fidelibus Eccleſiæ primitivæ, de quibus competit quod 1 *ad Cor*. c. 1. ℣. 5. *& ſeq.* ſcribit Apoſtolus; ſed de omnibus omninò fidelibus exponunt, ùt *Ribera*; eos ſcilicet per fidem ſcire Deum & Chriſtum ejus. Ut autem in hac Commentariorum varietate, verum Prophetæ ſenſum aſſequamur, jùvabit reflectere ad alias ſcripturas ſimiles: qualis imprimìs eſt *Iſaïæ* 54. *Ponam univerſos filios ſuos doctos à Domino.* Quam ùt Novi Teſtam. promiſſionem Chriſtus allegat *Joan.* c. 6. ℣. 45. Alius eſt locus *Iſaïæ*. c. 11. ℣. 9.; item 1. *Joan*. 2. ℣. 20., 21. & 27. Eodem modo *Paulus* loquitur 1. *ad Theſſ.* 4. ℣. 9. & 10. His ita præmiſſis hæc tria notanda ſunt: 1º Prophetam & Apoſtolum non loqui de nuda cognitione, ſed notitia Dei quanta neceſſaria eſt ad ſalutem, eaque viva, formata & (ut ita dicam) affectiva, quâ ſic Deus cognoſcitur, ut etiam diligatur. 2º Promiſſionem non ad omnes homines, nec ad omnes Chriſtianos bonos & malos, ſed ad omnes & ſolos filios novi teſtamenti pertinere, qui ſunt filii promiſſionis. 3º In verbis prophetiæ ſignificationem eſſe cujuſdam immenſæ multitudinis eorum, qui cognoſcent Dominum: ut ſenſus ſit; inter eos omnes quibus feriam teſtamentum novum, nullus erit qui proximum ſeu fratrem ſuum, videlicet ejuſdem populi, ejuſdem teſtamenti conſortem, doceat notitiam, amòrem & obſervantiam mei. Nec ſanè opus erit, omnes enim illi, quorum quidem erit maxima & longè latèque diffuſa multitudo, cognoſcent, amabunt & obſervabunt me. Ratio eſt, quia legem meam habebunt inditam & inſcriptam in cordibus ſuis, & quia erunt docti à Domino: & habentes unctionem magiſtram à ſancto Spiri-

tu; non à privato ſpiritu, ſed publico & communi omnium Chriſtianorum, de quo *Greg hom.* 30. *in Evang.* & *Aug. in epiſt. Joan.* c. 2. ℣. 20. & 27. ex *Eſtio.*

℣. 12. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.*

Mens enim à peccatis mundata, prædicantibus Apoſtolis, confeſtim Chriſti fidem ſuſcipiebat; vel vox *quia* non cauſaliter, ſed expletivè ſumitur; ut ſit ſenſus: deniquè ut nihil deſit ad gratiam, nihilque relinquatur impedimenti ad vitam æternam, omnia eis peccata tam priora, quàm poſteriora condonabo; ex *Eſtio.* Hactenùs ſunt verba Prophetæ, quibus Novum Teſtamentum Veteri longè præfertur: ſequitur nunc conſequentia, quam *Paulus* ex iiſdem deducit.

℣. 13. *Dicendo autem novum: veteravit prius. Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.*

Hunc locum ex *Jeremia* adduxit *Paulus*, ut probaret prædictam fuiſſe veteris teſtamenti abrogationem, ſuccedente novo, q.d. nequaquam aliud teſtamentum novum appellaret, niſi vetus aliquando ſciret quàm proximè interiturum & ceſſaturum, quod utique factum eſt ſuccedente Evangelio; ita *Gaig.* Simile eſt ratiocinium *ſuprà* ℣. 7.

CAPUT IX.

Veteris Sacerdotii ritus cum novo confert, oſtendens vetus ſanctificare non poſſe. Et quantum à veteri Pontifice Chriſtus differat.

℣. 1. *Habuit quidem & prius, juſtificationes culturæ, & Sanctum ſeculare.*

APoſtolus diſputationem, quam de comparatione Sacerdotii Chriſti cum Levitico in præcedentibus inſtituerat, *hoc & ſequenti Capite* proſequitur. Et quidem quia ſtatim dixerat, antiquatum eſſe vetus teſtamentum & illi ſucceſſiſſe novum, nunc ne vetus damnare videatur, ſubdit; *habuit quidem & prius juſtificationes culturæ*, id eſt, leges & ritus colendi Deum, & quidquid ad cultum Dei & ſacrificium pertinebat & ad miniſterium tabernaculi. Porrò *juſtificationes*, græcè δικαιώματα, voce à LXX. uſurpatâ, dicuntur mandata Dei: quia in eorum obſervatione propriè conſiſtit hominum juſtitia: teſte Apoſtolo ad *Rom.* 2. ℣. 13. *Et ſanctum ſeculare*, id eſt, mundanum, ex græco. *Chryſoſtomus ſanctum mundanum* interpretatur locum ſeu templi ſeu tabernaculi, ad quem non ſolùm vulgo Judæorum, ſed promiſcuè cujuſvis nationis ac totius mundi hominibus acceſſus patebat: indè enim vult

dictum fuiſſe *mundanum*; *nam Judæi*, inquit, *non erant mundus.* *Cajetanus* interpretatur *ſanctum mundanum* abſtractivè, ſanctitatem ſeu munditiam in oculis mundi hujus: alii tabernaculum, quod idem ſanctuarium dictum eſt. *Theodoretus* abſolutè tabernaculum intellexit, idque cenſet appellari *mundanum*, eo quòd totius mundi figuram teneat; velo enim interpoſito dividebatur in duas partes, quarum una vocabatur *Sancta*; altera *Sancta ſanctorum*: & Sancta quidem repræſentabant vitam quæ in terra agitur: Sancta autem Sanctorum formam ac rationem vitæ quæ agitur in cælis, ipſum autem velum implebat uſum firmamenti dividentis hæc inferiora à ſupernis. Idem refert *Oecum.* & *Joſeph. l.* 3. *antiq. cap.* 5. Nobis, inquit *Eſtius*, ratio *Theodoreti* ſpecioſa magis quàm vera apparet; quamquam hoc amplectimur, quod Sanctum totum tabernaculum interpretatus eſt. Et putat hic Author, Tabernaculum *mundanum* dici juxta morem quo Chriſtus & Apoſtoli de mundo loqui ſolent, ùt diſtinguitur contra cælum: *mundanum* ſcilicet ſeu terrenum eſt, non cæleſte: quatenùs ſcilicet miniſterium ejus terrenum erat, ac miniſtri ejus ſuper terram. Et teſtamentum in deterioribus, hoc eſt, terrenis promiſſionibus ſancitum gratiam non conferebat: quæ omnia *Superiori cap.* ſatìs indicantur. Sic mundanum accipitur *Epiſt. ad Tit.* 2. ℣. 12., *Matth.* c. 5. ℣. 14. & c. 16. ℣. 26., *Joan.* 9. ℣. 5. & 1. *Cor.* 7. ℣. 31.; ex *Eſtio.*

℣. 2. *Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta.*

Quod dixit de Sancto ſeculari, nunc partibus

explicat. *Primum* non tam temporis quàm loci ordinem ſignificat. Nam ea pars tabernaculi, quæ hìc deſcribitur, ingredientibus prior erat. Porrò *factum* intellige non quomodocumque, ſed adornatum ex græco *Candelabrum* unum fuit quantùm ad ſtipitem, ſed plura quantùm ad ramos è ſtipite ſurgentes : uſus *menſa* erat, ut in ea proponerentur *panes propoſitionis*, qui ponebantur coram Domino novi ſingulis hebdomadis. *Quæ* referri poteſt ex græco ad menſam vel ad propoſitionem panum, vel meliùs ad tabernaculum; ut ſenſus ſit, tabernaculum illud primum communi nomine vocari *Sancta* vel *ſanctum*, vel ſanctuarium ; ex *Chryſ.* Undè ſequitur.

℣. 3. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum :*

Quamvis hìc de ſecundo tabernaculo loquatur Apoſtolus, in verbis tamen ejus dictio *Secundum* non eſt ad *tabernaculum* referenda ſed ad *velamentum :* ùt patet ex græco, in quo *tabernaculum* & *ſecundum* genere differunt. Sentit itaque Apoſtol., *poſt ſecundum velum* fuiſſe aliud *tabernaculum*, id eſt, eam tabernaculi partem, quæ *Sancta Sanctorum* vocabatur. Dicit autem *ſecundum* velum : nam *Exod.* 26. duo vela fieri jubentur ; alterum interius, quod ſanctum divideret à Sancto ſanctorum, quod velum hìc dicitur *ſecundum :* alterum exterius, quod Sanctum ſepararet ab atrio foris poſito, quod proindè ingredientibus erat *primum.* Præter hæc duo fuerunt alia duo tabernaculi vela, ùt putat *Gallenus.* Dicitur autem Hebræis Sanctum ſanctorum, tanquam eximiè ſanctum, ùt Canticum Canticorum, id eſt, præſtantiſſimum Canticum, & cœlum cœlo-

rum, id eſt, ſupremum cælum, & Virgo Virginum, id eſt, excellentiſſima virgo, ex *Eſtio* & *Ribera*.

℣. 4. *Aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ frondueerat, & tabulæ teſtamenti,*

De *thuribulo aureo*, quod erat in Sancta ſanctorum, nihil habemus in Scriptura: leguntur quidem facta, *Exod.* 25. & 31. Sunt, qui ſuſpicentur *Paulum* id habere ex traditione non ſcripta. Alii dicunt, ſermonem hìc eſſe de thuribulo, in quo Pontifex ingreſſus in Sanctum ſanctorum adolebat thymiama, ùt *Levit.* 16. Alii veriùs putant, thuribuli nomine ſignificari hoc loco *altare thymiamatis*, *Exod.* 30.; ex *Orig. hom.* 9. *ſuper Exod.* & *Ribera*. Non quòd ex auro ſolido confectum eſſet; erat enim ex lignis ſetim, ſed quia totum auro tectum, ùt 3. *Reg.* 7. Deindè altare illud aureum vocatur à Moyſe *Exod.* 39. & 40., & *Num.* 4. *Arca teſtamenti* ſeu fœderis ita appellatur, quòd in ea tabulæ legis Moyſi datæ reconderentur. *In qua erat urna aurea & virga Aaron quæ fronduerat*, ùt narratur *Num.* 17.; quâ virgâ Moyſes & Aaron communiter ad edenda ſigna utebantur: ùt patet *Num.* 20. propter quod & virga Dei dicta eſt, *Exod.* 4. & 17. *Et tabulæ teſtamenti*; tametſi ab initio in Arca ſolæ poſitæ ſint *teſtamenti tabulæ*, verùm ùt *Theophylactus* inquit, cùm ingruentibus bellis abſcondi arcam oporteret, ùt Jeremiæ temporibus factum eſt, fortè unà incluſa ſunt in arcam & urna mannæ & virga Aaron: quod à Gamaliele didiciſſe poterat *Paulus*, ex *Gaig*. Alii quidem dicunt, non quidem tempo-

re Jeremiæ, ſed tamen poſt Salomonem in arca fuiſſe repoſitas urnam & virgam, quo ſic meliùs ſervarentur. *S. Thomas* dicit, ſolas tabulas in arca fuiſſe principaliter, per occaſionem verò & virgam & urnam. Sunt qui virgam & urnam non intra arcam ponant, ſed extrà in arcula quadam ùt *Lyran.* Sunt qui ex græco dicunt, *in qua* non ad arcam, ſed ad tabernaculum referri; ut ſenſus ſit, in quo tabernaculo urna erat aurea habens manna & virga Aaron, &c.; qui ſenſus perſpicuam habet veritatem, ex *Ribera.* Alii, inter quos *Eſtius*, in arca fuiſſe dicunt, quia juxta arcam erant more Scripturæ, ſic *Jerem.* 35. ℣. 2. dicitur: *Et introduces eos in domum Domini in unam exedram*, & *Joan.* 10. ℣. 23. *Et ambulabat Jeſus in templo in porticu Salomonis.* Cùm tamen neque exedra, neque porticus eſſent pars templi, ſed ſtructuræ foris adjunctæ. Nec ſecùs accipiendum eſt quod legitur *Matth.* 12., *Marc.* 11., *Luc.* 19. & *Joan.* 2. eos, qui erant ementes & vendentes *in templo*, indè ejectos fuiſſe. Simile eſt quod *Luc.* 9. legitur: *& dicebant exceſſum ejus quem completurus erat in Jeruſalem*: & *Luc.* 13. *non capit prophetam perire extra Jeruſalem.* Nam Chriſtus Dominus, de quo utrumque dictum eſt, non intra Jeroſolymam ſed prope eam in monte Calvariæ occiſus eſt: ita *Anſel.*, *Herveus* & *Eſtius*, in quo vide rationes quare alias de hac re opiniones rejiciat.

℣. 5. *Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non eſt modò dicendum per ſingula.*

Cherubim gloriæ, dixit hebræâ phraſi, id eſt, *Cherubin* ſeu *Cherubim* glorioſa; quia multum majeſtatis afferrent eo loco, in quo Deus ſuam

quodammodò præſentiam exhibebat. Deſcribit eas Moyſes, *Exod.* 25. & 37.; ſed cujus figuræ fuerint, ab eo non eſt proditum. Opinio vulgata eſt, humanæ fuiſſe figuræ quem pingendi morem agnoſcunt Patres *Synodi VII. Nicenæ Act.* 4. Conſentiunt Hebræi quidam. Et favet huic opinioni plurale Cherubim maſculini generis. At verò *Joſephus lib.* 3. *Antiq. Jud.* c. 8. hanc rem facit incertam: ſaltem quantùm ad figuras illas quas Moyſes finxit. Nam quas Salomon fabricavit, humani corporis ſpeciem habuiſſe, ex ipſa eorum deſcriptione quæ legitur 3. *Reg.* 6. & 2. *Paral.* 3., ſatìs colligi videtur. Sive autem hominis ſive cujuſcumque animalis ſimilitudinem habuerint, rectè ex illis juſſu Dei factis, & in loco ſacratiſſimo collocatis argumentantur Catholici contra Judæos & hæreticos, non fuiſſe ſimpliciter vetitum Iſraëlitis, ne quam haberent imaginem aut ſimilitudinem eorum, quæ vel in cælo vel in terra ſunt vel in aquis, ſed ne haberent ad colendum, ſicut ipſa lex exponit. Neque enim ad cultum poſita fuerunt Cherubim in ſanctuario, ſed tum ad ſignificationem futurorum, tum ad augendam loci majeſtatem. *Propitiatorium* autem erat tabula aurea paris longitudinis & latitudinis cum arca teſtamenti, quam totam operiebat; ſic dictum, quòd ibi locus eſſet ubi propitiaretur, ſive placaretur Deus. *Oraculum* vertit *Hieron.*, fortè ſignificare volens, quòd ex eo loco Deus reſponſa dare ſolitus erat. *De quibus non eſt modò dicendum per ſingula.* Id eſt, ne quis à me expectet horum omnium, quæ jam enumeravi, myſticam ſignificationem, (de qua agunt *Anſel.*, *Thom.*, *Lyran.*, *Beda*) quaſi dicat, ſatìs eſt ea attingere, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent; ex *Ribera*.

℣. 6. *His verò ita compoſitis : in priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes :*

Superiùs deſcripſit tabernaculum & quæ in eo erant. Nunc de Sacerdotibus & ſacrificiis: aſſerens quòd in prius tabernaculum Sacerdotes, quoties viſum erat, intrarent & illic ſacrificarent; *ſemper*, id eſt, quotidiè. Quæſtio eſt, de quibus ſacrificiorum officiis hic agat Apoſt., cùm in priori tabernaculo nullæ victimæ offerentur? ℟. Probabilius eſt, *Paulum* non ſolùm de ſacrificiis quæ munera vocabantur, ſed & de hoſtiis agere: ad inſtitutum enim Apoſtoli pertinebat, loqui de cruentis ſacrificiis V. Legis, ut ea conferret cum ſacrificio cruento quod Chriſtus obtulit in Cruce. Loquitur igitur Apoſt. de priori tabernaculo, ut etiam comprehendat eam atrii partem, ubi erat Altare holocauſti : ex *Eſtio*.

℣. 7. *In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex non ſinè ſanguine, quem offert pro ſua & populi ignorantia :*

De hoc ingreſſu Pontificis in Sancta Sanctorum agit Moyſes *Exod.* 30., ſed multò clariùs *Levit.* 16.; ubi præcipitur Aaroni Pontifici, ut in ſolemni die expiationum, qui erat decimus ſeptimi menſis, offerat vitulum pro ſe & pro domo ſua, item hircum pro peccato populi; utriuſque verò ſanguinem inferat in ſanctuarium, ut illud eo aſpergat atque emundet. *Non ſinè ſanguine*, quibus verbis ſubindicat Apoſt., ſanguinem illum fuiſſe typum ſanguinis Chriſti. Sed difficultas eſt ex eo quòd *Exod.* 30. legatur Pontifici præceptum, ut bis quotidiè ingrediatur Sancta ſanctorum oblatu-

rus incenſum ſuper altare aureum. *Oecumenius* dicit, quòd cum ſanguine quidem ingrederetur ſemel quotannis; *ad adolendum verò bis diebus ſingulis*, *Exod.* 30.; ideòque ſignanter *hoc loco* additum putat, *non ſinè ſanguine*, id eſt, cum ſanguine. Similiter habet gloſſa ordinaria, quæ deſumpta videtur ex *Aug. ſuper Exod. qq.* 133. & 174. Eidem ſententiæ poſt *Gagnæum* ſubſcripſit author hujus operis. *Eſtius* autem poſt *S. Thom.*, *Lyran.* & *Riber.* docet Pontificem tantùm ſemel in anno ingredi ſolitum Sancta Sanctorum: & altare ad quod quotidiè bis intrabat, non intra velum in Sanctis Sanctorum fuiſſe; ſed exteriùs ei admotum. *Quem offert pro ſua*, græcè, *pro ſeipſo & populi ignorantia.* Hoc eſt, pro delictis non ex certa ſcientia perpetratis, quæ hujuſmodi hoſtiis non expiabantur; ſed pro peccatis *ex ignorantia* & fragilitate factis: in quo præſtantior eſt Chriſtus Pontifex, quàm legalis; quòd non pro ſuis delictis, quibus caruit, offerret, nec delicta tantùm ex ignorantia, ſed etiam ex certo propoſito perpetrata expiaret, ita *Gaig.*, *Oecumenius* vult, Apoſtolum hìc agere de peccatis ignorantiæ propriè acceptis, id eſt, pro peccatis quæ ignoranter admiſſa fuerunt. *S. Thomas* verò de ignorantiâ latè ſumpta intelligit; quatenùs ſcilicet omne peccatum ex errore judicii procedit. Et quòd Apoſtolus hìc non poſſit intelligi de peccatis ignorantiæ propriè dictæ, pluribus evidenter probat *Eſtius*. Undè notandum *Paulum* præſtantiam Chriſti ſuper Pontificem V. Legis unicè commendare ex eo quòd Chriſtus utpotè Sanctus & Innocens, ùt *ſuprà* dixit *Cap.* 7., non debeat pro ſe ipſo offerre.

℣. 8. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondùm propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.*

Nunc aggreditur *Paulus* anagogicè interpretari, quæ de tabernaculo dicta ſunt; hujuſmodi, inquit, erant tabernacula, hujuſmodi ritus. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto*, id eſt, per hoc quòd in Sancta ſanctorum ceteris Sacerdotibus non patebat acceſſus, ſignificabat Spiritus ſanctus, quòd *priore tabernaculo*, ſive lege *adhuc ſtatum habente*, hoc eſt, ſtante ac in ſuo robore perſeverante ante Chriſti ſcilicet mortem, *nondùm propalata eſſet via Sanctorum*, id eſt, nondùm ad Sancta ſanctorum, ſive ad ipſum cælum in illis figuratum pateret nequidem ipſis Judæorum præcipuis Sacerdotibus acceſſus; in quod ſolus Sacerdos ſummus Chriſtus prior ingreſſus, antiquatâ per mortem ſuam lege nobis aditum fecit: Vel *via ſanctorum nondum propalata eſt* ſcilicet Chriſtus dicens, *ego ſum via*, *Joan.* 14. Qui, inquit, ſtante priore tabernaculo, id eſt, veteri teſtamento, non erat manifeſtatus, quia adhuc latebat ſub figuris: ita *S. Thom.*

℣. 9. *Quæ parabola eſt temporis inſtantis: juxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodò in cibis, & in potibus,*

Quæ parabola vel ſimilitudo uſque ad *præſens tempus*, ſubaudi, fuit vel duravit, ut ſit ſenſus: quæ ſimilitudo, vel qui typus tabernaculi legalis, uſque ad præſens tempus duravit. Si enim omnia, quæ de tabernaculo dicta ſunt, typus erant Chriſti, completa ſunt

illa ac finem habent. *Juxta quam* ſcilicet ſimilitudinem, id eſt, ſecundùm quem typum *munera & hoſtiæ*, hoc eſt, oblationes ac carnales victimæ *offeruntur*, *quæ non poſſunt ſecundùm conſcientiam*, id eſt, *animam*, ſive ſpiritualiter, *perfectum facere ſervientem*, id eſt, hujuſmodi hoſtias offerentem: & quare non poſſent perficere? Quia carnalia tantùm offerebant, quæ animam mundare non valebant: vel meliùs, quæ munera non poſſunt hominem perficere in ipſis *ſolummodò* carnalibus rebus & mandatis ſita; ſcilicet *in cibis* & *potibus*, ſive in mandatis, quæ quid edas, quo abſtineas, decernunt, ita *Eſtius* & *Gaig. poſt Chryſ.*

℣. 10. ***Et variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis.***

Non de Phariſaïcis lotionibus, quarum mentio eſt *Matth.* 23. & *Marc.* 7., locus hic exponendus: agit enim Apoſtolus de ſacrificiis & ceremoniis legis, non de inſtitutis humanis, ex *S.Thom.* Multæ erant lotiones ad ſacrificia ordinatæ: ùt ſummi Pontificis in die expiationis, de quibus *Lev.* 16.; nec non aliorum Sacerdotum & eorum pro quibus oblationes fiebant; imò & victimarum & pedum & inteſtinorum &c. In quarum uſum juſſus eſt Moyſes *Exod.* 30. facere labrum æneum. *Et juſtitiis carnis*, græcè, *juſtificationibus:* quas *initio capitis* vocavit *juſtificationes culturæ*, id eſt, cæremonias ad Dei cultum ordinatas. Vocat autem *juſtitias*, ſeu juſtificationes *carnis*, id eſt, carnales, quia valebant tantùm ad munditiam corporalem & externam quam lex exigebat, ut quis eſſet aptus ſacrificiis offerendis & ſacris tractandis; ad animam verò non pertingebant. *Uſque ad tempus correctionis impoſitis.* Quibus

verbis indicat Apoſtolus, illa mandata, vel illa ſacrificia benè impoſita fuiſſe ut iis interim Judæi exercerentur & in cultu continerentur, donec Chriſtus veniret : ùt de univerſa lege cæremoniali dixit ad *Gal.* c. 3. ℣. 23. & 24., & c. 4. ℣. 3. & 4. Benè igitur illa *uſque ad tempus correctionis*, id eſt, uſque ad Chriſti adventum erant impoſita, quia omnia in meliorem formam erat emendaturus non ùt mala, ſed ùt imperfecta, ex *Chryſ.*

℣. 11. *Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis:*

℣. 12. *Neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.*

Myſterium eorum, quæ dixit agi in ſecundo tabernaculo quo ſtatus Novi Teſtamenti repræſentatur, nunc pleniùs ac diſtinctiùs exponit; adeò quidem ut *S. Thomas* quinque circumſtantias miniſterii, quod fiebat in ſecundo tabernaculo, colligat hìc ab Apoſtolo applicatas miniſterio Chriſti in Novo Teſtamento. 1ma eſt, quis miniſtraturus intrabat. 2da Quomodo intrabat. 3tia Quando intrabat, videlicet *ſemel* in anno. 4ta Dignitas & ſanctitudo loci; erat enim *Sancta Sanctorum*. 5ta Quare intrabat, utique pro expiatione peccatorum; quod *ſuprà* ℣. 7. ſignificatum fuit, *pro populi ignorantia.* Addi poteſt ſexta, quâ viâ intrabat; nempè per prius tabernaculum. Prima applicatur in eo quòd *Chriſtum* nominet, cumque *pontificem futurorum bonorum.* De Chriſti dignitate ejuſque comparatione cum Pontifice Aaronico

multa *in ſuperioribus* dicta ſunt. *Futurorum bonorum* pontifex dicitur, quia per miniſterium ſacerdotii ſui nobis interceſſor eſt & dux ad bona æterna. Undè & *Iſaiæ* 9. *Pater futuri ſeculi* vocatur. Etſi Eccleſia per Chriſtum interdùm petat à Deo bona quædam temporalia, non aliâ intentione petit quàm ut adminiculo nobis ſint ad futura. Hinc è contrario diſce, pontificem V. Teſt. tantùm fuiſſe præſentium bonorum; ùt expreſſiùs ſignificatur c. 10. ℣. 1.; & idipſum oſtendunt promiſſa V. Teſtam. in *Levit* & *Deut.* in quibus nulla fit mentio bonorum futuri ſeculi. Secunda, tertia & quarta applicantur in his verbis, *ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta.* Nam Pontifex intrabat cum ſanguine hircino & vitulino; Chriſtus verò *per proprium.* Ille *ſemel* in anno, hic *ſemel* omninò. Ille *in ſancta manufacta*, hic *in ſancta* cæleſtia. Sexta applicatur in his: *Per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis.* Dicitur hoc quoque ad differentiam Veteris Tabernaculi, quod hominum manibus & arte fabricatum fuiſſe ſcriptura memorat. De quo autem tabernaculo agat Apoſtolus, non exponit: & variæ de eo ſunt opiniones. Sunt qui hoc de cælo interpretantur: ùt *Lyran.* Alii ſignificari volunt Eccleſiam: ùt *Cajet.* Alii B. Virginem Mariam: ùt *Cathar.* Quamvis autem tam Eccleſia, quàm D. Virgo ſint tabernacula Moſaïco longè *perfectiora*, neque manufacta, nec hujus creationis; tamen hæ tabernaculi ſignificationes nuſquam à *Paulo* attinguntur. Hinc *Eſtio* præplacet hìc intelligere corpus ſeu carnem Chriſti, vel naturam humanam: ſic Græci omnes & Latini plerique, inter hos *Aug.* & *Thom.* Quem intellectum probatum vide in *Eſtio.* Hoc *tabernaculum* dignitate & modo

rationis, utpotè ſupra naturæ facultatem formatum in utero virginis, præſtat tabernaculo Veteri; tum etiam quia perficit & ſanctificat accedentes ad ipſum. Senſus horum verſuum eſt: *Chriſtus autem aſſiſtens*, ſeu accedens vel potiùs ex græco, *cùm acceſſiſſet*; id eſt, adventu & incarnatione ſuâ factus *pontifex bonorum* cæleſtium per corpus ſuum ſeu potiùs per paſſionem & oblationem ſui corporis, atque ita *per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta* cæleſtia, *æternâ redemptione inventâ*, græcè, *æternam redemptionem inveniens*. Dicitur *æterna*, vel quia vera & ſolida ſemperque manſura eſt: vel quia æterna eſt hereditas, quam nobis nihil tale opinantibus nec merentibus invenit & acquiſivit. Per quæ quinta circumſtantia applicatur. Chriſtus enim non pro ſuis, ſicut legalis pontifex, ſed tantùm pro alienis peccatis ſacrificium obtulit; quòd valuit ad æternam redemptionem, non item ſacrificium Aaronicum. Id enim intelligendum relinquitur ex antitheſi: ex *Eſtio*.

℣. 13. *Si enim ſanguis hircorum, & thaurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis:*

℣. 14. *Quantò magìs ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?*

Probatio eſt ejus, quod ſtatim dixerat de æterna redemptione. *Si enim ſanguis & cinis* irrationabilium animalium ſuper *inquinatos*, ſeu immundos *aſperſus* ſanctificare ſeu emundare homines ad puritatem carnis potuit, *quantò*

magìs ſanguis Chriſti, qui, cùm Pontifex eſſet, hoſtia quoque factus eſt quando *ſemetipſum per Spiritum ſanctum immaculatum Deo* Patri *obtulit* in ara crucis, *emundabit* non carnem tantùm, ſed *conſcientiam* & mentem *ab operibus mortuis*, ſive peccatis, *ad ſerviendum Deo viventi?* Id eſt, ut ab illis emundati verè Deo ſerviamus. Pro eo verò, quod interpres noſter habet: *per Spiritum ſanctum*, græcè legitur per ſpiritum æternum; ſed idem ſignificat, ſcilicet tertiam in divinis perſonam. Alludit autem hìc Apoſtolus ad legem, in qua qui morticinium contigerat, immundus erat, & arcebatur à templo, niſi priùs purgatione facta. Sic, qui morticinium peccati per conſenſum attrectat, immundus eſt arceturque à vero-templo cæleſti: ſed ab illis nos immunditiis per ſuum ſanguinem Chriſtus emundavit; quoniam verò erant, qui exiſtimarent, Chriſto mortuo jam non poſſe per eum peccata remitti, oſtendit vel hoc magìs remitti poſſe dicens, ùt notat *Gaig.*

℣. 15. *Et ideò novi teſtamenti mediator eſt: ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hereditatis.*

Volebat Pater nos heredes fieri promiſſionum, at non poteramus cùm inimici eſſemus factique ipſi inimici. Quid ergo? Filius *mediator* factus eſt, & Patri nos reconciliavit; ſed quoniam oportuit nos, qui in terra degebamus, pœnas dare ob peccata, quibus deliquimus, etiam has ipſas pro nobis ſuſtinuit Filius ipſe crucifixus: *ut morte interveniente*, græcè, *ut morte factâ in redemptionem earum prævaricationum &c.*; facta eſt enim mors Chriſti, ut re-

dimerentur ac ſolverentur transgreſſiones, quæ fuerunt ſub *priori teſtamento*, ut hoc modo *promiſſionem* acciperemus *æternæ hereditatis*, *qui vocati* eramus: at ipſi noſipſos peccando privaveramus illâ hereditate. Hoc igitur præſtat Chriſtus nobis manifeſtatus. *Vocatos* intellige vocatione Dei gratuitâ & efficaci, id eſt, electos, prædeſtinatos ad vitam æternam, ùt *Rom.* 8. ℣. 28., ex *S. Thom.* & *Cajet.* Eos autem intelligit qui tempore legis vocati ſunt ad vitam æternam, ex *Ribera*. Notari meretur, Apoſtolum non ſentire, prævaricationes illas antiqui temporis non antè potuiſſe redimi, quàm Chriſtus moreretur; ſed eas non niſi morte Chriſti redimi potuiſſe.

℣. 16. ***Ubi enim teſtamentum eſt: mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.***

Dixi, quia *mediator novi teſtamenti eſt*, *ut morte* ejus *intercedente* perveniremus ad poſſeſſionem hereditatis, quæ in teſtamento ſcripta eſt: *neceſſe* autem fuit ut mors ejus intercederet; nam ita fit in omnibus teſtamentis: *ubicùmque enim fit teſtamentum*, *neceſſe eſt*, *ut mors teſtatoris intercedat*, id eſt, ut priùs moriatur ille, qui teſtamentum fecit, quàm ille, qui teſtamento deſignatus eſt heres, habere poſſit hereditatem, ita *Anſel.* Supponit Apoſt. Chriſtum, ita mediatorem eſſe novi teſtamenti, ut idem ipſe etiam teſtator ſit, id eſt, teſtamenti author & hereditatis promiſſor, ùt *Luc.* 22. ℣. 29.

℣. 17. ***Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondùm valet, dum vivit qui teſtatus eſt.***

Nam, inquit, *teſtamentum* ita demùm jure ratum habetur, ſi mortuus fuerit teſtator;

alioqui robur ac jus nullum habet. Neque enim agere quis poteſt jure teſtamenti, teſtatore adhuc ſuperſtite, ùt cui liberum ſit dum vivit, teſtamentum mutare. Valuit tamen teſtamentum novum ante mortem Chriſti teſtatoris ad juſtificationem propter præſcientiam & acceptationem Patris, quâ mortem Filii ſui futuram aſpiciens acceptavit, ùt factam; non ſic quidem, ut omnes teſtamenti partes impleret in electis Chriſti mortem præcedentibus; ſed ut eas ſaltem, quas impleri contingit in hac vita; quales ſunt omnes partes juſtificationis noſtræ, quæ ex *Jerem, cap. præc.* recenſuit Apoſt. Nam cæleſtem hereditatem cuique dari ante mortem & glorificationem Chriſti non fuit conveniens. Malè *Eraſmus* & *Cajetanus* inferunt, hanc Epiſtolam à *Paulo* non eſſe ſcriptam ex hoc quòd à *pacto* ſeu fœdere, quod vox hebræa *Jerem.* 31. ℣. 31. & *Exod.* 24. ad quæ *Paulus* reſpicit, ſolùm ſignificat, tranſeat ad *teſtamentum*; quod dubium pluribus rationibus reſolvunt & elucidant *Ribera* & *Eſtius*.

℣. 18. *Undè nec primum quidem ſinè ſanguine dedicatum eſt.*

Dedicatum, græcè, *roboratum*, *ſancitum*, *confirmatum*. Ut ſenſus ſit; non mirum quòd dixi, novum teſtamentum ſinè ſanguine & morte mediatoris Chriſti non potuiſſe confirmari: quandoquidem *nec primum* illud & vetus teſtamentum, quamvis non ita propriè teſtamentum eſſet, *ſinè ſanguine confirmatum* ſit. Nam in eo ſanciendo cæſæ ſunt victimæ quarum ſanguis præfiguraret ſanguinem Chriſti; quod probat.

℣. 19. *Lecto enim omni mandato legis à Moyſe univerſo populo: accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo: ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit,*

Poſtquam enim *Moyſes* è libro recitaſſet *univerſo populo* omnia mandata quæ lege continebantur: ea videlicet omnia quæ ſcripta ſunt, *Exod.* 20. ab initio Legis, ubi dicitur, *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. & deinceps uſque ad finem *cap.* 23. Quod autem *Paulus*, qui ſine dubio reſpicit ad hiſtoriam *Exod.* 24., ſanguinem certorum animalium nominat *hirci* ſcilicet & *vituli*, atque illum aquâ commixtum, nimirùm quo liquidior fieret ad aſpergendum; ſimiliter quòd *lanæ coccineæ & hyſſopi* meminit, quibus confectum dicunt aſperſorium; veriſimile eſt, *Paulum* legiſperitum, aut id ſcriptum, *Exod.* 24., *Levit.* 14. vel *Num.* 19. legiſſe; aut à majoribus accepiſſe. Non tantùm autem teſtamentum vetus tunc à Moyſe ſanguine confirmatum eſt, ſed nulla penè in lege mundatio, nulla remiſſio ſinè ſanguine fiebat, ita *Gaig.* Sanguis & aqua ſignificabat ſanguinem & aquam, quæ de latere Domini profluxerunt, *Joan.* 19. *S. Thomas* ideò ſanguinem cum aqua fluxiſſe dicit, quia baptiſmus à ſanguine Chriſti efficaciam habet. Significabat autem hæc ſanguinis ſuper librum & ſuper populum aſperſio, nec legem impleri poſſe, nec populum à peccatis expiari, niſi virtute ſanguinis Chriſti, ex *Eſtio.*

℣. 20. *Dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.*

Hic eſt *ſanguis*, quo dedicatur & confirma-

tur fœdus, quod Deus ſuo mandato & meo miniſterio nunc vobiſcum pepigit. Hoc autem erat fœdus quod vocatur vetus teſtamentum. Porrò quoniam ſanguis ille Veteris Teſtamenti de quo teſtatur Apoſtolus dictum eſſe à Moyſe: *Hic ſanguis teſtamenti*, &c. figura fuit ſanguinis Chriſti per quem novum teſtamentum erat confirmandum: ideò Chriſtus ſimilibus verbis ùti voluit inſtituendo Sacramento ſanguinis ſui; ùt diceret: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*, *Matth.* 26., & *Marc.* 14. Et ſicut verborum Moyſis non eſt ſenſus: hoc eſt ſignum ſanguinis, ſed hic eſt verè propriè ſanguis teſtamenti, ita nec verborum Chriſti ſenſus eſt, hoc eſt ſignum ſanguinis mei, ſed hic verè ac propriè ſanguis meus eſt, novi teſtamenti confirmativus: ùt notat *Eſtius*.

℣. 21. *Etiam tabernaculum, & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit.*

Tabernaculum & vaſa miniſterii (quo nomine comprehenditur tota tabernaculi ſuppellex) nondùm erant fabricata, quando Moyſes teſtamentum dedicavit: non ergo tunc ea ſanguine potuerunt aſpergi. Verùm ſentit *Paulus* id factum quando fabricata fuerunt: Quod, quando factum ſit, quæritur; cùm à Moyſe ſcripto proditum non ſit, niſi in parte; dum refert *Levit.* 8., ſe ſumpto unguento & ſanguine *aſperſiſſe ſuper Aaron & veſtimenta ejus*, &c. Quod autem in parte à Moyſe expreſſum eſt, *Paulus* intellexit ad totum poſſe referri, ſcivitque referendum eſſe; videlicet edoctus à majoribus. Horum omnium mentionem fecit *Joſephus lib.* 2. *antiq. Judaic. cap.* 9. Per *tabernaculum* Eccleſia, per *vaſa* vel miniſtri vel membra Eccleſiæ, id eſt, ſinguli quique fideles, ſigni-

ſignificantur. Hos enim *Paulus* 2.*Tim.* 2. *magnæ domûs vaſa* appellat. Nihil autem horum ſanctificatur, niſi per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, ùt dicit *Petrus* 1. *Epiſt.* c. 1. ℣. 2.

℣. 22. *Et omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur: & ſinè ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

Dicit *penè* ſeu ferè *omnia* quia non purè neque ſincerè tunc purificabantur, ſiquidem corporales tunc erant purificationes, quæ typi erant earum, quæ nunc & animas & corpora purificant. Et quamvis nonnullæ mundationes legales fierent *ſinè ſanguine*, nulla tamen ad legalem remiſſionem peccatorum inſtituta erat cæremonia, quæ ſanguinis effuſionem non exigeret, ùt patet *Levit.* 4. Ita nec in nova lege fit remiſſio vera peccatorum ſinè effuſione ſanguinis Chriſti; ex *Eſtio* poſt *Chryſoſt.* & *Theophyl.*

℣. 23. *Neceſſe eſt ergò exemplaria quidem cæleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis.*

Quod ait, *neceſſe eſt*, indicat ordinationem divinam quam neceſſe fuit impleri, tam in figuris præcedentibus quàm in ſequentibus. *Exemplaria cœleſtium* vocat illa quæ proximè dixerat de mundatione tabernaculi & vaſorum &c. Quo nomine etiam uſus eſt c. 8. ℣. 5. Significantur autem græco vocabulo obſcuræ quædam delineationes rerum. *Cœleſtia* vocat Eccleſiam Chriſti militantem & quæ in ea geruntur propter fidem & ſpem ad *cœleſtia* ſpectantem; ita *Chryſ.* & *Anſel.*; vel omnia quæ ſunt in novo teſtamento, ex *Oecum.*; vel cœleſtem patriam, id eſt, cœlum ſeu habitationem cœleſtem; ex *Lyran.* & *S. Thoma*; qui eam mundari explicant per analogiam mundationis

tabernaculi Moſaici. Sicut enim tabernaculum dicebatur emundari, non quòd in ſe haberet aliquam immunditiam, ſed quia tollebantur aliquæ irregularitates ſeu legales immunditiæ, quibus impediebantur homines quominùs ad tabernaculum accederent; ita dicunt juxta Apoſtolum mundari cœleſtia, quatenùs homines mundantur à peccatis quibus impediuntur ab ingreſſu regni cœleſtis: hanc explicationem *Ribera* non probat eò quòd duriùs ſonet cœlum mundari: & ſentit per *cœleſtia* quidem rectè accipi cœlum ipſum; ſed emundationem horum cœleſtium aliter interpretatur; dicitque *Paulum* ℣. 24. non alludere ad dedicationem tabernaculi; ſed ad introitum Pontificis in Sancta Sanctorum *Lev.* 16. ad expiandum ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël. Per quæ declaratur ibi non agi de mundatione hominum ab immunditiis; ſed ipſius tabernaculi, quod quaſi continuò polluebatur peccatis filiorum Iſraël, in quorum medio erat conſtitutum; non quòd ex eorum peccatis veram contraheret immunditiam: ſed quia propter irreverentiam hominum circumcircà morantium atque peccantium, ipſi loco detrahebatur ſuus honos; quo modo nunc loca Deo dicata pollui dicuntur, cùm enormia quædam peccata in iis committuntur. Eodem modo, inquit *Ribera*, cœlum, quod Dei locus eſt multò præſtantior & venerabilior, pollutum fuit peccato primorum parentum, ac deinceps aliorum hominum peccatis continuò polluitur; quatenùs illa in cœlum aſcendentia, ſicut ſcriptura loquitur, teterrimo ſuo odore, Deum cœli habitatorem graviter offendunt, ipſumque ejus habitaculum quodammodò inficiunt: emundari verò dicitur cùm per ſanguinem Chriſti peccatorum fœtor tollitur, ac Deo placita ab hominibus

opera exercentur: hâc enim ratione cœlo reſtitui cenſetur honor ablatus. *Eſtio* præplacet per *cæleſtia* totam Eccleſiam intelligere; ut ſenſus ſit: ipſa *cæleſtia*, id eſt, tota Eccleſia, tam triumphantem quàm militantem complectens, mundatur, id eſt, munditiam ac ſanctitatem ſuam omnem continuò accipit ab *hoſtia melior*, quæ eſt Chriſtus in cruce oblatus. Non enim ita Chriſtus Eccleſiam ſuam ſanguine mundat, ut mundare aliquando deſinat; ſi mundare eſt munditiam & ſanctitatem impertiri: ſed ſemper id facit & facturus eſt. In eo quod dicit Apoſtolus *melioribus hoſtiis*, cùm de una Chriſti hoſtia loquatur, enallage numeri eſt, ad quam invitabat numerus pluralis præcedens: ita *Eſtius*. Niſi fortè Apoſtolus inſinuare voluerit hoſtiam cruentam ſemel oblatam, & incruentam quæ quotidiè offertur, ratione duas, ſed re unicam. Uti credibile eſt inſinuari c. 13. ℣. 10.

℣. 24. *Non enim in manufacta Sancta Jeſus introïvit exemplaria verorum: ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:*

Quoniam Judæi Pontifices & Sacerdotes extollebant propter templum, vide quomodo illud Apoſtolus deprimat comparatione ad cœlum; ſimul declarans, quòd dixerat *cæleſtia*. Nam Pontifex quidem Aaronicus introibat in Sanctuarium *manufactum*, id eſt, humanâ arte fabricatum: Chriſtus verò *non in manufacta Sancta introivit*, quæ *verorum* ſanctorum tantùm *exemplaria* ſeu figuræ erant; *ſed in ipſum cælum*, à quo *cæleſtia* nominantur, id eſt, *in ſancta vera & tabernaculum verum*: ut ea appellavit c. 8. ℣. 2. Intraſſet quidem in manufacta Sancta, ſi ea voluiſſet ita ſanctificare, ut

intrantes reciperent mundationem à peccatis; ſed in ea non intrando deſignat, quòd jam nullus ibi munditiam animæ conſequi poterit. Ideò contempſit ea & non ſanctificavit, quia ſunt *exemplaria verorum*, non ipſa ſunt vera; *ſed* intravit *in cælum* per illa ſignificatum, *ut appareat vultui Dei*, non dicit, ut emundet cœlum: ſicut Sacerdos Leviticus introïbat in Sancta ſanctorum ut illud expiaret. Hoc differt ut commodiùs de eo agat *in ſequentibus*: hìc vero aliud munus Pontificis Chriſto in cœlum recepto aſſignat; quod etiam ad emundationem pertinet, ſimulque alludit ad ritum Veteris Legis: ubi Pontifex ingreſſus in Sancta ſanctorum ſtabat coram propitiatorio, ut oraret pro pòpulo: ita Chriſtum dicit introiſſe in cœlum, *ut vultui Dei* ſe pro nobis ſiſtat, id eſt, ut apud Deum pro nobis interpellet, ùt *cap.* 7. ℣. 25. *Nunc*, dum non videmus eum, hoc facit; vel *nunc* in plenitudine temporis gratiæ poſt conſummationem operum, quæ geſſit converſatus inter homines, *apparet vultui Dei*, id eſt, præſentiæ & benevolentiæ Dei: ait *Anſel.*; vel intravit locum, ubi Deus manifeſtè videtur, ait *S. Thom.*, cui tamen ab initio ſuæ conceptionis ſemper præſens fuit, nec quomodocumque, ſed viſione perfectâ: quia *nunc* agit apud Deum, quod apud terrenum principem nemo ſolet agere, niſi priùs in ejus conſpectum admiſſus: id eſt, pro populo interpellare ac verba facere; ita *Eſtius*. Intueris, ait *Chryſ.*, quia accommodationis ac demiſſionis gratiâ ubique humilia dicta ſunt?

℣. 25. *Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodùm Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno:*

Docet non ideò Chriſtum introiſſe in cœlum,

ut iterùm ac *ſæpiùs offerat ſemetipſum*; nihil enim opus eſſe, cùm ſemel oblatus æternam redemptionem invenerit, & nequaquam prorſùs ceſſat ab actu Sacerdotali; nam & hoſtiam ſemel oblatam continuò ſiſtit & offert Patri: quod ſignificatur his verbis, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*: & adhuc quotidiè manibus ſuorum miniſtrorum per univerſam Eccleſiam offert incruentum & commemorativum ſacrificium corporis & ſanguinis ſui. De quibus plura *ſuprà* c. 7. ad illud, *Tu es Sacerdos in æternum*. Quod autem negat Apoſtolus, Chriſtum ſæpiùs offerre ſeipſum, de ea dicit oblatione, quæ per ſe valeat ad propitiandum Deum, qualis ſola eſt illa quâ ſeipſum obtulit in cruce: ab hac enim ſacramenta & ſacrificium Miſſæ vim ſuam omnem recipiunt. *Quemadmodùm Pontifex intrat*, &c. quibus vides Chriſti præcellentiam: Pontifex Aaronicus intrabat in Sancta ſanctorum ſingulis annis, Chriſtus verò ſemel; ille per ſanguinem alienum, taurorum nempè & hircorum; Chriſtus verò per proprium: ex *Chryſ.*

℣. 26. ***Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit.***

Quod dixerat Chriſtum non ideò introiſſe in cœlum, ut ſæpè ſeipſum offerat, id probat deductione ad abſurdum. Cùm enim illa oblatio non fiat ſinè ſanguine & morte, oporteret eum ſæpè pati ac mori, & toties quoties ab ipſo mundi initio peccaverunt electi: quod ordinationi Dei & gloriæ Chriſti planè repugnat, ut, qui ſemel mortem morte ſuâ ſuperavit & ad vitam immortalem iterùm reſurrexit,

iterùm repoſcatur ad mortem, ùt *Rom.*6.℣.9. & 10. *Nunc autem ſemel* (ita ut numquam poſteà) *in conſummatione ſeculorum*, id eſt, in fine temporum, ac noviſſima ætate *per hoſtiam ſuam*, ſive per immolationem ſui *apparuit ad deſtitutionem peccati*, hoc eſt, ad profligationem & extinctionem *peccati*, ita *Gaig.*; vel ad reprobationem peccati, ùt ait *Theoph.* Reſtat difficultas de intellectu illius partis, *in conſummatione ſeculorum*. Non enim dici poteſt hujus Epiſtolæ ſcriptorem opinatum fuiſſe cùm hæc ſcriberet, finem ſeculi inſtare. Quam aliquorum opinionem *Paulus* rejecit 2. *Theſſ.* 2. & *Petrus* 2. *Epiſt.* c. 3. Poteſt eadem difficultas moveri ex 1. *Joan.* 2. ℣. 18. *Eſtius* plurimorum ſuper hac re opiniones adfert; ex quibus eam quam habet *S.Thomas*, amplectitur: qui *conſummationem ſeculi* interpretatur ultimam ætatem mundi quæ in tempus valdè longum protenditur: ùt 1. *Cor.* 10. ℣. 11., *Gal.* 4. ℣. 4. & *Epheſ.* 1. ℣. 10. Quod ergo Apoſtolus hic dicit, idem eſt, ac ſi diceret: hoc noſtro tempore, quando jam agitur ultima mundi ætas, poſt quam non expectatur alia: ut ſenſus ſit: Chriſtus non eſt ingreſſus in cœlum, ut *ſæpius offerat ſeipſum*; nihil enim opus erat, ut qui ſemel, idque tempore *conſummationis ſeculorum apparuit* ac manifeſtatus eſt mundo *per hoſtiam ſuam*, tunc ſcilicet quando palàm obtulit ſemetipſum in cruce, ſic inquam *apparuit*, ut illâ ſuâ oblatione peccatum ſemel ac prorſus aboleverit atque extinxerit, ait *Oecum*. Quæri poſſet, quare Chriſtus *in conſummatione ſeculorum* paſſus ſit, non potiùs ſtatim poſt hominis lapſum? ℞. 1° ut homo intelligeret quid natura, deindè quid Lex poſſet; & harum ad juſtificationem imbecillitate compertâ, tandem veniret Redemptor. 2° ut

idoneis teſtimoniis, cujuſmodi ſunt oracula Prophetarum & omnes figuræ V. Legis, multò antè prænuntiatus adventus & paſſio Chriſti, credibilior hominibus redderetur, animiſque paratioribus ſuſciperetur. Quamvis autem poſt tantum temporis paſſus ſit Chriſtus, virtus paſſionis ejus, quod ad meritum attinet, extendit ſe ad omnia ſecula, ita ut ab *origine mundi* homini lapſo præſto fuerit remedium ſalutis.

℣. 27. *Et quemadmodùm ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium:*

Probat exemplo noſtri, qui ſemel tantùm moriemur, quòd nequaquam ultrà pro nobis ſit moriturus Chriſtus; quia ſicut *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium:* id eſt, & cùm omnes mortui fuerint, tunc ſequetur *judicium*, q. d. poſteaquam ſemel mortui reſurrexerint, non iterùm morientur, ſed *judicium* tunc exercebitur in eos de factis vitæ prioris. Sermo eſt de judicio univerſali: ex *Eſtio*.

℣. 28. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorùm exhaurienda peccata: ſecundò ſinè peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.*

Sic Paulus argumentatur, Chriſtus factus homo ſubiit conditionem humanam; atqui homines mori neceſſe eſt, ſed non niſi ſemel: igitur & *Chriſtus ſemel* tantùm offerri (loquitur enim de oblatione cruenta) *ad multorum exhaurienda* ac prorſus abolenda *peccata:* alii quidem homines moriuntur propter peccatum; Chriſtus autem *ad exhaurienda*, vel ùt alii vertunt, *tollenda peccata:* & vox græca [illegible]

ſignificat *ſurſum ferre*, *offerre*; item *auferre* ſeu *tollere*: quam *Chryſ.* & ceteri Græci de oblatione interpretantur, hoc ſenſu: obtulit ea Patri remittenda, quomodo nos peccata noſtra Deo offerimus, dicentes, *dimitte nobis debita noſtra*. Conſtat vocem illam græcam, etiam in ſcripturis, interdùm accipi pro *offerre*; ùt *Jac.* 2. ℣. 21., 1. *Pet.* 2. ℣. 5. & *in hac Epiſt.* c. 7. ℣. 27. & c. 13. ℣. 15. Favet & huic intellectui verſio ſyriaca. Sed tamen, ait *Eſtius*, hæc interpretatio non parùm habet incommodi: 1° quia nullibi in ſcripturis dicitur, quòd peccata Deo offerantur. 2 quia ſermo Apoſtoli eſſet inconcinnus, *Chriſtus oblatus eſt*, *ut offerret peccata*. Quare *Eſtius* arbitratur vocem græcam hìc ſignificare *ſupra ſe levare*, hoc eſt, *portare*; ut ſenſus ſit; Chriſtum oblatum fuiſſe ut peccata multorum portaret, id eſt, pœnam peccatis debitam in ſe recipiendo hæc tolleret atque deleret; ùt *Iſaïæ* 53. ℣. 4. & 6. & *Joan.* 1. ℣. 29. Ad quem *Iſaïæ* locum *Paulum* hìc & *Petrum* 1. *Epiſt.* 2. ℣. 24. reſpexiſſe veriſimile eſt. Dicit Apoſt. *multorum*, id eſt, electorum, ùt *Matth.* c. 20. ℣. 28. & c. 26. ℣. 28., *Marc.* c. 10. ℣. 45. & c. 14. ℣. 24. Electorum autem peccata tulit quantùm ad efficientiam; omnium verò & ſingulorum hominum peccata tulit, quantùm ad ſufficientiam. Hoc fecit in primo adventu quando ſe obtulit in cruce: at *ſecundò* ſeu in ſecundo adventu *ſinè peccato*, id eſt, non portans peccata noſtra, *apparebit* immortalis & glorioſus: opponit Apoſtolus hæc duo; *apparere per hoſtiam ſuam*; & *apparere ſinè peccato*. *Apparebit* autem Chriſtus tunc *ad ſalutem*, id eſt, palàm conſpicietur afferens ſalutem iis, qui ab ipſo ſalutem expectant, qui patienter ac perſeveranter inter hujus vitæ perſecutiones & ad-

verſitates eum expectaverint. Nam incredulis, qui proindè eum non expectant, apparebit ad damnationem. Loquitur Apoſt. non de iis tantùm, qui vivi reperientur in adventu Domini, ſed generaliter de electis; quibus omnibus communis eſt illa Chriſti Salvatoris exſpectatio, etiam iis quorum animæ ſunt in cœlo. Nam ſalus non eſt animarum, ſed hominum, eaque perfecta; ut nec animæ quidquam beatitudinis deſit, nec corpori. Quæ ſalus ordinariâ lege nemini contigit ante ſecundum Chriſti adventum: ex *Eſtio.*

CAPUT X.

Oſtendit legem cum omnibus ſuis ſacrificiis juſtificandi impotem fuiſſe. Hortatur ad ſpem firmam & patientiam.

℣. 1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum: per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes perfectos facere:*

DOcuit Chriſtum ſemel oblatum aboleviſſe peccatum & æternam paraſſe redemptionem: nunc ex adverſo oſtendit, Legem per ſua ſacrificia nihil hujuſmodi præſtare potuiſſe. ſumpto argumento ex ipſorum ſacrificiorum annua repetitione. Conjunctio *enim* ſupponit, hanc aut ſimilem ex ſtatim dictis illationem: ergo ſalus eſt à Chriſto expectanda, non à Lege. Nam *Lex*, inquit, *umbram habens* &c.... *numquam poteſt perfectos facere.* Deindè ut plenior ſit probatio, Legem ita deſcribit, ut primâ

fronte ejus imbecillitas agnoſcatur. *Lex*, utique cæremonialis præſertim quoad ſacrificia, *umbram habens futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum:* quorum verborum diverſæ ſunt expoſitiones. *Umbram* verò Apoſtolus juxta *Eſtium* intelligit prout refertur ad corpus, hoc ſenſu, ſicut umbra corporis à quo projicitur, imperfectiſſima ſimilitudo eſt, ita lex per ſuas cæremonias admodùm obſcurè ſignificat bona futura; ita *umbra* metaphora intelligi debet *ſuprà* c. 8. ℣. 5. & ad *Coloſſ.* 2. ℣. 17. *Futura bona* aliqui interpretantur bona patriæ cœleſtis: ut ſenſus ſit, Legem V. per ſuas cæremonias velut umbras obſcurè ſignificaſſe bona cœleſtia, quæ N. Lex, inſtar *imaginis* ſignificat & apertis ac perſpicuis ſignis & verbis promittit. Quam interpretationem *Eſtius* improbat, quia nihil facit ad oſtendendam Veteris Legis præ Nova imbecillitatem: ſive enim, inquit, apertè ſive obſcurè cæremonia aliqua repræſentet gloriam cæleſtem, non ideò plùs minùſve efficaciter valebit ad eam præſtandam. Deindè cæremoniæ V. Legis potiùs inſtitutæ videntur, ut referantur ad Chriſtum, velut umbra ad corpus juxta *Coloſſ.* 2. ℣. 17., quàm ad bona cœleſtia. Chriſtum intellige ſecundùm ea præcipuè, quæ pro noſtra ſalute geſſit: ùt quòd natus, paſſus ſit &c.; & ſecundùm ea quæ nobis ſuo adventu contulit: ùt ſunt peccatorum remiſſio, juſtificatio, & cetera Legis Novæ promiſſa. Hæc igitur ſunt *futura bona*, quorum Lex dicitur habere *umbram*. Porrò cùm neget, Legem habere *ipſam imaginem rerum*, nomine *imaginis* intelligit ipſam rem exhibitam ac repræſentatam; quomodo facies hominis, ait *Eſtius*, dicitur eſſe imago hominis, cùm in ea ipſe homo ſecundùm ſe videatur. Quomodo & ipſe Chriſtus, cùm ſit Deus,

vocatur *imago Dei* : 2. *Cor.* 4. & ad *Coloſſ.* 1. Sic *ſpecies* accipitur 2. *Cor.* 5. *per fidem ambulamus, & non per ſpeciem* : id eſt, Deum, ut in ſe ipſo eſt, & quomodo Beatis exhibetur, necdum videmus. Sic *Chryſ.*, *Theoph.*, *Gaign.*, *Ribera imaginem* interpretantur ipſam veritatem, cujus Umbræ præceſſerunt : ita *Eſtius* apud quem vide hanc interpretationem pluribus probatam. *Per ſingulos annos eiſdem* &c. quorum verborum ſenſus eſt : Lex iis *hoſtiis*, quas *ſingulis annis eaſdem indeſinenter*, græcè, *aſſiduè* & *jugiter offerunt* Sacerdotes, *numquam poteſt accedentes* ſive ipſos offerentes *perfectos facere*, id eſt, juſtificare & ſanctificare. Si autem lex non poterat ipſos ſacerdotes, quos infrà ℣. 2. vocat *cultores*, id eſt, ſanctorum miniſtros juſtificare, multò minùs alios pro quibus aliquid offerebatur. Reſpicit Apoſt. ad ſacrificia de quibus jam c. 9. egerat; quæ à Pontifice ſingulis annis in die expiationis offerebantur, de qua re *Lev.* 16. & 23.; ſed idem de ceteris colligendum relinquit. Nam ſi quod peculiariter ad expiationem inſtitutum, expiare non poterat ; eò minùs cetera. Notandum autem in priori parte hujus ſententiæ contineri rationem poſterioris : Ex eo namque quòd ſingulis annis eadem ſacrificia offerenda erant, inferri vult, ea non potuiſſe cultores ſuos perficere : quod probat ſequentibus verbis : ex *Eſtio*.

℣. 2. *Alioquin ceſſaſſent offerri : ideò quòd nullam haberent ultrà conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati :*

Græci legunt, *alioquin nonne ceſſaſſent offerri? Ideò quòd* (ſi Legis hoſtiæ verè juſtificarent) *nullam haberent conſcientiam peccati*, *cultores*, id eſt, qui Deum hujuſmodi ſacri-

ficiis colerent, *ſemel* per hujuſmodi hoſtias *mundati* ſeu purgati. Quemadmodùm enim Chriſti Sacerdotium, quia omnium expiandis peccatis ſufficiens fuit, jam non ampliùs immolatur: ita ſi ſufficienter illæ hoſtiæ à peccato offerentium conſcientiam emundaſſent, quotannis offerri deſiiſſent. Non ergò in ipſis & per ipſas conſcientiæ fit emundatio, ſed peccatorum tantùm commemoratio & accuſatio, non remiſſio; per legem enim cognitio peccati, non ablutio; undè ait, ùt notat *Chryſ.*

℣. 3. *Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.*

Quoniam oſtenſum eſt, hoſtias, quæ anniverſario die expiationis eædem ſemper offerebantur, non potuiſſe peccata auferre: nunc, ne fruſtrà videantur inſtitutæ, docet quem uſum habuerint; nimirùm *commemorationis* ſeu recordationis *peccatorum*, quæ quotannis fiebat in ipſarum oblatione. Reſpicit enim ad confeſſionem peccatorum totius populi, quam in die expiationis faciebat Pontifex, utrâque manu poſitâ ſuper hircum emiſſarium, ùt *Levit.* 16. ℣. 21. Hanc confeſſionem vocat *commemorationem peccatorum*, quia qui peccata confitetur, ea revocat in memoriam. Cùm autem confeſſio peccati ſit accuſatio ſui; vult intelligi Apoſtolus in illis hoſtiis non fuiſſe peccatorum remiſſionem, ſed accuſationem; ut per hoc ſignificaretur eorum remiſſionem aliundè eſſe petendam, ex *Chryſ.* Deindè ſi fuiſſet in iis peccatorum remiſſio, non ſingulis annis memoria eorumdem ùt adhuc exiſtentium facta fuiſſet. Dices *Levit.* 16. poſt confeſſionem etiam fieri mentionem remiſſionis: nam & hircus portabat omnes iniquitates in terram ſolitariam, & poſteà dicitur: *in hac die ex-*

piatio erit veſtri atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris; coram Domino mundabimini.
℟. Remiſſionem non veram, ſed legalem ac figurativam fuiſſe; ſicut & ceteras peccatorum remiſſiones, de quibus *in Levitico*: legalem, quia tantùm valebat ad avertendas minas; figurativam, quia ſignificabat veram remiſſionem dandam per Chriſtum: ita *Eſtius*. Probatio autem, ait *Mauduit*, quam hîc contra ſacrificia V. Legis proponit Apoſtolus, non concludit præcisè à repetitione annua, ùt Calvinus falsò ſibi imaginatur, ſed ab applicatione annua eiſdem peccatis. Nec eſt, quòd quis dicat, ſingulis annis ſacrificium expiationis fuiſſe pro novis peccatis ab ultimo anno commiſſis; & proindè illud non fuiſſe applicatum eiſdem peccatis. Hoc enim Sacrificium erat & pro novis peccatis & ſimul pro omnibus anteà à populo Iſraëlitico commiſſis: ita *Mauduit in Analyſi hujus Epiſt.* & præcipuè *in diſſert.* XV., in qua hanc ſuam ſententiam pluribus adſtruit; ut evertat argumentum hæreticorum, quod ex his verſibus contra ſacrificium Miſſæ objiciunt. Dato tamen quòd Apoſtoli probatio procedat à repetitione annua ſacrificiorum expiationis; equidem non concludunt argumenta hæreticorum: quia ſacrificia V. Legis non referebantur ad unam aliquam oblationem à qua vim ſanctificandi acciperent; ſed ſingula per ſe ac ſeorſim exhibebantur: ita ut Judæi ex ſingulo ſacrificio novam expiationis cauſam repeterent, ut continuò novam expiationis cauſam haberent. Sed in N. Lege una Chriſti cruenta oblatio in cruce cauſa eſt ſanctificationis, à qua ſola ſacrificium Miſſæ & ſacramenta, quæ ſunt media quibus indies fidelibus applicantur merita crucis, omnem ſuam vim ac efficaciam hauriunt: ita ut ſacrificium

Miſſæ licèt aliud quoad modum offerendi & numero diſtinctum ſit à Sacrificio crucis, quoad hoſtiam tamen cum hoc omninò idem, & huic quoad effectum plenè ſubordinatum ſit, velut medium ſuæ cauſæ: ex *Eſtio*; quem uti & *Mauduit* conſule pro ſolvendis aliis hæreticorum argumentis. Obiter tamen hìc notari meretur, *Chryſoſtomum*, *Theophilactum* & plures alios orthodoxos commentatores græcos & latinos has in hoc loco ſibi objectiones facere: qua ex re intelligitur, quàm illuſtre teſtimonium antiquitatis habeat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod in Eccleſia offertur.

℣. 4. *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

Probat quod dixit in hoſtiis illis non fuiſſe peccatorum remiſſionem, ſed nudam commemorationem: non enim fieri poteſt, ut occiſorum animalium ſanguine peccata remittantur. Nominat autem *tauros* & *hircos*, quia utrumque hoc animal offerebatur in die expiationis. Poſſet quidem Deus inſtituere ſi vellet, ut ſanguis brutorum auferret peccata; ſicut in baptiſmo aufert aqua; ſed *impoſſibile* hoc dicit Apoſtolus eo ſenſu, quo putabat carnalis Judæus; ſcilicet immolationem hujuſmodi animalium ita per ſe gratam Deo, ut propter eam peccata remitteret iis, pro quibus offerebantur: contra quem ſenſum clamant Prophetæ *Jerem.* c. 11. ℣. 15. & *Michæas* c. 6. ℣. 7. Hoc autem ſenſu nec aqua poteſt auferre peccata. Verùm filii novæ legis adſcribentes aquæ purgationem peccatorum, conſiderant eam ut ex inſtitutione divina adhibetur & valet ad abluendum hominem à peccatis in ſanguine Chriſti. Quo ſenſu dicit *infrà* ℣. 22. *Abluti corpus aquâ mundâ*, quia nimirùm conſcientia

mundatur à peccatis. Quòd ſi Judæus aliquis ſpiritualiter ſapiens cum fide mediatoris illa legis ſacrificia offerret, utique fructum remiſſionis peccatorum perciperet, ùt patet ex oratione trium puerorum in fornace Babylonis, *Dan.* 3. ℣. 40. Et ſicut de Lege *Paulus* dixit *Rom.* 8. ℣. 3. & 4., *impoſſibile* fuiſſe, *ut juſtificatio* per eam *impleretur in nobis*; ita hìc dicit ſacrificiis *impoſſibile* eſſe, ut peccata auferant: videlicet per ſe & ſecundùm propriam inſtitutionem conſiderata: ex *Eſtio.*

℣. 5. *Ideò ingrediens mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi:*

Hìc teſtimonio Prophetico confirmat vetera ſacrificia propter ipſorum imbecillitatem abrogari debuiſſe ſuccedente uno & efficaci ſacrificio paſſionis Chriſti. *Ideò* ſcilicet quia *impoſſibile* erat per ſacrificia *auferri peccata*, *ingrediens* aſſumptâ humanitate *in mundum* Dei Filius, per os *Davidis Pſ.* 39., *dicit* Patri: *hoſtiam & oblationem noluiſti*, id eſt, neque carnales victimæ Legis, neque expertes ſanguinis oblationes *tibi placuerunt*, ùt dicitur *Jerem.* 6. ℣. 20. & *Pſal.* 39., quem citat more ſuo juxta verſionem LXX.; quia ergo, inquit, noluiſti hujuſmodi hoſtias, *corpus aptaſti mihi*, ſive ipſam ſacrificiorum veritatem & non umbram; (nam corpus ſolida veritas Evangelii dicitur:) ſive meliùs *corpus* humanitatis meæ, quod tibi in ſacrificium offerrem. Hebræi legunt, *aures fodiſti mihi*, hoc eſt, addixiſti me tibi ſervum perpetuum more dominorum qui ſervos perpetuò ſecum manſuros aurium perfoſſione notant, ùt dicitur, *Exod.* 21. Hanc ejus perpetuam ſervitutem docet Apoſtolus, 1. *Cor.* 15. ℣. 28. & *Iſaïas* 50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*

Aperit autem Deus aurem alicui, vel cùm interiùs per ſpiritum ſuum ei revelat quæ aliis velata ſunt & incognita; quale eſt hoc myſterium de ſacrificiorum veteris legis abjectione: vel cùm facit hominem præceptis ſuis auſcultantem: utrovis autem modo aurium apertionem accipiamus, ea multò perfectiùs in Chriſtum quàm in Davidem competit: juxta *Col.* 2. ℣. 3. & *Philip.* 2. ℣. 8. Sicut autem Chriſto perfectiſſimè convenit edoctùm eſſe à Patre & obedientiam Patri præſtitiſſe: ita præ omnibus ſingulariter in eum competit, ut Deo dicere poſſit, *corpus aptaſti mihi*; ſcilicet per Incarnationem, quatenùs in utero puriſſimæ Virginis formatum eſt ei corpus integerrimum, & ab omni labe corruptionis liberum, ac planè tale quod remotâ inutili multitudine ſacrificiorum veteris legis, unum Deo Patri in cruce oblatum placeret, ad omnium hominum ſalutem valiturum. Hunc eſſe ſenſum Apoſtoli, conſtat ex contextu, præcipuè ex iis quæ poſteà declarando ſubjungit: ex *Eſtio*. Vel *perfeciſti mihi*, id eſt, perfectum ſacrificium fieri decreviſti, ùt legit. *Chryſ.*

℣. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.*

Holocautomata differunt ab hoſtiis, quòd quæ in holocautomata offerebantur animalia, tota cremabantur in honorem Dei; *Hoſtiæ* non item quæ ſignificant victimas pacificorum ſeu gratiarum actionis, & partim ſacerdotibus in cibum ſerviebant. Per *oblationes* intelligitur quævis inanimatarum rerum oblatio. Et *pro peccato* erant ſacrificia propitiatoria. Hæc erant quatuor ſacrificiorum V. Legis genera. Oſtendit ergo, nulla omninò Veteris Legis ſacrificia ita Deo *placuiſſe*, ut per ea peccatum remitteretur, ex *Thom.*

℣. 7. Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri ſcriptum eſt de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

Quia vidi, inquit Chriſtus Patri, ſacrificia tibi non placere, *tunc dixi, ecce venio* ; ut ſcilicet me tibi verum ſacrificium offeram, hoc eſt enim quod inquit, *ut faciam Deus voluntatem tuam :* ſicut ipſe ait, *Joan.* 4. ℣. 34. Ordo autem & conſtructio hujus ſententiæ hujuſmodi videtur : *ecce venio, ut faciam voluntatem tuam :* & alia verba, *in capite libri ſcriptum eſt de me*, parentheſi incluſa Græci legunt. Quæ lectio, additâ particulâ *Sicut*, dilucida fiet. Major difficultas eſt in eruendo ſenſu hujus partis : *in capite libri* &c. pro quo Hebræi habent, *in volumine libri.* Omiſſis variis interpretationibus videtur hic eſſe ſenſus juxta textum hebraïcum, *in volumine*, id eſt, in aliquo libro *ſcriptum eſt de me.* Quòd enim, ait *Eſtius*, libri more Veterum convolvi ſoleant, indè factum ut liber & volumen libri pro eodem haberentur. Altera quæſtio eſt, de quo libro loquatur Pſalmiſta : pro qua reſolvenda variæ ſunt ſententiæ quæ videri poſſunt in *Eſtio*, qui difficultatem hanc ita explicat : cùm ſint eadem *in volumine libri & in libro*, ſicut antè monſtratum eſt, tantùm reſtat, ut oſtendatur in libro quopiam ſcriptum eſſe de Chriſtò vel de Davide qui fuit typus Chriſti, quòd facturus eſſet voluntatem Dei. Quod de *Davide Act.* 13. ℣. 22. *Paulus* aſſerit ; qui more ſuo teſtimonium conflavit ex pluribus ſcripturæ locis : ſcilicet ex 1. *Reg.* c. 13. ℣. 14. *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum.* & c. 16. ℣. 1. *providi in filiis Iſai mihi regem*. & *Pſal.* 88. *inveni David ſervum meum* ; quibus in ſuo teſtimonio *Act.* 13. ℣. 22. addit Apoſt., *qui*

facit omnes voluntates meas, ad explicandum quod dixerat; *virum ſecundùm cor meum.* Nec illud latebat Prophetas qui erant in illis diebus; ùt *Samuel*, *Nathan* & alios quos *David eodem Pſalmo* 88. ſignificat ℣. 20. *Tunc locutus es in viſione ſanctis tuis & dixiſti: poſui adjutorium in potente: & exaltavi electum de plebe mea.* Quæ ad *Davidis* perſonam ſpectant: quare quòd dicit *David in Pſalmo*; *in capite* ſeu *involucro* aut *volumine libri ſcriptum eſt de me*, &c., tale eſt ac ſi diceret: juxta ea quæ tu, Domine, de me locutus es prophetis; jam ab illis in libro de me ſcriptum eſt, me eſſe hominem ſecundùm cor tuum, qui facturus ſum voluntatem tuam. Cùm autem ad *Chriſtum*, tanquam illius typi perfectum exemplar, hæc pertineant, quæ de ſe *David* prædicat: dubium eſſe non poteſt, quin etiam longè perfectiùs in eum quàm in Davidem conveniant; nempè quòd *in libro*, id eſt, in lege & prophetis de eo *ſcriptum ſit*, *ut Dei faceret voluntatem*, illam præcipuè quâ Deus ſtatuerat per Filii ſui Incarnationem & paſſionem electos ſuos ſanctificare; ùt *infra Paulus* exponit: nam voluntas intelligitur non tam illa, quæ in præceptis conſiſtit, quàm quæ in decretis, id eſt, abſoluta, qualis apud *Iſaïam* 44. ℣. 28.; ſic *Eſtius.*

℣. 8. *Superiùs dicens: quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur,*

Hæc omnia Chriſtum in *Pſalmo* 39. dixiſſe jam audivimus. *Quæ ſecundùm legem offeruntur.* Hæc pars *in Pſal.* non eſt, ſed additur explicandi gratiâ. Undè eam nonnulli claudunt parentheſi; debet enim ad quatuor prædicta referri, ſcilicet, hoſtiam, oblationem, holo-

cautomata, & ſacrificia pro peccato: ùt patet ex græco; ita *Eſtius*.

℣. 9. *Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut ſequens ſtatuat.*

Tunc dixi, græcè & ſyriacè, *Tunc dixit*, quod & legunt plerique; nam de Chriſto hæc dicuntur. *Ecce venio*, id eſt, præſto ſum *ut faciam voluntatem tuam*; ut ſenſus ſit. In his, inquit, verbis quæ citavi, cùm priùs diceret ac profiteretur Dei Filius ea, quæ ſecundùm Legis Moſaïcæ præſcriptum offeruntur, Patri ſuo nequaquam placere, tunc adjecit & intulit, ſe paratum facere ejus voluntatem: id eſt, corporis ſui ſacrificium ipſi placiturum offerre. *Aufert primum ut ſequens*, græcè, *ſecundum ſtatuat*. *Primum* autem & *ſecundum* intellige non ſacerdotium, ùt *Eraſmus*; neque teſtamentum, ùt *Cajetanus* ſupplet; genus enim his non reſpondet in græco: ſed *primum*, id eſt, offerre ea quæ ſecundùm legem offeruntur: *ſecundum*, id eſt, facere voluntatem Dei, ſcilicet offerre ſacrificium ſui corporis. Hæc enim adhuc de Chriſto dicuntur, qui *primum aufert*, de legalibus ſacrificiis dicens ad Patrem; noluiſti, nec placita ſunt tibi: *ut ſecundum ſtatuat*, de quo ſubjungit; *ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. Itaque concludit Apoſtolus, ſacrificiorum veteris legis abrogationem: tum quia non erant Deo placita: tum quia locus non poterat eſſe ſacrificio Chriſti, niſi priùs illa tollerentur: undè ait, *ut ſequens ſtatuat*; q. d. *ſecundum* ſtatui non poteſt, niſi ſublato priori; ita *Eſtius*.

℣. 10. *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.*

Explicat voluntatem Dei, de qua Chriſtus in Pſalmo locutus eſt: ac docet eam eſſe; quâ Deus *ſanctificare* nos voluit *per oblationem* &c. Plerique ut perfectus ſit ſenſus, ſupplent *ſemel factam:* & explicant hoc modo: *in qua* ſui immolatione ſecundùm voluntatem Patris facta, nos fideles non ſolùm à peccatis mundati ſumus, ſed in virtutibus conſummati: & hoc *per oblationem corporis Jeſu Chriſti* in cruce facta non bis, vel ampliùs, ſed *ſemel*; quia ampliùs non eſt immolandus nec moriturus: & ideò, *ſequens eſt ſtatutum*, quia per illud *ſanctificati ſumus*; *primum verò dejectum* eſt vel ablatum, quia neminem duxit ad perfectionem, ita *Anſel.* Putat *Eſtius*, poſt hoc ſupplementum, *ſemel factam*, orationem in græco adhuc manere imperfectam: ideò poſt *Theophylactum* ſupplet per repetitionem verbi *ſanctificati ſumus*, & explicat hoc modo: *in qua voluntate Patris ſanctificati ſumus; qui per oblationem corporis Chriſti ſemel factam ſanctificati ſumus:* ex *Theoph.*

℣. 11. *Et omnis quidem ſacerdos præſtò eſt quotidiè miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata:*

℣. 12. *Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei,*

Huc uſque Apoſtolus demonſtravit imperfectionem legalis Sacerdotii ex iteratione eorum ſacrificiorum quæ fiebat per ſingulos annos in die expiationis: nunc eam rem ampliùs

urget ex jugi ſacrificio quod ſingulis diebus offerebatur manè & veſperè, de quo *Num.* 28., quod quivis Sacerdos Aaronicus offerre poterat: Ideo dicit *Omnis Sacerdos*, & differentiam facit Sacerdotis legalis & Chriſti, quòd *Sacerdos* legalis *quotidiè præſto* eſt, græcè, ſtat miniſtrans ſive ſacrificans, & *eaſdem hoſtias ſæpè offerens*, id eſt, taurum aut hircum; quæ quidem hoſtiæ auferre peccata non poſſunt. *Hic autem*, ſcilicet Chriſtus, *unam* non ſæpiùs ſed ſemel *in ſempiternum pro peccatis* noſtris *offerens* ſui corporis *hoſtiam*, *ſedet in dextera Dei*: & hinc Sacerdote legali ſuperior, quòd ille tantùm *ſtat* in ſignum ſervitutis, Chriſtus autem quod regnantis eſt, *in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei*, quod explicatum eſt *cap.* 1. *hujus Epiſt.* & *alibi*: ex *Theoph.* Ultra argumentum ab unitate ſacrificii Chriſti, aliud hic inſinuat Apoſtolus à dignitate Chriſti in ſempiternum duratura.

℣. 13. *De cetero exſpectans donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus.*

Ad dexteram Patris, inquit, perpetuò manebit *de cetero* ſive quod reliquum eſt, *expectans* à Patre *donec ponantur* &c. quod fiet tempore extremi judicii, in quo, poſtquam plenitudo Gentium intraverit & omnis Iſraël ſalvus fuerit, completo electorum numero omnes inimici ejus & dæmones & increduli ſubjicientur illi, quando jam in ſeducendis, ſi fieri poteſt, electis, illi repugnare ceſſabunt, ac vel inviti Dominum gloriæ agnoſcent, ita *Gaig.* Significatur his verbis perfectum Chriſti hominis dominium ac regnum: ad quod merito humilitatis & obedientiæ ſuæ, quâ voluntati Patris obſecutus ſeipſum pro peccatis noſtris hoſtiam obtulit, tandem provehendus eſt: ex *Eſtio*.

℣. 14. *Unâ enim oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.*

Rationem reddit, cur Chriſtus ſemel obtuliſſe contentus, non ampliùs miniſtret, ſicut legalis Sacerdos inceſſanter miniſtrabat; ſed quietus nunc aſſideat Patri. Quoniam, inquit, nihil neceſſe eſt; eo quòd *unicâ oblatione conſummaverit in æternum ſanctificatos*, id eſt, baptiſatos in ſuo ſanguine & electos quotquot unquam fuerunt aut futuri ſunt, *ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap.* 1., ubi de Chriſto legitur; *qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, & conſummare & ad perfectum adducere.* Igitur ex mente hujus Concilii *conſummare ſanctificandos* eſt ad perfectum adducere omnes quotquot ſanctificandi ſunt. Quod Chriſtus *unâ oblatione* præſtitit, quæ ad omnium ſanctificationem ſufficiebat, ita ut & ſacrificium Miſſæ & ſacramenta N. Legis ex hac ſola omnem hauriant ſanctificandi fideles vim & efficaciam; & ideò meritò dicitur Chriſtus *unâ oblatione* non tantùm meruiſſe, ſed *conſummaſſe ſanctificationem* omnium quotquot ſanctificandi eſſent. Et ex his patet, hunc locum Hæreticos perperàm interpretari contra ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium. Quæ autem (inquit *Eſtius*) in ultima cœna facta eſt oblatio, dependebat etiam ab ea quæ in cruce facta eſt, & non niſi per eam fuit acceptabilis: ſicut & baptiſmus & alia ſacramenta, ſi quæ per Chriſtum fuerunt adminiſtrata.

℣. 15. *Conteſtatur autem nos & Spiritus Sanctus. Poſtquam enim dixit;*

Nec ſolus ego hæc dico, ſed *& Spiritus ſanctus* per *Jeremiam* 31. *conteſtatur nos*, id eſt, ſimul teſtatur illud idem, quod *nos* de ſanctificatione & conſummatione verè conteſtamur;

Poſtquam enim dixit, græcè, *prædixit* : & in ſyro legitur hoc modo : *Teſtificatur autem Spiritus S., dicens : Hoc eſt teſtamentum* &c. Quæ lectio clarior eſt, quàm noſtra ; noſtra enim habet hoc incommodi quòd nihil ſequatur huic parti *Poſtquam dixit*, reſpondens. Nam hæc, *Dicit Dominus*, in *verſu ſeq.*, verba ſunt Prophetæ & ad ſuperiora referuntur, ſcilicet ad *Hoc autem* &c.; ſicut & *cap.* 8. *hujus Epiſt.*, ubi hoc *Jeremiæ* teſtimonium pleniùs adductum fuit. Cùm autem ſanctificatorum conſummatio, quæ conſiſtit in juſtificatione & gratia, quâ præcepta divina cordibus noſtris inſcribuntur, non ſit per Vetus ſed per Novum teſtamentum : ſequitur Spiritum S., dum teſtamenti, in quo hæc conſummatio habetur, mentionem fecit, promiſiſſe novum teſtamentum ; dicens *verſu ſeq.* ; ex *Anſel.*

℣. 16. *Hoc autem teſtamentum, quod teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas :*

Non vetus teſtamentum docebo, non carnales obſervantias prædicabo ; ſed *hoc eſt teſtamentum* ſpirituale, *quod teſtabor* & affirmabo loquens & accedens *ad illos* ; & hoc faciam *poſt dies illos* qui ſunt apud me præfiniti, *dicit Dominus* per *Jeremiam*, non ipſe *Jeremias* : & non ita teſtabor illis hoc novum teſtamentum, ſicut vetus in lapideis tabulis ſcribendo duris eorum patribus teſtatus ſum ; ſed potiùs alio & utiliori modo, ſcilicet *dando leges meas in cordibus eorum*, manifeſtando ſenſibus internis eorum voluntates meas per Spiritum ſanctum qui ſapientiam & charitatem illis infundet, ut intelligant eas & delectabiliter adim-

pleant: & *eas* leges *ſuperſcribam in mentibus eorum*, quia tantæ dignitatis erunt nova præcepta, ut arbitrium mentis eorum ſuperetur, nec ſufficiat quiſquam eorum, ex ſeipſo ea complere, ſed auxilio gratiæ juvetur & corroboretur infirmitas ejus, ut ea compleat, ita *Anſel.* ùt diximus c. 8.

℣. 17. *Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs.*

Repetit ex c. 8. hanc poſtremam partem, ex qua manifeſtum eſt peccatorum remiſſionem eſſe promiſſionem novo teſtamento peculiarem. Quæ cùm præſtanda ſit per oblationem ejus qui conditor eſt ac mediator novi teſtamenti, ſequitur oblationes veteris teſtamenti jam debere ceſſare: ex *Eſtio*, qui dicit Apoſtolum hoc *Jeremiæ* teſtimonium hìc repetere propter poſteriorem hanc partem, *Et peccatorum* &c.; ubi *cap.* 8. illud allegaverat præcipuè propter illa verba: *teſtamentum novum* &c. ut ex Novi promiſſione doceret Vetus abrogari oportuiſſe.

℣. 18. *Ubi autem horum remiſſio: jam non eſt oblatio pro peccato.*

Ubi peccatorum facta eſt *remiſſio*, quæ quoad ſufficientiam ſemel facta eſt, nimirùm, pretio dato quod per ſe ad illam valeret, quale eſt quod Chriſtus obtulit in cruce: *jam* ceſſat omnis *oblatio* propitiatoria ab illa Chriſti oblatione diverſa: id eſt, omnis ea, quæ ad hanc non referatur nec ei ſubordinata ſit. Quod notandum, ne cum ſectariis excludere videamur Miſſæ ſacrificium, quod propitiatorium pro peccatis eſſe dicimus; ùt notat *Eſtius* & *ſuprà* ℣. 3. dictum eſt.

℣. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti*,

Declaratâ Chriſti ſacrificii efficaciâ, per quem remiſſa nobis ſunt peccata, hortatur nos ad ſperandum in illo: & ab hoc loco tertius incipit *hujus epiſtolæ* tomus apud *Theodoretum*; in quo potiſſimùm per varia Scripturæ teſtimonia & Sanctorum exempla Hebræos excitat ad perſeverantiam fidei & patientiam in adverſis: terrens interdùm inſtabiles ſeveritate judicii Divini. Hujus autem & ſequentium verſuum ſenſus eſt; cùm igitur *fratres* data ſit nobis *fiducia* & ſpes bona ingrediendi in Sancta per ſanguinem Chriſti, cùmque *Sacerdotem magnum domui Dei* præfectum habeamus; nihil hæſitantes, ſed certiſſimè nos exauditum iri perſuaſi, *vero* non ficto *corde* ad eum *accedamus à mala* ſeu iniqua *conſcientia* puram aſperſamque mentem habentes, *& aquâ mundâ corpus abluti* conſtantem *ſpei noſtræ confeſſionem*, & non nutantem retineamus. Sic hyperbaton dilucidatur, ùt patet ex ſequentibus: ex *Gaig*.

℣. 20. *Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam*,

Chriſtus *initiaſſe* dicitur *viam novam* ad Sancta; quia per eam primus ingreſſus eſt, ut nos poſt eum ingrederemur. Ea via eſt, quam ipſe ſuâ paſſione ſtravit ad cœlum; hanc vocat *novam* & recenter factam, nec ullius anteà pedibus calcatam; *viventem*, quia ducit ad vitam, vel quia non moritur, non aboletur; quomodo via, quæ ducebat ad vetus tabernaculum, unà cum legalibus extincta eſt &

mortua; ſed ſemper manet ac ſola ſufficit introducendis omnibus electis in cœlum uſque in finem ſeculi. Quemadmodum Pontifex Aaronicus per velum intrabat in Sancta, quod dicebatur *velamentum ſecundum*, ita Chriſtus *per carnem ſuam* intravit in cœlum, ut per hujuſmodi ingreſſum viam nobis initiaret, quâ nos eum ſequeremur. Caro Chriſti rectè per velum ſignificatur, quia ſicut velum operiebat arcana ſanctuarii, & tamen ingreſſum illuc præbebat: ita caro Chriſti divinitatem obtexit quodammodò, latebat enim in homine Deus: & tamen per eam ad Deum adducimur, ita *Anſel.* Quò pertinet, quòd in morte Chriſti velum templi ſciſſum eſt in duas partes, *Matth.* 27.

℣. 21. *Et ſacerdotem magnum ſuper domum Dei:*

Pendet hæc pars, ùt dictum eſt, à verbo *habentes*, & ſenſus eſt: item cùm habeamus *Sacerdotem magnum*, id eſt, Chriſtum, quem Deus conſtituit ſuper totam Eccleſiam quæ eſt *domus ejus*: intellige *Sacerdotem* adhuc agentem ea quæ Sacerdotis ſunt; id eſt, carnem ſuam, in qua paſſus eſt, adhuc offerentem Patri, & in ea pro nobis interpellantem: deniquè, qui apud Patrem omnia poſſit, ut cui Pater omnia dederit in manus. *Domum Dei* cœlum intelligit *Theophilactus*: ſed prior expoſitio conſentanea eſt Apoſtolo, qui c. 3. domum cui præfectus eſt Chriſtus, interpretatur Eccleſiam: *quæ domus*, inquit, *ſumus nos*: id eſt, fidelium multitudo; cui tamen meritò adjungitur Eccleſia triumphans: ita ut domus Dei totum Chriſti regnum comprehendat.

℣. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aquâ mundâ,*

Cor verum more Scripturæ dicitur correctum & ſincerum, cui opponitur cor fictum & duplex; ut ſenſus ſit: *accedamus* ad Deum; vel tendamus ad Sancta purè & ſincerè, atque ex animo id agentes, quòd exteriùs profitemur, cum *plena* certiſſimaque *fide* promiſſorum Dei: fidelis eſt enim, ùt mox ſequitur, *qui promiſit*. *Aſperſi corda à conſcientia mala*, id eſt, emundatis ac purificatis cordibus, ita ut in eis nulla reſideat conſcientia peccati. Item *abluti corpus aquâ mundâ*, id eſt, mundante animam: quâ parte baptiſmi ſacramentum ſignificat; in quo ſic corpus abluitur aquâ, ut per eam anima mundetur. Cùm ii, ad quos ſcribit, baptizati eſſent, non ut baptizentur exigit, ſed ut accedant cum ea munditia quam præſtat baptiſmus. Nec quis dicat, *Paulum* his verbis: *abluti corpus* &c. exigere ſanctificationem corporis, de qua 1. *Theſſ.* 4. ℣. 5.; ſicut prioribus verbis, *aſperſi corda* &c. exegerat ſanctitatem cordis. ℟. Scriptura enim non ſolet hâc phraſi, *abluti corpus* &c. deſignare corporis ſanctificationem: quin potiùs hunc ordinem inſinuare videtur, prius eſſe ut animus mundetur ab affectu peccati, quod fit ſinè ſacramento: poſterius ut à macula & reatu culpæ liberetur, quod ut fiat, opus eſt ſacramento vel ejus voto, ùt notat *Eſtius*.

℣. 23. *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, (fidelis enim eſt qui repromiſit)*

Hæc pars exhortationis ſejungenda eſt à ſuperiore: non enim legendum continuo ſpiritu:

& abluti aquâ corpus mundâ teneamus, &c. ſed totum, quod præcedit, referendum eſt ad verbum *accedamus*; ut ſenſus ſit, *retineamus* quoque eam ſpem & fiduciam quam profeſſi ſumus in baptiſmo, nec ab ea profeſſione per diffidentiam declinemus. *Confeſſionem ſpei* vocat ipſam fidei confeſſionem: non quòd fidem cum ſpe confundat, ùt ſectarii faciunt; ſed quia, qui in baptiſmo fidem confitetur, ſimul etiam profitetur ea quæ ſperat; nempè remiſſionem peccatorum, carnis Reſurrectionem & vitam æternam: & hæc ſpes quâ confidimus nos ingreſſuros in ſancta cœleſtia nititur fide quâ credimus Deum eſſe *fidelem* id eſt, veracem & conſtantem in ſuis promiſſis; ùt qui mentiri non poſſit. Promiſit autem illum introitum credentibus, ſperantibus, benè operantibus; deniquè perſeverantibus; ex *Chryſ.* Quæ media cùm ſolis electis promiſſa ſint, idcircò ex fide promiſſorum Dei minimè conſequens eſt, unumquemque certò perſuaſum eſſe debere de ſalute ſua. Et ex eo quòd Apoſtolus ad ſpem noſtram confirmandam alleget fidem Dei promittentis, collige bona opera non ſuaptè naturâ, ſed ex decreto & promiſſione Dei eſſe meritoria vitæ æternæ.

ỷ. 24. Et conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum:

Apoſtolus 1 hortatus eſt ad fidei plenitudinem; 2 ad firmitatem ſpei: & 3 hìc ad opera charitatis. q. d. Sunt inter vos qui fratrum infirmitatibus offenſi diſſidia ſuſcitant, conventus deſerunt & defectionem moliuntur. Contrà vos adhortor, ut mutuas infirmitates diſſimulantes, potiùs invicem conſideretis ſecundùm ea quibus ad charitatem & bona opera provocemini. Conſiderate proximorum virtutes ut eas imite-

mini, miſerias ut ſublevetis, animi verò infirmitates ſupportate, nec aliter in eas intendite quam ut corrigantur. Huc ſpectant quæ habentur *infrà cap.* 12. ℣. 14. & *cap.* 13. ℣. 1. Tanta vis eſt exempli, ex *Chryſ.*

℣. 25. *Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tantò magis quantò videritis appropinquantem diem.*

Non deſerentes collectionem noſtram, græcè, ἐπισυναγωγὴν, quam vocem noſter interpres 2. *Theſſ.* 2. ℣. 1. *congregationem* vertit. Quid autem hìc moneat Apoſtolus non certò conſtat. Græci, authore *Chryſ.*, ſentiunt, Apoſtolum monere, ne conventibus eccleſiaſticis ſe ſubducant; quòd per eos mutua charitas, de qua *parte præced.*, foveatur. Et ſic pertinet hæc admonitio, vel ad eos qui metu perſecutionum non audebant hujuſmodi conventus adire, vel potiùs ad eos qui cum fratribus humilioris conditionis, ùt erant inter Chriſtianos multi, congregari dedignabantur; niſi colerentur præ ceteris, contrà quos agit *Jac.* c. 2. *ſuæ Epiſt.* Huic ſenſui favet nomen reciprocum ἑαυτῶν, quod hìc vertitur *noſtram*: ſed ſignificantiùs ab aliis *mutuam*. q. d. Non alienantes vos à cætibus, ad quos Chriſtiani *mutuò* conveniunt. Latini interpretantur de deſertione Eccleſiæ per Schiſma aut Apoſtaſiam, ad quam Judæi nonnulli, ſemel ad fidem converſi, erant proclives. Pro hac expoſitione facit quòd *verſu ſeq.* ſubjungitur: *voluntariè enim peccantibus* &c., quod de iis intelligendum videtur, qui veritatem fidei ſemel acceptam & cognitam deſtinatâ voluntate deſerunt. Quod ut ita ſit, commodè tamen Græcorum expoſitioni aptari poterit: nam qui conventibus eccleſiaſticis per ſuperbiam ſe

ſubſtrahunt, proximi ſunt graviori ruinæ, qui vel ſectas proprias pariant, vel per Apoſtaſiam in priſtinam infidelitatem relabantur. *Sicut conſuetudinis eſt quibuſdam :* hæc pars iterùm facit pro ſenſu Græcorum. Notat enim eos qui frequenter & ordinariè faciebant quod hìc improbat, quod Apoſtaſiæ, quæ uno actu abſolvitur, non ita convenit. *Sed conſolantes :* ſenſus eſt ; conventus & ſynaxes ne deſeratis ; quin potiùs inter hujus vitæ preſſuras & perſecutiones, quoties convenitis, adhortamini mutuò ad patientiam *conſolantes* vos ſpe futuræ retributionis : idque *tantò magis* & libentiùs facite: *quantò videatis appropinquantem diem* illum quo fidei laboris ac patientiæ veſtræ mercedem eſtis accepturi. Nam ſicut rei ſperatæ dilatio *animam affligit*, *Prov.* 13. ℣. 12. ; ita ejuſdem appropinquatio recreat & ad opus facit alacriorem. Dicit *diem* ſcilicet extremi judicii *appropinquare*, id eſt, magis ac magis accedere, etiamſi fortè procul adhuc abſit : ut monet *Paulus* 2. *Theſſ.* 2., & *Petrus* 2. *Epiſt.* c. 3. adversùs eos qui dicebant ℣. 4. *Ubi eſt promiſſio vel adventus ejus?* Docens ℣. 8. *mille annos apud Dominum eſſe ſicut unum diem.* Urget autem hæc *Pauli* admonitio ad ſpem acuendum eò magis, quòd licèt dies judicii multùm differatur, tamen dies mortis unicuique immineat. Adde quòd *dies Domini* dicatur *appropinquare*, ſicut tempus à primo Chriſti adventu uſque ad ſecundum vocatur *noviſſima hora*, *conſummatio ſeculi* &c. Loca ſimilia ſunt *Rom.* 13. ℣. 11. & *Phil.* 4. ℣. 5. ; ex *Eſtio.*

℣. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia,*

Voluntariè peccantibus, græcè eſt in ablativo.

abſolutè poſito, hoc ſenſu; *Nam ſi voluntariè peccamus .... jam non relinquitur*, græcè, *non ampliùs, non ultrà pro peccatis reliqua eſt hoſtia.* Locum hunc perinde ùt illum *c. 6. ℣. 4. & ſeqq.* Novatiani quondam ſuo dogmati, quo lapſis pœnitentiam negabant, vindicare conati ſunt. Et quidem propterea apud quoſdam Catholicos ſuſpecta habita fuit hæc Epiſtola; ſed immeritò. Catholici tamen in eo interpretando non omnes conveniunt. *Chryſ.* & ejus ſequaces intelligunt *voluntariè peccantes* eos, qui poſt baptiſmum in gravia peccata relapſi ſunt: quibus, dicunt Apoſtolum negare *relinqui pro peccatis hoſtiam*, eò quòd in Eccleſia non ſit locus ſecundo baptiſmo: & per *hoſtiam* aut baptiſmum intelligunt, aut potiùs crucem Chriſti quatenùs in baptiſmo operatur: ita etiam explicat *Aug. in inchoat. expoſ. Epiſt. ad Rom.* Plura tamen ſunt, quæ huic commentario videntur obſtare, præcipuè *verſus ſequens*: quæ latiùs deducta videri poſſunt in *Eſtio.* Alii ferè eodem modo *hunc verſum* explicantes, ne pars ſequens eis obſit, illam exponunt de pœnis ignis purgatorii: verùm ipſe contextus & verba Apoſtoli alium ſenſum manifeſtè indicare videntur. Quare *Eſtius* tertiam ſuggerit ſententiam: quâ reſtringit *voluntariè peccantes* ad ſolum Apoſtaſiæ crimen, ut locum præbeat terribili huic ſententiæ, *jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis quædam expectatio judicii* &c. Reſtringit inſuper crimen illud ad ſolam Apoſtaſiam, quæ non ex infirmitate vel ignorantia ſed ex malitia procedit: quam malitiam auget circumſtantiis aggravantibus ex ℣. 29. deſumptis: *qui filium Dei conculcaverunt, & ſanguinem* &c. Loquitur autem, inquit, Scriptura de hujuſmodi peccato, velut de lapſu irreparabili; non quin verè pœnitenti pateat locus ve-

niæ per ſanguinem Chriſti, ſed ſignificans eos, qui hoc modo peccant, vix umquam ad veram pœnitentiam adduci. Allegat autem pro hac ſua interpretatione *Matth.* 12. ℣. 32.; 2. *Pet.* 2. ℣. 21. & 1. *Joan.* 5. ℣. 16. Hæc autem verba, *jam non relinquitur pro peccatis hoſtia* explicat de hoſtia quidem diverſa à prima oblatione in cruce; ſed ejuſdem Chriſti: hoc modo: ſi qui noſtrûm voluntariè peccaverint abjectâ veritatis notitiâ, hi, quoniam Chriſti hoſtiam ſemel oblatam, ſuâ apoſtaſiâ penitùs & omninò in ſe fruſtraverunt, non eſt quòd expectent hoſtiam Chriſti pro ſuis peccatis iterandam; id eſt, ut iterùm crucifigatur Filius Dei; quod gravitas & magnitudo lapsûs eorum ſi reparandus ſit, videbatur expoſcere. Non enim ampliùs moritur Chriſtus, *Rom.* 6.; quin potiùs ſciant exſpectandum ſibi eſſe terribile judicium. Adjungit *Eſtius*, *Paulum* durioribus his verbis uti, tum ut peccati magnitudinem & periculum demonſtret, cujus venia vix poſſit expectari; tum quia terrere voluit ſtantes, ut ſibi à lapſu caverent; alioqui certè cum lapſis, ſi feriò locum veniæ quærerent, aliter locuturus. Huic *Eſtii* commentario *Mauduit in diſſert.* XVI. multa opponit, pluribuſque adſtruit, eum vix differre ab interpretatione *Chryſoſtomi*, à qua ſalvâ illius reverentiâ *Eſtius* recedendum putat. Videri poteſt dicta *diſſertatio*, cujus author probabilem hanc hujus loci profert explicationem: quam *Eſtius* etiam leviter attingit & rejicit. Exiſtimat *Mauduit* poſt *Riberam*, *Paulum* loqui de hoſtia à Chriſto diverſa; idque hoc ſenſu: ſi quis Chriſti notitiam ſemel acceptam abjecerit, non eſt quòd ſalutem ſperet; niſi ad Chriſtum revertatur: non enim inveniet aliam hoſtiam, per quam peccata ſibi remittantur & pœnas effugiat æternas. Hunc

ſenſum hoc modo elucidat *Mauduit : Non deſerentes collectionem* explicat non de ſimplici tantùm à conventibus eccleſiaſticis abſentiâ ; ſed etiam de non deſerendo Eccleſiam per formalem apoſtaſiam. Et hæc, *Sicut conſuetudinis eſt quibuſdam* &c. explicat non de quibuſvis particularibus, ſed de certa aliquorum claſſe vel ſecta, quæ ad Apoſtaſiam magis ſolebat eſſe proclivis. *Peccantibus nobis*, ſcilicet Hebræis quibus ſeipſum adjungit Apoſtolus, *jam non relinquitur* &c. ; quæ verba dictus author de omnibus ſacrificiis V. Legis intelligit, ad quæ Hebræi in fide vacillantes reverti volebant. Tandem *verſum ſequentem dicit*, aliter explicari non poſſe, quàm de ultimo judicio & æterna damnatione. Quibus ſuppoſitis hunc generalem horum verſuum ſenſum allegat : Apoſtolus obteſtatur Hebræos, ne à communione Fidelium ſeſe ſeparent : quia ſi deſerant Jeſum Chriſtum qui unica nobis pro expiandis peccatis hoſtia eſt, & præcipuè ſi id deſtinatâ voluntate poſt acceptam veritatis notitiam faciant, nulla ampliùs eis ſupereſt exſpectanda pro peccatis hoſtia, ſed terribile tantùm Dei judicium & ignis æterni pœna : Sacrificia enim V. Legis, ùt jam *in ſuperioribus* Apoſtolus demonſtravit, nunquam potuerunt aliquem perfectum reddere, ſeu juſtificare : quod à tempore adventûs Chriſti certò multò minùs poterunt : ita *Mauduit in citata diſſert.* XVI.

℣. 27. *Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.*

q. d. Sed relinquitur expectandum formidabile judicium ſeu damnatio, ſeu punitio, ùt *cap.* 6. ; ubi nomine judicii æterni damnatio intelligitur. Quidam de pœnis purgatoriis acci-

piunt, ut ſenſus ſit, qui fide ſemel ſuſceptâ relapſi fuerint in gravia peccata, manet eos terribile judicium Dei quod exercet poſt hanc vitam; etiamſi converſi fuerint à peccatis. Servantur enim igni purgatorio qui eſt *æmulatio* ſeu repræſentatio quædam illius *ignis* qui conſumet impios, id eſt, ignis æterni. Quod intellige niſi per ſpontaneam & juſtam ſatisfactionem, quâ dum vivunt in ſeipſis ſua peccata vindicent, terribile illud futuri ſeculi judicium præveniant. Alii ùt ℣. *præced.* dictum eſt, *meliùs* de damnatione æterna ſic exponunt: qui in gravia peccata, præſertim in apoſtaſiam fuerint relapſi, reliquum eſt, ut expectent terribile Dei judicium in impios exercendum, & ignem gehennæ ſævientem qui *conſumpturus eſt* ſeu devorabit, id eſt, excruciabit omnes Dei *adverſarios*, quorum in numero & iſti cenſebantur. Ignem fingit zelantem pro Dei gloria, & quaſi dolentem, & vindicantem ejus injurias, ùt *Ezech.* 36. ℣. 5. *Sophon.* 1. ℣. 18. & c. 3. ℣. 8.; undè legunt & *ignis zelus*, vel *ignis zeli* videlicet expectatio. *Ignem* intellige non cruciatum malæ conſcientiæ ùt Calvinus, ſed corporeum: ſicut & alibi cùm de pœna damnatorum ſcriptura loquens ignem nominat: ùt *Matth.* 5. 18. & 25., 2. *Theſſ.* 1., & *Apoc.* 19. 20. & 21. Sic ignem contra Origenem interpretati ſunt orthodoxi Patres: ex *Eſtio* & *S. Chryſ.*

℣. 28. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſinè ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur.*

Irritam faciens, quod intelligi poteſt duobus modis: vel unum aliquod præceptum violando, velut, *non occides*; vel ipſam totam legem abjiciendo: quod fiebat, ſi quis ad Deos alie-

nos declinaret; poſteriorem ſenſum vox græca expetere videtur, quæ non ſimpliciter transgredi ſignificat, ſed irritam facere & abjicere: ſic enim & alibi ſumitur, *ad Gal.* 2. ℣. 21.; & veriſimile eſt, Apoſtolum reſpicere *ad Deut.* 17. ℣. 3. 5. & 6. Ex quo colligit *Eſtius* locum hunc de Apoſtaſia potiſſimùm intelligendum eſſe. Illud porrò *ſinè ulla miſeratione*, græcè, *ſinè miſerationibus*, additum eſt ad oſtendendam inexorabilem legis ſeveritatem, in ejuſmodi ſcelere puniendo.

℣. 29. *Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Si enim legis transgreſſor moritur ſinè miſeratione, *quanto* graviora meretur *ſupplicia qui Filium Dei* deſpectui habuerit, mandata illius negligendo? *Et ſanguinem teſtamenti* intellige confirmativum, id eſt, quo ſancitum & confirmatum eſt novum teſtamentum, *pollutum*, ſeu immundum exiſtimaverit, nihilque ab aliorum animalium vel hominum ſanguine differre putaverit, & quod *Paulus ad Cor.* 11. ait non dijudicans corpus Domini. *Et ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit*, id eſt, Spiritui ſancto, dum acceptam gratiam rejicit, ita *Gaig.* Hunc ergò contumeliâ afficit qui ejus beneficia contemnit: contemnit autem vel quiſquis gratiam in baptiſmo acceptam novis peccatis expellit, vel potiùs qui Chriſtum ipſum, cujus merito Spiritum ſanctificationis acceperat, per apoſtaſiam deſerit ac repellit, ut *gratia* potiſſimùm hìc intelligatur beneficium vocationis ad fidem Chriſtianam. Audiamus qui indignè ſacramentorum participes ſumus, ait *Chryſ.*

Hic rurſum obſerva contrà Calvinum, eum qui ſemel Chriſti ſanguine verè fuerit ſanctificatus, poſſe eam ſanctitatem peccando amittere.

℣. 30. *Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterùm : Quia judicabit Dominus populum ſuum.*

Quòd animadverſurus ſit Dominus in hujuſmodi, qui Filium Dei conculcaverint &c. probat teſtimonio Scripturarum *Deut.* 32. q. d. vobis loquor Hebræis qui in lege & ſcripturis inſtituti mecum *noſtis* eum *qui dixit* : *Mihi* competit jus & officium ulciſcendi adverſarios atque illud exequar *ſuo tempore*, ùt additur in Hebræo. Docet *Paulus* aliquando futurum ut ſupplicia quæ oſtendit eos mereri qui notitiam veritatis abjecerint, vindici Deo pendant, tanquam in Filium Dei & ſanguinem ipſius & Spiritum Sanctum graviter injurioſi. *Et iterum* Pſ. 134. *Quia judicabit*, &c. Sunt qui de temporariis futuri ſeculi pœnis exponunt, quaſi judicium hìc intelligatur vindicativum in peccata populi Dei: quale illud de quo 1. *Pet.* 4. ℣. 17. Alii judicium diſcuſſionis quo nimirùm examinet Deus populi ſui facta : ut quorum mala invenerit puniat, quorum bona præmiis afficiat. Meliùs alii Deum facturum judicium pro populo ſuo de adverſariis, id eſt, juſtas pœnas ſumpturum tanquam de deſertoribus & impugnatoribus populi ſui, ùt *Pſal.* 25. 42. 53. 73. Tale eſt illud *Gen.* 30. *judicavit mihi Deus*, id eſt, pro me adversùs æmulam meam. Id *Luc.* c. 18. ita expreſſit ſub perſona viduæ judicem interpellantis: *Vindica me de adverſario meo.*

℣. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.*

Hoc velut Epiphonemate claudit ſermonem

quo de voluntariè peccantium ſcelere ac punitione diſſeruit. Duo autem ſignificat; ſupplicii gravitatem peccato reſpondentem, & ejus evadendi impoſſibilitatem. Nam homo judex flecti poteſt aut falli, aut vi impediri ne ſontem puniat, aut certè non quantùm meretur: at horum nihil in Deo locum habet; deindè mortalis homo punitionem ultra mortem extendere non poteſt, Deus autem, ùt ſemper vivens, æternas pœnas ſervat peccatoribus poſt mortem, *Luc.* 12. ℣. 5. ex *Theoph.* Quæres quomodò hic verſus non pugnet his Davidis verbis: *Melius eſt ut incidam in manus Domini quàm in manus hominum.* ℟. Davidem non abſolutè dicere hoc melius eſſe; ſed pœnitenti & de Dei miſericordia ſperanti id melius ſeu optabilius eſſe: ſubjungit enim David; *Multæ enim miſericordiæ Dei ſunt.* Ita ex *S. Thoma Eſtius.*

℣. 32. *Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum:*

Poſt injectum terrorem ſuppliciorum, quæ manent fidei deſertores, nunc ad inſtitutam redit exhortationem quâ ad conſtantiam exſtimulat commemoratione fidei & patientiæ quam primis annis ſuæ converſionis exhibuerant, *in quibus illuminati* fide ſcilicet in baptiſmo, id eſt, baptizati; nam baptiſma à Veteribus dicebatur ſacramentum illuminationis, (ùt dictum eſt *cap.* 6.) vel ob fidem profeſſam, vel propter admirabile lumen gratiæ Dei, in quod à tenebris per baptiſmum homines transferebantur, ùt 1. *Pet.* c. 2. ℣. 9. & *Act.* 2. & 4. ùt ſit ſenſus; *recordamini* priſtini temporis quando primùm facti Chriſtiani dura & ardua pro Chriſti nomine *certamina ſuſtinuiſtis*, fortiter ferendo afflictiones à perſecutoribus illatas.

℣. 33. *Et in altero quidem opprobriis, & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem ſocii taliter converſantium effecti.*

Senſus eſt; partim opprobria & afflictiones publicè paſſi non ſinè gravi ignominia; partim etiam facti participes, ſive conſortes eorum qui talia paſſi ſunt. Participes autem in eo quòd aliis condolebant, & tam rebus quàm verbis ſolatium afferebant. Hoc & conſolantis eſt & hortantis; ait *Chryſ.*

℣. 34. *Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.*

Græci legunt, *nam & vinculis meis compaſſi eſtis*; ex quo loco *Valla* conjicit hujus epiſtolæ authorem eſſe *Paulum*: quis enim alius in Italia vinctus miniſtro *Timotheo* præter *Paulum* uti potuit? Quanti autem hoc argumentum valeat, videri poteſt apud *Eſtium*; qui putat lectionem vulgatæ, cui textus ſyriacus patrocinatur, Græcis anteponendam: & certè laus generalior eſt vinctis condoluiſſe, quàm uni vincto. Proſcribebantur autem fidelium Judæorum bona ab infidelibus; quam *bonorum* jacturam non modò, inquit, non ægrè tuliſtis, ſed *cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere* nunquam interituras gloriæ cœleſtis divitias, præ quibus terrena omnia neglexiſtis; ex *Chryſ.*

℣. 35. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.*

Hortatur eos ne à ſpe excidant, & quidquid adverſi acciderit, omnem in Deum confidentiam ponant, & patienter ferant: id enim Deo placere, nec ſinè remuneratione eſſe, docet.

℣. 36. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

Id eſt, neceſſe eſt, ut nunc adverſa toleretis pro Deo, ſi cum eo poſtmodùm regnare vultis, ut 2. *Tim.* c. 3. ℣. 12. *Voluntatem Dei facere*, eſt facere ea quæ Deus præcipit : intelligitur enim voluntas quæ in præceptis conſiſtit, quorum unum eſt, idque non poſtremum adverſa patienter ac perſeveranter ferre pro Chriſti nomine. *Promiſſionem* verò intelligit bona promiſſa, ex *Eſtio*.

℣. 37. *Adbuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.*

Ne promiſſione nimis diu dilatâ conquerantur Hebræi, Apoſtolus adducto Prophetæ teſtimonio docet breve & modicum eſſe promiſſionis implendæ tempus. q. d. Tenenda eſt, ut dixi, *patientia*, nam nec longa eſt, nec vehemens, ſed modica & quantula ne longum vobis & durum videatur eam ſervare, nam propè eſt finis uniuſcujuſque, & mox requieſcetis à labore & percipietis gloriam Chriſto judice, ita *Anſel. Qui venturus eſt veniet*, in hebræo, *veniens veniet* : quâ phraſi ſignificatur certitudo rei, vel aſſiduitas, vel impetus; vel vehementia; vel quid ſimile. Eſt enim phraſis cognita, & exempla obvia ſunt : ut *Exod.* 3. ℣. 16., *Pſalm.* 39. ℣. 1., & *Iſaïæ* 61. ℣. 10. Ut ſenſus ſit; omninò & procul dubio *veniet*. Et Meſſias deſignatur, ὁ ἐρχόμενος, qui venturus eſt, (ut *Matth.* 11. ℣. 3.) nempè in ſecundo adventu. *Et non tardabit*, id eſt, non differet adventum ſuum ultra tempus conſtitutum : quod breve eſt, comparatione æternitatis. Licèt ſenſus Prophetæ magis ſpectet primum

Chriſti adventum, rectè tamen juxtà myſticam intelligentiam referri poſſunt & ad primum & ad ſecundum: nam ſicut ille ex fide erat exſpectandus; ita & iſte: ex *Eſtio*.

℣. 38. *Juſtus autem meus ex fide vivit. Quòd ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.*

Ex fide vel *ſuâ*, quam habet in Deum, ùt Hebræi legunt; vel ùt LXX. habent, ſecundùm quorum verſionem ſemper *in hac Epiſt.* Apoſtolus citat ſcripturas Veteris teſtamenti; *Ex fide mea*, id eſt, illi à me infusâ *vivit* græcè, *vivet*: de qua vide *Rom.* 1. & *Gal.* 3. Quamdiu credit juſtus & ſperat in Deum, vitâ vivit ſpirituali, & vos itaque credite in Deum & Chriſtum, remuneratoremque eum ſperate & vivetis, nec deficietis in tentationibus, ita *Gaig.* Ut autem vehementiùs illos ad ſperandum invitet, ſubdit ad teſtimonium *Abacuc*, *Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ*, id eſt, ſi per ſuperbiam *ſubtraxerit* vel ſubduxerit ſe fidei & obedientiæ divinæ; vel ſpei & exſpectationi Chriſti præmiatoris; vel (quod potiùs ſignificatum puto, ait *Eſtius*) præſentis vitæ malis & periculis, quæ fidelibus propter ſpem vitæ æternæ toleranda ſunt, *non placebit animæ meæ*, id eſt, mihi vel voluntati meæ, ex *Thoma*.

℣. 39. *Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.*

Dictio *filii* non eſt in græco, nec in ſyriaco; ut ſenſus ſit, *Nos autem*, qui in Chriſtum credimus promiſſa ejus expectantes, *non ſumus* qui per ignaviam & impatientiam ſubducamus nos tolerandis ærumnis vitæ præſentis: quod nobis ceſſurum ſit *in perditionem* æternam.

ſed ad fidem pertinemus, quâ ſuffulti ac corroborati perferamus hujus vitæ mala, quod nobis profuturum ſit *in acquiſitionem* ſive poſſeſſionem, id eſt, ſalutem animarum noſtrarum; ùt *Luc.* 21. ℣. 19. ex *Anſel.*

CAPUT XI.

Declarat vim & efficaciam fidei ex antiquorum exemplo, qui per fidem multa operati ſunt.

℣. 1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

OStendit patientiam iis neceſſariam eſſe & utilem ex fide quâ juſtus vivit. Nunc quomodò fides utilis ac neceſſaria ſit, oſtendit ex ipſa fidei notione. Pro *ſperandarum* *Aug. tract. 79. in Joan. & alibi* legit *ſperantium*; accipiens ἐλπιζομένων, ùt participium medium, activè ad hunc ſenſum: quòd ſicut anima in eſſe naturæ eſt ſubſtantia hominum, ita in eſſe gratiæ fides eſt ſubſtantia ſperantium hominum, niſi enim crederent ſe aſſequi poſſe quòd ſperant, à ſpe exciderent. *Eſtius* tamen præfert lectionem vulgatæ, ſecundùm quam *fides* eſt rerum *ſperandarum* vel *ſperatarum ſubſtantia*, quòd eas quodammodò ac ſi in rerum natura eſſent, eaſque jam poſſideremus, ſubſiſtere facit, quòdque tam certi illarum ſumus, quàm ſi jam teneremus; certiores verò quàm ſi vel oculis eſſent conſpectæ, vel ratione demonſtratæ, & ſic hypoſtaſis ac ſubſtantia, ſeu exiſtentia à *Chryſ.* & *Theod.* ſumitur & explica-

tur: quam interpretationem *Eſtius* magis germanam putat. Alii ſunt qui dicunt fidem hìc dici *ſubſtantiam* ſeu ſubſiſtentiam, quòd ſit veluti baſis ac fundamentum, cui ſperata ſalus ita innitatur, ut abſque ea haberi nequeat; quomodò columna baſi, & domus innititur fundamento; vel etiam quomodò accidentia à ſubſtantia ſuſtinentur. Huc facere putant ejus vocis acceptionem 2. *Cor.* 9. & 11. Et ab hoc ſenſu non multùm recedit *S. Thom.* (qui tamen etiam Græcorum interpretationem adfert) dum *in comm.* & 2. 2. q. 4. a. 1. fidem dici vult *ſperandarum ſubſtantiam*, quòd initium *rerum ſperandarum* in nobis ſit per aſſenſum fidei, quæ virtute continet res ſperandas. *Fides* verò dicitur *argumentum non apparentium*, id eſt, convictio, oſtenſio ac demonſtratio earum rerum quæ à nobis non videntur, id eſt, quas nec ſenſu percipimus, nec ratione comprehendimus; propterea quòd eas oculis mentis noſtræ tam certò repræſentet, ac ſi reipſa coram poſitæ eſſent, jamque exhibitæ, ita *Chryſ.* & *Aug. l.* 13. *de Trin. c.* 1. Apoſtolus autem *hoc loco* non tam definitionem quàm deſcriptionem quamdam fidei facit; tametſi definitionem vocent *Hier.*, *Theod.*, & *Theoph.*; comprehenditur etiam eâ deſcriptione fides informis: ut facilè ex dictis patet: ex *Eſtio*.

℣. 2. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.*

Senes, id eſt, qui fuerunt antiquis temporibus, ut Abel, Enoch, Noë, Abraham. Vim ac proprietatem fidei declarat atque illuſtrat Apoſt. variis antiquorum Patrum exemplis, qui per fidem magna & mira paſſi fuerunt, ideòque per eam *teſtimonium conſecuti ſunt* in ſacris litteris, quòd juſti eſſent ac Deo probati

Ex hoc loco deſtruitur eorum opinio, qui putaverunt antiquos juſtos, ante legem & ſub lege, non habuiſſe fidem explicitam immortalitatis animarum ac reſurrectionis corporum, & omninò retributionis bonorum & malorum poſt hanc vitam; pro argumento ſumentes quòd de his admodùm obſcurè Moyſes ceterique Prophetæ locuti ſint: quaſi non exſtent in libris Prophetarum aperta & illuſtria teſtimonia reſurrectionis mortuorum, univerſalis judicii, vitæque futuræ: ita *Eſtius*.

℣. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei: ut ex invisibilibus viſibilia fierent.*

Oſtendit primò fidem eſſe argumentum non apparentium, idque de præteritis; ut doceat futura, quæ promittuntur, pari certitudine tenenda eſſe. *Fide*, inquit, id eſt, per fidem *intelligimus aptata eſſe ſecula*, per quæ ſignificantur omnia quæ in mundo ſunt & creata omnia *verbo Dei* coagmentata omnibuſque numeris perfecta & abſoluta eſſe, ut *cap.* 1. *Verba Dei* non intelligitur Filius, ſed verbum voluntatis & imperii de quo *Geneſ.* 1. *fiat* &c. Per *inviſibilia* quidam præjacentem rerum omnium materiam intelligunt, quam primùm creaverit Deus, ex qua informi inviſibilique materia, viſibiles poſtmodùm res eduxit, ex *Gaig*. Alii inviſibilium nomine ideam rerum omnium, quæ in Deo eſt, intelligunt, ex qua creaturæ omnes fluxerunt: quamquam reverà *nihil* aliud in Deo eſt idea niſi Deus ipſe inviſibilis, ex quo, per quem, & in quo omnia; quomodo autem mundi hujus ornatus tam potenter conditus, tam ſapienter gubernatus ſit ratio non capit humana, & ideò rectè *Paulus* ait *fide aptata eſſe ſecula verbo* ſeu

ratione *Dei*. Alii *ex inviſibilibus*, id eſt, ex nihilo viſibilia facta interpretantur; nihil enim tam inviſibile quàm quod omninò nihil eſt: vel meliùs reſpicit *Paulus* ad locum *Geneſis ex* LXX. *Terra autem erat inviſibilis, & incompoſita:* inviſibilis quidem, quia coöperta aquis quas undiquè tenebræ involvebant, nondùm enim erat lux creata: *incompoſita* verò, quia carebat ornatu, qui ſequentibus diebus ei acceſſit; ſed & cœlum quidem luce vacuum, & per hoc *inviſibile*, deindè verò uſque ad quartum diem Sole, Lunâ, Stellis velut ornatu ſuo deſtitutum, ideòque *incompoſitum* fuit: & ſenſus erit, *ut non apparentium*, id eſt, *ex non apparentibus* ea quæ videntur, id eſt, *apparentia*, ſeu conſpicua fierent, vel *ut ex non apparentibus viſibilia fierent*, ùt *Sap.* c. 11. ℣. 18.; ex *Cajet.* & *Eſtio*.

℣. 4. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Caïn, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.*

Recenſiturus catalogum eorum, qui fide inſignes fuerunt, rectè ab *Abel* incipit, quòd is primus afflictatus eſt à fratre, ut & ipſos à fratribus & contribulibus afflictatos conſoletur. *Fide*, inquit, *Abel plurimam*, græcè, copioſiorem ſive honoratiorem *hoſtiam* & oblationem *obtulit quàm Cain*, *per quam teſtimonium conſecutus eſt*, *eſſe juſtus*, *Gen*. 4. ℣. 4., *Matth*. 23. ℣. 35. Hoſtiam autem fide Abel obtulit credens remuneratorem Deum fore, & *per illam* fidem *defunctus adhuc loquitur*, ùt *Gen*. 4. dictum eſt ad *Cain*, *vox ſanguinis fratris tui clamat ad*

mr de terra : ſi ad tempus præſens referas, ſenſus eſt, quòd fama adhuc in hominum opinione vivit, ita *Gaig.*; quia fides facit eum uſque hodiè vivere in hominum memoria cum laude juſtitiæ tanquam ſi ipſe dicat, imitamini me mortales, ut & vos fide juſtificati Deo placeatis accepturi gloriam etiam in hoc ſeculo, ita *Chryſ.*; vel *loquitur*, id eſt, in lingua ac ſermone hominum verſatur; ex *Theoph.* Prima tamen expoſitio ex hiſtoria *Geneſis* deprompta germanior videtur: nam eo teſtimonio Deus oſtendit Abel ob fidem meliorem hoſtiam obtuliſſe : ita *Eſtius*.

℣. 5. *Fide Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur: quia tranſtulit illum Deus: ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.*

Verba ſunt ex *Gen.* 5, deſumpta juxta verſionem LXX.; pro quibus ex hebræo tranſtulit *Hieronymus*, *& non apparuit*; *quia tulit eum Deus*. Ex quo liquet non eſſe ſenſum, & non inveniebatur etſi diu multùmque quæſitus, ſicut de Elia ſcribitur 4. *Reg.* 2.; ſed tantùm ſignificari, quòd non ampliùs inter homines apparuerit, quovis modo ſubſtractus ſit ex oculis ſive per mortem vel aliter. De mortuis enim etiam in Scripturis dicitur: *Et non ipſe*. Et, *tulit eum Deus*; ùt *Gen.* 42. ℣. 36., *Pſal.* 36. ℣. 36. & *Pſ.* 38. ℣. 14. & *Job* 32. ℣. 22. Et ſalvâ fide quæri poteſt, ubi nunc ſint *Elias* & *Henoch*, quos tamen non dubitamus, in quibus nati ſunt corporibus vivere, ait *Auguſtinus l. de pecc. Orig. c.* 23. Hoc enim ſcripturæ inſinuant, tam *hoc loco*, quàm *Gen.* 5. ubi cùm Moyſes de omnibus, quos recenſet, ſimpliciter ac planè loquens de ſingulo dixiſſet,

& mortuus eſt, de *Henoch* nihil ſimile; ſed è contrario aliâ phraſi dicit, *tulit eum Deus*: quæ phraſis in Scripturis accipitur, ut etiam ad eum referatur qui ſinè morte tollitur: ùt *Gen.* 2. ℣. 15. & 3. *Reg.* 18. ℣. 12. Difficultas eſt quomodò *Sap.* 4. de *Henoch*, tacito nomine, dicatur, quòd *raptus ſit ne malitia* &c. Breviter reſpondet *Eſtius*, raptum intelligi ſinè morte: ſicut de *Philippo* legitur *Act.* 8. Deindè Apoſtolus probat *Henoch* merito fidei tranſlatum fuiſſe ne mortem videret, quia de eo Scriptura teſtatur, quòd *ante tranſlationem ſuam Deo placuit*, *Gen.* 5. juxta LXX.; pro quo nos legimus: *Et ambulavit Henoch cum Deo.* Ita ut ambulare cum Deo idem ſit in phraſi Scripturæ cum placere Deo: ùt *Amos* 3. ℣. 3. & *Gen.* 6. ℣. 9.

℣. 6. *Sinè fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Quomodo valeat dicta probatio: ante tranſlationem Deo placuit, ergo fide tranſlatus eſt; oſtendit his verbis: quia *ſinè fide*, velut fundamento totius juſtitiæ quâ Deo placetur ita ut in omni juſtitiæ opere meritum fidei incluſum intelligatur, *impoſſibile eſt placere Deo*: *Juſtus enim ex fide vivit.* Quare ſi fide tranſlatus eſt Henoch, quia juſtus erat & Deo placens, (hoc enim innuit ſcriptura quæ teſtatur eum ante tranſlationem placuiſſe Deo) igitur tranſlatus eſt fide, id eſt, propter meritum fidei. Nam ſi *accedentem ad Deum* aliquid de Deo *credere oportet*; igitur nemo poteſt ei placere ſinè fide. Nullus enim Deo placet niſi ad Deum acceſſerit; acceditur autem ad Deum ipsâ fide, velut initio motûs quo tenditur in Deum, ùt finem ac terminum. Docet autem, primum

credendum de Deo, *quia eſt*; id eſt, Deum eſſe, & quia *inquirentibus ſe remunerator ſit*, ut *cap. ſuperiori* ℣. 35. & *Gen.* 15. ℣. 1. Conſiderat autem Apoſtolus Deum remuneratorem in eo, quòd ſuis cultoribus retribuat bona promiſſa vitæ æternæ merito bonorum operum contra Novantes. Quæſtionem, an ſicut oportet, ita etiam ſufficiat homini credere hæc duo: reſolvit *Eſtius*, quem conſule.

℣. 7. ***Fide Noë reſponſo accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domûs ſuæ, per quam damnavit mundum: & juſtitiæ, quæ per fidem eſt, heres eſt inſtitutus.***

Fidem quoque *Noë* commendat, qui diluvii futuri, de quo ne ſuſpicari quidem poterat, *accepto reſponſo* ſeu divinâ revelatione *aptavit arcam*, in qua ſe adversùs imbres cum tota familia ſalvum faceret: *per quam*, inquit *damnavit mundum*, ſcilicet per fidem comparativè, dum, ceteris permanentibus incredulis & pereuntibus, ſolus ipſe credidit & evaſit: vel *per quam* arcam, quia dum virum probum Deumque metuendum arcam adversùs diluvium fabricare viderunt, neque ſic quidem crediderunt; per hanc ergò arcam *damnavit mundum*; quia niſi ille arcam fabricaſſet, non eſſent illi auditi ac non crediti diluvii rei, 1. *Pet.* 3. ℣. 20. & *Matth.* 24. ℣. 39. ita *Gaig.* Et dum ex fide, quâ Deo *Noë* credidit, *aptavit arcam in ſalutem domûs ſuæ*, conſecutus eſt juſtitiam quæ eſt per fidem, atque ex fide juſtificatus eſt, ſcilicet eâ ratione quâ juſtificatus legitur Abraham, *Gen.* 15. Non enim prima, ſed ſecunda juſtificatio ſignificatur, quâ per egregium opus fidei juſtitia utriuſque non ſolùm declarata ac probata, verùm etiam aucta coram Deo fuerit: ut *Rom.* 4. ℣. 3. & *ſeqq.*; ex *Chryſ.* & *Theoph.*

℣. 8. *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exiit, neſciens quò iret.*

℣. 9. *Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Jacob coheredibus repromiſſionis ejuſdem.*

Multiplicem Abrahæ fidem commendat, quem illis proponit, ut fidem illius imitentur, quo ſecundùm carnem patre tantoperè gloriabantur. Primùm itaque fidem proponit de qua *Gen.* 12., quâ Deo præcipiente relictis Charris ſeu *Haran*, ubi habitabat, in ignotam ſibi terram *fide* profectus eſt. Et *fide* quoque *moratus eſt in terra promiſſionis* quam illi *Gen* 15. & 17. promittit Deus, in qua, etſi ſua eſſet donante Deo, habitavit tamen *tanquam in aliena*, utpotè quam dato pretio comparavit, & in qua *cum Iſaac & Jacob* ejuſdem promiſſæ terræ *coheredibus habitavit in caſulis* tantùm & tentoriis more viatorum & peregrinorum, qui in alieno ſolo non ædificant: quamquam enim in ea terra velut peregrini habitarent, non dubitabant tamen ſuam eſſe, quam promiſit Deus: ſed velut peregrini in ea habitabant, aliam ſe in cœlo patriam inquirere ſignificantes.

℣. 10. *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex, & conditor Deus.*

Explicat particulam *fide*: & quamvis de Abraham hoc dicat, ad filios tamen promiſſionis cohæredes etiam pertinet, q. d. Non morabantur in illa terra tanquam ejus poſſeſſionem expectantes; ſciebant enim terrenam illam promiſſionem in ſe non implendam. Neque ea res illos

illos angebat, cùm haberent animum fide ſuſpenſum ad civitatem ſupernam, veris Dei cultoribus promiſſam, ſicut dicitur *infrà* ℣. 16. *paravit enim illis civitatem*, cujus proindè cives aliquando ſe fore, certiſſimè ſperabant. Dicit *fundamenta habentem civitatem*, ut eam opponat tabernaculis, quæ fundamenta non habent & pro uſu facilè transferuntur. *Cujus artifex & conditor eſt Deus.* Per quæ verba civitatem cœleſtem expreſſiùs à terrenis diſtinguit: cœleſtis enim, cùm ſit opus ſolius Dei, inſolubilem habet firmitatem: hoc de ea ſub nomine tabernaculi jam aſſeruerat *cap.* 8. ℣. 2. Eòdem pertinet locus *cap.* 9., in quo cœlum manufactis Sanctis opponit. De hac civitate *Aug. Epiſt.* 5. *ad Marcell.* dicit; ubi rex eſt veritas, lex charitas, modus æternitas.

℣. 11. ***Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat.***

Quamquam *Gen.* 18. nonnihil incredula ab initio *Sara* videretur quæ promittente Deo filium riſit, tamen poſteà timore perterrita *credidit*, quòd *fidelis* eſſet Deus & potens quæ promiſerit præſtare: undè & *virtutem in conceptione ſeminis accepit*, ùt multi legunt; ſenſus enim eſt, *Saram*, cùm non tantùm *ſterilis* eſſet, verùm etiam ætatem prætergreſſa, ad recipiendum ſemen idemque retinendum fidei merito virtutem accepiſſe; ex *Chryſ.*

℣. 12. ***Propter quod & ab uno orti ſunt (& hoc emortuo) tamquam ſidera cœli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris, innumerabilis.***

Propter quod, ſcilicet ſuprà propoſitum, id eſt,

propter quam Abrahæ & Saræ fidem *& ab uno* Abrahæ ſemine, *& hoc emortuo*, id eſt, inutili ad generationem ſive ex ſe, ſive ob ſterilitatem & ſenium Saræ *orti ſunt*, ſubintellige filii, ſive poſteri *tanquam ſidera cœli & arena maris innumerabiles*, id eſt, valdè multi, ut *Gen.* 22. ℣. 17., *Dan.* 3. ℣. 36. Sanè, ait *Eſtius*, dici non poteſt Moyſen, cùm ait ad filios Iſraël *Deut.* 1. & 10. Deum multiplicaſſe eos ſicut ſtellas cœli, de ſolis iis loqui qui erant in illo populo electi: nam univerſum populum alloquebatur.

℣. 13. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.*

Summaria hìc collectio eſt, quâ Apoſtolus, ut Hebræos excitet ad patientiam & fidei perſeverantiam uſque ad mortem, oſtendit Parres eorum defunctos fuiſſe, cùm nondùm factas ſibi promiſſiones plenè aſſecuti fuiſſent. *Iſti omnes*, nimirùm Abraham, Iſaac & Jacob, quibus facta eſt promiſſio de terra Chanaan, *juxta fidem*, id eſt, in fide vel cum fide *defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus:* quas *Chryſ.* & alii intelligunt non de terrena hereditate ſed de cœleſti, in cujus exſpectatione omnes juſti ſupradicti defuncti ſunt: Hanc enim nequidem nunc planè acceperunt, in corpore & anima beati; *Sed à longè eas aſpicientes*, quatenùs in Chriſto viderunt reſurrectionem: undè de Abraham inquit, ſciens quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: *& ſalutantes*, id eſt, à longè præviſa gaudentes quomodo nautæ longè portum inſpicientes, etiamſi nondùm pervenerint, cum gaudio ſa-

lutant. *Eſtius* tamen verba illa, *non acceptis repromiſſionibus* poſt *S. Thomam* interpretatur de repromiſſionibus terræ Chanaan; hoc ſenſu: ſecundùm fidem defuncti ſunt S. Patriarchæ, cùm promiſſiones illas ſibi factas de Terra Chanaan non accepiſſent, contenti videlicet eas, in poſteris ſuis implendas, à longè aſpexiſſe & ſalutaſſe. Aſpiciebant autem & ſalutabant à longè; quia quamvis in terra promiſſa habitaverint, non tamen ùt in ſua ſed ùt in aliena, credentes ſuam, id eſt, ſuæ poſteritatis aliquando futuram. *Et confidentes quia peregrini* &c. Hæc verba etiam *Eſtius* de cœleſti hereditate explicat, dicens: Hìc jam Apoſtolus pulchro & conſueto artificio ſermonem transfert à figura ad rem figuratam, id eſt, à terra Chanaan ad promiſſionem patriæ cœleſtis, quam Patres ſeſe accepturos credebant. Quod probat argumento deſumpto ex eo quòd confeſſi ſunt, ſe *peregrinos & hoſpites eſſe ſuper terram*; Abraham quidem *Gen.* 23. ℣. 4. Jacob verò *Gen.* 47. ℣. 9. Idem David de ſe & Patribus ſuis dicit 1. *Paral.* 29. ℣. 15. Et Petrus de omnibus fidelibus 1. *Epiſt.* c. 2. ℣. 11. ita *Nazianz. in Orat. funeb. de laud. Baſil.*, *Nyſſ. in vita Greg. Thaumat.*

℣. 14. *Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.*

Qui, inquit, hoſpites & peregrinos ſe confitentur, eo ipſo palàm oſtendunt, *ſe patriam quærere*, id eſt, regionem quam habeant loco patriæ, ex *Thom.*

℣. 15. *Et ſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi.*

Docet quam patriam inquiſierint: non enim Chaldæam undè fuerant egreſſi: nam ſi ejus,

ùt patriæ memores fuiſſent, facilè ad eam reverti poterant: neque enim illis deerat tempus & commoditas, quia propè erant: dicit autem *de qua exierunt*, cùm ſolus Abraham indè exiviſſet: quoniam & filii indè orti erant ratione patris.

℣. 16. Nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.

Nunc autem, dum ſeſe peregrinos in Chanaan agnoſcunt nec ad terram nativitatis revertuntur, oſtendunt peregrini vocabulo *meliorem* ſe patriam inquirere, *id eſt*, *cæleſtem*; *ideò non* erubeſcit *Deus illorum Deus vocari*; cùm toties dicat: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: *paravit enim*, inquit, *illis civitatem*. Hieruſalem ſcilicet *cæleſtem* quam fide expectabant, & cujus Deus anteà dictus eſt *artifex & conditor*. Paravit autem *illis*, non ſolis ſed ùt præcipuis: undè *Matth*. 8. ℣. 11. & *Luc*. 13. ℣. 29. omnes electi dicuntur cum Abraham Iſaac & Jacob velut cum primis Dei convivis in regno cœlorum recubituri. Si igitur illis non ſolis, ſed tanquam amicis ſuis primariis paravit civitatem, meritò ſanè vocari voluit eorum Deus, ex *Thoma*. Quod autem Apoſtolus dicit, *Nunc autem*, non tempus ſignificat, ſed partim aſſumptivæ, partim illativæ conjunctionis vim habere videtur; ut idem ferè ſit quod *atqui*, *ſed*, *itaque*; quaſi dicat Apoſtolus, itaque fatendum eſt eos *meliorem* &c. Sic & alibi accipitur: ùt *Rom*. 3. ℣. 21., 1. *Cor*. c. 12. ℣. 18. & 20., & c. 15. ℣. 20. & *Pſal*. 2. ℣. 10.; ita *Eſtius* contrà eos qui peſſimè ex hoc loco eruere volunt, ſanctorum Patriarcharum animas ne nunc quidem frui beatifica Dei viſione.

℣. 17. *Fide obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones;*

Pergit oſtendere inſignem Abrahæ fidem, qui acceptâ promiſſione de multiplicando ejus ſemine non dubitavit immolare filium confidens promiſſis Dei, & credens, quia etiam immolatum ſuſcitare poteſt Deus à mortuis, *Gen.* 22. *Tentare* autem eſt probare, experimentum capere, ſed hoc impropriè de Deo dicitur. Tentat enim Deus non ut ſciat, qui omnia novit antequam eveniant, ſed ut alios ſcire faciat; ſic Deus tentavit Abraham ut ſcire faceret illius obedientiam. Sic enim intelligendum eſt quod Deus ait *Gen.* 22. ℣. 12. *Nunc cognovi*, id eſt, manifeſtum feci, vel nunc apparuit, *quòd timeas Dominum*. Senſus autem & ordo hujus loci eſt, *Abraham fide obtulit Iſaac* filium ſuum eundemque *unigenitum*; ille, dico, *qui promiſſiones acceperat*, id eſt, cui promiſſiones à Deo factæ fuerant, intellige, complendæ in hoc ipſo filio, quem juſſus erat immolare, ita *Eſtius*.

℣. 18. *Ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen:*

Ad quem, ſcilicet Abraham *dictum eſt* à Domino *Gen.* 21: vel *ad quem*, id eſt, *de quo* Iſaac; ùt c. 1. *ad Angelos*, id eſt, *de Angelis*, & c. 4. ℣. 13. *Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen*, hoc eſt, ſola poſteritas ex *Iſaac* propaganda *vocabitur ſemen tuum*, in quo completurus ſum promiſſiones tibi pro ſemine tuo factas: itaque quantùm ad id quod apparet, inquit, etiam contraria jubere videbatur Deus his quæ promiſerat: nec tamen propterea Abraham perdidit fidem. Quomodo namque in Iſaac vocandum erat ipſi ſemen, cùm juberetur immolare Iſaac? Sed tamen ne ita quidem hæſitavit; ex *Oecum.*

℣. 19. *Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus : undè eum & in parabolam accepit.*

Vides quòd per fidem omnia faceret Abraham ? Credebat enim quòd ipſum quoque jugulatum poſſet *Deus ſuſcitare* : *undè & Deus accepit ipſum* ſcilicet Abraham velut *parabolam* & figuram ſui, id eſt, ſtatuit in eo figuram Dei Patris offerentis Filium ſuum pro ſalute hominum. *Chryſoſtom. parabolam* interpretatur arietem, quem vidit Abraham inter vepres hærentem cornibus: hunc enim dicit in ea oblatione figuram ac ſimilitudinem Iſaac fuiſſe, quo mactato ille ſervatus ſit ac patri redditus: vel ùt Iſaac tunc dimiſſus eſt, aries autem cæſus: ſic unus Chriſtus, Deus & homo, ſecundùm humanam naturam pro nobis immolatus eſt, Deitate manente impaſſibili : ex *Theoph.*; vel parabola intelligitur ſymbolum ſeu typus reſurrectionis mortuorum : ut ex eo, quòd Iſaac occiſus, quodammodo fuit & revixit, (nam occiſus quoad promptam voluntatem patris, voce Dei prohibentis revixit) velut à parabola diſceremus mortuorum futuram aliquando reſurrectionem ; ex *Theod*; vel *in parabolam*, id eſt, in ſimilitudinem & exemplum, ut cùm Deus aliquid præceperit durum & arduum, non dubitent homines ipſius exemplo illud aggredi, firmiter apud ſe ſtatuentes, Deum omnia in melius converſurum. Alii meliùs *parabolam* intelligunt *myſterium* ſcilicet reſurrectionis, non quidem omnium mortuorum, ſed Chriſti, ex *Theod.*

℣. 20. *Fide & de futuris benedixit Iſaac Jacob, & Eſau.*

Quomodo enim *Iſaac* filiis ſuis tanta bona promiſiſſet, niſi credidiſſet quòd Deus promiſ-

ſa præſtaret? *De futuris*, id eſt, promittendo bona futura, quæ non videbat. Qua in re fides Iſaac commendatur. Futura autem ſunt aut ipſis *Jacob & Eſau*, aut ſemini eorum; ſiquidem neque ipſi promiſſo fruebantur. Primum autem nominat *Jacob* propter virtutem, probitatem & benedictionem, quâ minor prælatus eſt majori; ex *Thoma*.

℣. 21. *Fide Jacob, moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit: & adoravit faſtigium virgæ ejus.*

Quod, inquit, *Jacob moriens*, id eſt, ægrotus ac morti vicinus *benedixit* duobus *filiis Joſeph* filii ſui, manus commutans & minorem majori præponens, utrique verò magna bona promittens quorum nihil adhuc apparebat; fides effecit, quâ illuſtratus certò credebat ea ventura. *Et adoravit* &c. Hæc pars à præcedenti ſeparanda eſt, ut quaſi novo initio dicatur: *Fide Jacob adoravit* &c. nam hæc adoratio non legitur *Gen.* c. 48. ut pars præcedens, ſed c. 47. ℣. 31.; ubi *Hieronymus* ex Hebræo vertit: *Adoravit Jacob Deum, converſus ad lectuli caput.* Pro quo LXX. habent, *& adoravit ad* vel *ſuper faſtigium virgæ ejus*: prout etiam hìc græcè legitur. Difficultas autem eſt quo pacto præſens Apoſtoli locus cum Hebræo conciliari poſſit. Reſpondet *Eſtius*: Alter modus eſt, ut dicamus id quod apud LXX. legebatur, ſive cùm Hebræo fonte conveniret ſive non, opportunè allegaſſe ſuoque inſtituto accommodaſſe Apoſtolum; quòd ea verſio apud eos, ad quos ſcribebat, in authoritate eſſet ac veneratione. Quaſi diceret: *Et adoravit faſtigium virgæ ejus, quemadmodùm habetur in Bibliis græcis, quæ vos legitis.* Quamquam, ait, quod ad rem præſentem atti-

net, utrumque verum eſſe poteſt; Jacob adoraſſe verſus ad caput lectuli, & adoraſſe faſtigium virgæ Joſeph ſtantis ad lectuli caput. Senſum autem horum verborum aliqui reddunt, quòd Jacob adoraverit Deum innixus ſuper faſtigium virgæ Joſeph: ita *Mauduit in Analyſi*; qui ſenſus ſatis congruit lectioni græcæ. Sed vulgata, videtur inſinuare quòd Jacob adoraverit ipſum *faſtigium virgæ* Joſeph: quod aliqui explicant, cum ſe ad illam incurvaſſe ut poteſtatem honoraret in filio, conformiter ad ſomnium Joſephi *Gen.* 37. Sed quomodo fide adoravit, cùm illam non jam fide, ſed oculis aſpiceret. Quare, ait *Eſtius*, multò rectiùs in hac adoratione intelligimus alicujus rei futuræ myſterium; quod illi optimè explicant, qui dicunt, Jacob in Joſeph filio ſuo Chriſtum ſignificatum proſpexiſſe, & in virga regiam Chriſti poteſtatem agnoviſſe, quia caput Chriſti Deus, 1. *Cor.* 11. Alii dicunt Jacob fide agnoviſſe poteſtatem Joſeph, non quâ ipſe jam pollebat, ſed quâ poſteri ejus ex tribu Ephraim & Manaſſe gaviſi ſunt ſuper decem tribus.

℣. 22. *Fide Joſeph, moriens, de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit.*

Fidem Joſeph memorat, quòd ſcilicet *moriens fide* prænuntiavit, Hebræos in ſuam terram reverſuros; in qua fiducia adjuravit fratres, ut ſua oſſa in terram Chanaan aſportarent, *Gen. ult.*

℣. 23. *Fide Moyſes, natus, occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quòd vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.*

Moyſi fidem explicaturus à parentum ejus fide incipit, qui nihil veriti Pharaönis edictum

de occidendis maſculis, natum Moyſen cùm eleganti facie & leniter ridibunda vidiſſent, *tribus menſibus* occultarunt, ac demùm cùm per vagitum ſervare non poſſent, ad Nili ripam expoſuerunt, fide credentes illum à Deo liberatum iri: de hoc vide, *Exod.* 1., & 2.; ex *Chryſ.*

℣. 24. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaönis,*

℣. 25. *Magìs eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem,*

Nunc ipſius Moyſi fidem declarat, qui, cùm filiæ Pharaönis charus eſſet & filii loco nutriretur, *negavit* ejus *ſe eſſe filium*, malens *cum populo Dei affligi*, *quàm* in deliciis aulæ cum filia Pharaönis *jucunditatem* ac fruitionem *habere peccati: temporalem*, id eſt, momentaneam & tranſitoriam: peccatum autem vocat relictis in adverſitate fratribus frui deliciis; quod neglexit Moyſes facere; ex *Thom.*

℣. 26. *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.*

Non dixit, *majores* duxit *divitias*, quàm *theſauros Ægyptiorum*, bona quæ in cœlis repoſita ſunt, ſed magìs demonſtrans ipſius virtutem, ait *probrum Chriſti*, hoc eſt, probro affici ſicut Chriſtus. Sed quodnam dicat *improperium Chriſti*, valdè dubitatur: non enim Moyſes improperari potuit, quòd Chriſtum coleret. *Chryſ.* & plerique poſt illum interpretantur *improperium* in eo quòd ſicut Chriſtus ignominiâ affectus eſt à Judæis, ad quos miſſus venit, ita Moyſes à fratribus ſuis Hebræis, quibus ſe liberatorem inſinuabat, contumelio-

sè fuit repulſus. *Exod.* 2. ℣. 14., de qua repulſa *B. Steph.* loquitur *in Act. Apoſt.*, & figura erat illius quam Chriſtus paſſus eſt, *Matth.* 21. ℣. 23. Alii *improperium* intelligunt quod Ægyptii dicturi erant in Moyſen profitentem ſe Iſraëlitam; & hoc vocat *improperium Chriſti*, id eſt, populi Dei Chriſtum exſpectantis; quatenùs injuria membrorum in caput redundat. *Ribera* ſentit, Moyſen ſpiritu prophetico intuentem Chriſti paſſionem, optaſſe ejus conformitatem; atque ex ea animi devotione maluiſſe opprobriis affici &c. Porrò ſi conjecturæ locus eſſet, ait *Eſtius*, ſuſpicari poſſemus, Apoſtolum ſcripſiſſe ληστοῦ, non χριστοῦ, id eſt, *Latronis* non *Chriſti*: quod cùm durè ſonaret, nec intelligeretur quorſum dictum eſſet, mutatum eſſe in vocabulum ſono vicinum, idemque piis auribus gratum, ſicut accidit in nominibus νήσους & ἰησους *Eccleſ.* 43. Sic ergò vera lectio eſſet, *improperium latronis*, ſive homicidæ: nam Moyſes, poſtquam occidit Ægyptium, primùm quidem audivit ab Iſraëlita opprobrium homicidæ, cùm ei diceretur: *Nunquid occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Deindè re divulgatâ, multò magis apud Ægyptios quibus jam exoſus haberi cœperat, infamatus fuit, tanquam ſicarius aut latro. At Moyſes hujuſmodi improperium atque infamiam, quam ſuſtinebat causâ populi Dei, pluris fecit, quàm omnes theſauros Ægypti, ita *Eſtius*. *Aſpiciebat enim in remunerationem.* Probant hæc verba, totum quod de Moyſe *Paulus* dicit, fidei fuiſſe effectum. Primùm enim credebat poſt afflictiones, quas cum populo Dei tolerabat, ſecuturam populi liberationem, quæ utique futura erat merces quædam patientiæ prioris: deindè fidei oculos attollebat ad bona cœleſtia, quæ Deus cultoribus ſuis pro mercede ac præ-

mio piorum laborum ſe redditurum promiſit; ex *Eſtio.*

ỷ. 27. *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem regis: inviſibilem enim tamquam videns ſuſtinuit.*

Fide reliquit ſeu egreſſus eſt ex *Ægypto*: quod aliqui interpretantur de egreſſu poſt interfectum Ægyptium; & dicunt, Moyſen *fide* ſeu per fidem *reliquiſſe Ægyptum*, quia reliquit, ne Deum tentaret an ipſum ſervaturus eſſet; hoc ipſum enim fidei erat. Vel cùm per fidem ſciret, ſeu cùm crederet, *non veritus eſt animoſitatem*, græcè, *furorem* ſeu ferocitatem *Regis*. Sed quomodo hoc verum eſt, cùm Moyſes *Exod.* 2. timorem ſuum fateatur, & ideò fugerit in terram Madian. Reſpondent aliqui, eum non ita timuiſſe, quin rurſum rediret: timentis enim fuiſſet non ampliùs reverti in Ægyptum. Quòd ergo ait, *non veritus* ferocitatem *Regis*, intellige ad ſecundò redeundum: primò autem timuit non regem, ſed nolens ſe in manifeſtum conjicere periculum; nam hoc fuiſſet tentantis Deum: aut quòd non timuerit, ne adeò increſceret ejus ferocia: ut eum inquireret fugientem; undè non longè, ſed ad vicina loca aufugit: hoc autem fidei erat, perindè quaſi oculis carneis Deum vidiſſet, qui eſt *inviſibilis*; vidit autem eum oculis mentis & omnia viriliter toleravit ac ſuſtinuit, nempè ærumnas unà cum populo Dei, fugam, ceteraque omnia, ita *Oecum.* Verior tamen hujus loci interpretatio videtur quam *Eſtius* ex *Lyrano* proponit, ſcilicet Apoſtolum non agere de fuga Moyſi ex Ægypto poſt interfectum Ægyptium, ſed de eo diſceſſu, quo cum univerſo populo Ægyptum reliquit, eidemque ad diſcedendum author &

ductor fuit, qua in re fides ejus inſigniter eluxit. Cùm enim res eſſet difficillimi negotii tantam hominum multitudinem, magna ex parte imbellem, è ſedibus ſuis educere in alienam & ignotam terram, ſciretque regis animum, à quo conſenſum vix tandem extorſerat, mutabilem eſſe, ſibique imprimìs infenſum: ac proindè metuendum videretur ne conſilio mutato mox collectis copiis abeuntem populum armatâ manu retraheret, unà ſecum in perpetuam ac duriorem ſervitutem redigendum; hâc tamen iracundiâ regis contemptâ, rem aggreſſus eſt; ſolâ fide ſubnixus, quâ credebat Deum populo ad ea, quæ promiſerat, impedimentis omnibus remotis, viam paraturum: quia Deum *inviſibilem*, ùt adjutorem ſuum ac remuneratorem, *tanquam* oculis *videret*, *ſuſtinuit*, hoc eſt, exſpectavit, vel meliùs ex græco patienter exſpectavit, id eſt, fide Deum tamquam adjutorem & remuneratorem intuens omnia illa dura toleravit; ex *Lyran.* & *Eſtio.*

℣. 28. *Fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos.*

Eâdem quoque *fide Paſcha celebravit*, & agni ſanguine ſuperliminaria domûs & poſtes aſperſit, ut exterminatoris Angeli & primogenita occidentis furorem evaderent. Qui quidem agnus & agni ſanguis Chriſtum Chriſtique paſſionem, per quam liberati ſumus, deſignat; ita *Gaig.* Non ergo nomen hoc inditum eſt à tranſitu filiorum Iſraël per mare rubrum, ùt putant nonnulli, ſed à tranſitu Domini per Ægyptum & præteritione Hebræorum in cædendis primogenitis. Porrò *ſanguinis effuſionem* intellige agni immolati profuſionem, non aſperſionem: ſunt qui *aſperſio-*

um vertunt, ſed vox græca *effuſionem* ſeu profuſionem ſignificat: & priùs effundi debuit, ut poſtibus domuum aſpergi poſſet. *Suprà* quoque c. 9. ſanguinis aſperſio & effuſio tamquam diverſa nominantur. Fide autem promiſſionis divinæ Paſcha celebravit quæ continebatur in Paſchatis inſtitutione quæ habetur *Exod.* 12. ỳ. 14. *Ne* Angelus, Ægyptum tranſiens & omnia ejus *primogenita vaſtans* ab homine uſque ad pecus, quemquam læderet Iſraëlitarum, utpotè prohibitus ſanguine, quo videret aſperſas eorum fores. *Vaſtator* Angelus vocatur, *exterminator*, 1. *Cor.* 10. Hâc ultimâ parte patet, quâ fide *ſanguinis effuſionem* Moyſes fecerit.

ỳ. 29. *Fide tranſierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati ſunt.*

Eâdem *fide*, duce Moyſe, *mare rubrum* pedibus aggredi non dubitarunt; quod per fidem illorum apertum & diviſum viam illis *tanquam per aridam* fecit, quod ſinè fide ingredi tentantes Ægyptii perierunt, *Exod.* 14., ex *S. Thom.* In textu dubium eſt de cujus fide agat Apoſtolus an Populi, an Moyſis: videtur tamen ad utroſque referendum. Ad Moyſen quidem principaliter, ad Populum autem cujus fides cum fide Moyſis conjuncta fuit; licèt non omnes è populo crediderunt; ùt dicitur 1. *Cor.* 10. ỳ. 5.; ex *Eſtio.*

ỳ. 30. *Fide muri Jericho corruerunt, circuïtu diërum ſeptem.*

De fide filiorum Iſraël loquitur, qui non dubitaverunt, duce Joſue, ſinè armis *Jericho* ſe poſſe capere, de quo *Joſue* 6.

℣. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.*

Hoc loco commendatur fides meretricis, ſicut apud *Lucam* c. 7. fides peccatricis, non quòd illa meretrix, hæc peccatrix remanſerit; ſed ut ſignificetur his nominibus, quid fuerint antequam crederent & credendo pœnitentiam agerent. Et fidei adjungit opus ex fide profectum, per quod ſalutem meruit, quemadmodùm & *B. Jacobus* oſtendit, eam non otioſam habuiſſe fidem, ſed ex operibus juſtificatam, eo quòd *exploratores* hoſpitio ſuſceptos cum vitæ ſuæ periculo non dubitaverit occultare & dimittere, hoc enim erat, *eos excipere cum pace*, id eſt, habitâ curâ ſalutis, ne deprehenſi interſicerentur. Quid autem crediderit Rahab intelligitur ex *Joſue* 2. ℣. 9. & 11. Hâc igitur fide in Dominum meruit, ut *non periret cum incredulis*, græcè, *non obedientibus* ſcilicet incolis civitatis Jericho. Studium autem ſervandi exploratores ex fide profectum, non mendacium illi adjunctum, commendat Apoſtolus. Neque enim qui fidem habent, omnia agunt ex fide: ex *Eſtio*. Hoc exemplo Hebræos urget; turpe enim erat, ſi apparuiſſent meretrice inferiores: ex *Chryſ.*

℣. 32. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis:*

Et prophetis, ſubaudi, ceteris. De horum fide quos hic *Paulus* ſummatim enumerat, vide in Bibliis ſuo loco de Gedeone, *Judic.* c. 6. ℣. 4., de Barac, de Samſone c. 13. 14. 15. & 16., de Jephte c. 11., de David & Samuele, *in libro* 1.

Regum, 7. & 17. Similiter & de aliis prophetis, vide ſuo loco. Et ſi quid ab illis aliquando peccatum fuit, credendum relinquit Apoſtolus eos id fide & pœnitentiâ diluiſſe, ex *S. Thoma* & aliis. Proindè ſi quæratur, an omnes hìc recenſiti habendi ſint in catalogo Sanctorum: *S. Thomas* quidem probabile id eſſe dicit; aliis autem, quibus ego, ait *Eſtius*, aſſentior, adeò verum eſſe placet ut omninò negari non debeat. Cujus potiſſimùm argumentum ſumitur ex *hoc cap.* ℣. 39. & 40.; de quo conſule *Eſtium*.

℣. 33. *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum,*

Cùm indefinitè loquatur Apoſtolus, debemus hæc quæ recenſet, partim referre ad juſtos *ſuprà* nominatos, partim ad alios: *regna devicerunt* Joſue qui bello ſubegit omnia regna Chanaan, item David qui Moabitas, Amonitas, Idumæos, & Syriæ regna perdomuit. Commune omnibus ſanctis *operari juſtitiam*, id eſt, juſtè & piè vivere, Dei præcepta ſervare, ex *Theod.*; vel jus dicere, juſta exercere Judicia, ùt Moyſes *Exod.* 18., & *Num.* 16.; Samuel 1. *Reg.* 12., David. 1. *Reg.* 8. *Adepti ſunt repromiſſiones*; promiſerat Deus Abrahæ, Iſaac & Jacob ſe daturum ſemini eorum terram Chanaan: & illi quidem defuncti fuerunt promiſſionibus non acceptis, ùt *ſuprà* dixit; ſed eorum poſteri, promerente fide non ſolùm Patriarcharum, verùm etiam multorum ex iis, quibus promiſſiones præſtitæ ſunt: ùt Joſue, Caleb, & Eleazar, Phinees. Poteſt & hæc pars extendi ad alias promiſſiones particulares ùt cum promiſit Abrahæ filium, Davidi regnum, Ezechiæ ſanitatem. Quomodo his verbis

non repugnet quod in fine capitis dicitur, *non accepiſſe repromiſſionem*, ibidem explicabitur. *Obturaverunt ora leonum* Samſon *Jud.* 14., & David. 1. *Reg.* 17., & Daniel *cap.* 6.; ex *Oecum.*

✠. 34. *Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum:*

Extinxerunt impetum, græcè, *vim ignis* tres pueri Ananias, Azarias, Miſael, de quibus *Dan.*3.; vel Moyſes & Aaron, *Num.* 11. & 16. *Effugerunt acies gladii*, hoſtiles gladios quemadmodùm David. 1. & 2. *Reg.*, & Elias, 3. *Reg.* 19. *Convaluerunt de infirmitate*, id eſt, *validi facti ſunt in infirmitate*, de iis loquitur qui redierant ex captivitate Babylonica, & de Ezechia, 4. *Reg.* 20. & *Iſaiæ* 38. *Effecti ſunt robuſti.* Abraham, Moyſes, Jeſus, Samſon item & David. 2. *Reg.* 23. & Judas Machabæus & fratres. *Caſtra everterunt exterorum* Gedeon & Jonathas, *Jud.* 7. & 1. *Reg.* 14.

✠. 35 *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos: alii autem diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem.*

Sunamitis per Elizæum & anteà Sarephtana per Eliam filios *ſuos mortuos* receperunt vivos, 3. *Reg.* 17. & 4. *Reg.* 4. *Alii autem diſtenti ſunt*, græcè, ἐτυμπανίσθησαν, quod *Chryſoſtomus* interpretatur *decollati ſunt*, & exempla ponit Joannem Baptiſtam, Jacobum Zebedæi. Sed Apoſtolus agit de exemplis Antiquorum qui Chriſti adventum præceſſerant, ut Hebræos in fide & patientia confirmet. Hinc alii, ùt *Oecum.*, intelligunt *excoriati ſunt*, & ad Ma-

chabæos martyres referunt, quorum duobus primis cutem capitis abſtractam fuiſſe, legitur 2. *Machab.* 7. Alii volunt ſignificari, fuſtibus aut aliis inſtrumentis cæſi ſunt, ſivè ùt Syrus legit, fuſtuati ſeu fuſtibus enecti ſunt: ita *Galen.* Hæc ſupplicia leguntur 2. *Mach.* 6. & 7.; ad quos martyres Eleazarum imprimìs & ſeptem fratres reſpicere videtur Apoſtolus. *Non ſuſpicientes redemptionem*, id eſt, nolentes ſeu contemnentes redimi ab inducto ipſis ſupplicio; liberum, inquit, fuiſſet eis vivere, verùm ipſi noluerunt. *Tu ſcis*, inquit Eleazarus ad Deum: *Quia, cùm à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores.* Similiter & de aliis legitur. Hoc autem fidei erat: undè ait, *ut potiorem* ſortirentur *reſurrectionem* quàm ceteri homines: vel illius reſurrectionis comparatione cujus proximè meminit, ùt quæ tantùm erat ad vitam mortalem; vel comparatione vitæ quam amittebant, ùt *Joan.* 5. ℣. 29. Ex hoc loco accipe probabile argumentum pro ſacrâ authoritate *libri* 2. *Mach.*

℣. 36. *Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres:*

Ludibria ùt Samſon effoſſis oculis *Judic.* 16., Elizæus à pueris 4. *Reg.* 2., Job & Tobias non ſolùm irriſi ſed & ab amicis, imò ab uxoribus probris affecti *Job.* 2., & *Tob.* 2. *Verbera experti* Iſraëlitæ ab Ægyptiis *Exod.* 5. *Vincula* tres pueri in fornacem mittendi *Dan.* 3., Joſeph *Gen.* 39., Samſon *Jud.* 16. Cæſi, vincti, & incarcerati & Michæas & Jeremias, 3. *Reg. ult.* & *Jerem.* 20. & 37.

℣. 37. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti:*

Lapidati ſunt, ùt Naboth 3. *Reg.* 21., Zacharias 2. *Paral.* 24., item Jeremias juxta Hebræorum traditionem; cui atteſtantur *Tertull.* adversùs *Gnoſt.* c. 8. *Epiph. in lib. de vita Proph.*, *Hier. l.* 2. *cont. jov. c. ult.* Chriſtus quoque Judæis improperat quòd prophetas lapidaverint, *Matth.* 21. & 23. *Secti ſunt* quod de Iſaïa penè omnes intelligunt. *Tentati ſunt*, ùt Job à Satana. Alii etiam de iis intelligunt qui vel ab hoſtibus vel à domeſticis pro religione & juſtitia multa paſſi ſunt, ùt de Prophetis Chriſtus teſtatur *Matth.* 5. & *Luc.* 6. *In occiſione gladii mortui ſunt* ſeu occiſi ſunt Sacerdotes in Nobe 1. *Reg.* 22., Prophetæ Domini per Jezabel 3. *Reg.* 12.; Manaſſes ſanguine innoxio replevit Jeruſalem 4. *Reg.* 21. Urias quoque gladio percuſſus legitur *Jerem.* 26. *Circuierunt in melotis &c.* Melota:, græcè μηλωτὴ, ſignificat ovinam pellem. Reſpicit Apoſt. ad Prophetas, potiſſimùm ad Eliam & pallii ejus heredem Eliſæum; nam hoc pallium LXX. μηλωτὴν vocant 3. *Reg.* 19. & 4. *Reg.* 2. *Egentes* ùt David fugiens Saul & Abſalonem 1. *Reg.* 21. & 25., item 2. *Reg.* 16. & 17., Elias 3. *Reg.* 17., & Judas Machabæus 2. *Mach.* 5. *Anguſtiati* &c. ſeu anguſtiis preſſi ùt David 1. *Reg.* 23., & Elias 3. *Reg.* 19.

℣. 38. *Quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.*

Hoc etiam animat illos ad fidei conſtantiam. Nam ſi hic, inquit, mundus imò tota creatura

indigna erat his qui propter Deum malis aſſiciebantur; quare vos in hoc mundo mercedem vultis referre eorum quæ propter Chriſtum toleratis? Cùm enim meliores mundo ſitis, ne quæratis quidquam in hoc mundo. *In ſolitudinibus errantes* ùt David profugus à Saul 1. *Reg.* 23. *& ſeqq.*, Elias à Jezabel 3. *Reg.* 19. Matathias & filii ab Antiocho, quos & multi alii ad deſerta loca & montes ſecuti ſunt 1. *Machab.* 2. *&* 5. *Et ſpeluncis* &c. ùt Prophetæ quos alebat Abdias 3. *Reg.* 18., item Dei cultores 2. *Machab.* 6.

℣. 39. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem,*

Id eſt, quamvis *hi omnes* adepti ſint ac promeriti *teſtimonium* juſtitiæ per fidem, ſicut *in præcedentibus* declaratum eſt, nondùm tamen *acceperunt promiſſionem*, hoc eſt, bona promiſſa, q. d. ſi illi poſt tantum temporis nondùm acceperunt promiſſionem, hoc eſt, bona promiſſa: vobis moleſtum eſſe non debet, ſi modicum adhuc expectetis. Tacita hìc concluſio eſt exhortationis quam inſtituit à Fide juſtorum V. Legis. Loquitur de *promiſſione* cœleſti: nam terrenæ repromiſſiones jam præſtitæ fuerant. Sed quæ cœleſtis intelligatur, pendet *ex ſequentibus*.

℣. 40. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſinè nobis conſummarentur.*

Hanc promiſſionem nondùm acceperunt, *Deo aliquid melius pro nobis providente*, ac melius nobis proſpiciente; quod ſic accipi poteſt, quaſi dicat Apoſtolus: Ex qua dilatione, ſecundùm ordinem divinæ providentiæ nobis obvenit hoc bonum: *ut non ſinè nobis conſummentur*, id eſt, ne ſinè nobis perfectionem

glorificationis corpore & animâ accipiant; ſimul enim reſurgentibus electis omnibus erit conſummata glorificatio, ita *Gaig.* ex *Chryſ.* & *Aug. tract.* 49. *in Joan.* Et ſecundùm hanc interpretationem vocis *conſummarentur*, quæ teſte *Eſtio* inter Latinos & Græcos communior & probabilior eſt, exponi debet hæc periodus *verſûs præc. Non acceperunt repromiſſionem* ſcilicet perfectè & conſummatè. Perfectè enim accipietur promiſſio, quando reſuſcitatis etiam ad immortalitatem corporibus Sancti homines cum Chriſto regnabunt in cœlis: nam ante id tempus animæ ſolæ regnant & beatæ ſunt, non homines; niſi ſynecdochicè. Inter Catholicos ſunt, qui Apoſtolum exponunt de *promiſſione* Patribus facta de incarnatione & adventu Chriſti. Hanc enim *promiſſionem ſine nobis*, id eſt, ante nos *non acceperunt*; quia demùm in plenitudine temporis & non antè oportuit incarnari Filium Dei. Sed quomodo in Chriſti incarnatione Patres illi nobiſcum conſummati fuerint, authores illi non explicant. Græci ſchiſmatici *conſummationem* intelligi volunt, quæ in Dei viſione conſiſtit: atque hinc ſtatuunt ſuum errorem, quo docent animas Sanctorum non frui viſione Dei ante conſummationem generalem omnium electorum futuram in fine ſeculi. Hunc errorem etiam ex hoc loco deduxerunt *Tertull.* & *Lactant.*; ùt notant *S. Thom.*, & *Bellar. tom.* 1. *contr.* 7., & poſt hos *Eſtius.*

CAPUT XII.

Chriſti exemplo eos hortatur ad fortiter ferendas afflictiones, quòd illæ ſint argumenta divinæ in nos charitatis, deinde ad pacem & concordiam invitat, & ad Chriſto obediendum.

℣. 1. *Ideòque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen:*

PRæmiſſis fidei & patientiæ Sanctorum exemplis, hortatur ad tolerantiam adverſitatum; ut illorum imitatione in cœpto curſu perſeverent. Siquidem memoria *teſtium* ſive martyrum excitat ipſos ad ſimilem zelum ad certamina: *nubem* autem ipſos appellat, vel ob copioſam multitudinem, vel à metaphora eorum, qui exuruntur ab æſtu & in roridam nubem ingreſſi conſolationem accipiunt, memoria namque martyrum conſolatur eos qui ab æſtu tentationum diſſoluti ſunt; vel quia ſpiritualem nobis rorem diſtribuunt, Deum pro nobis obſecrantes, ait *Oecum. Deponentes omne pondus* ſeu onus rerum ſecularium, omnemque ſimul negligentiam, ſegnitiem, & quidquid impedimento eſſe poteſt ad curſum ſpiritualem: *& circunſtans*

nos, ſeu tenaciter adhærens *peccatum*; id eſt, concupiſcentiam, quam *peccatum* vocat, ùt *Rom.* 6. & 7.; eo quòd ſemper ad peccatum ſollicitet. Syrus interpres ita tranſtulit: *Et peccatum quod omni tempore nos demergit*, ſcilicet ùt pondus graviſſimum; vel ùt alius vertit ex ſyriaco, *quod omni tempore paratum eſt nobis*, hoc eſt, quod ſemper eſt in promptu, ut curſum noſtrum ad vitam beatam impediat. Hæcque ultima explicatio optima videtur; prior enim ubi peccatum pro concupiſcentia ſumitur huic loco non convenit, cùm concupiſcentia *deponi* nequeat. Monet ergò Hebræos, ut peccati laqueos & impedimenta, quæ curſum remorentur, excutiant; & patienter expectando cœleſtem remunerationem decurrant ſtadium in quod ingreſſi ſunt, ac decertent certamen ſuſceptum, ut ad præmia promiſſa & ſperata perveniant. *Currere* ergo *certamen*, eſt currendo certare, ùt 1. *Tim.* 6. ℣. 12. & 2. *Tim.* 4. ℣. 7.; ſic *Chryſ.*, *Theoph.* & *Eſtius.*

℣. 2. *Aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dextera ſedis Dei ſedet.*

Ad caput ipſum venit exhortationis & conſolationis nempè Chriſtum, & ait; ſi volumus & tolerantiam habere & rectè currere, ad Chriſtum reſpiciamus, diſcamuſque & rectè currere & ſuſtinere; & vocat ipſum *authorem* ſeu ducem *fidei*, & *conſummatorem*: oſtendens quòd & credendi nobis cauſa fuerit, & terminum ſit impoſiturus fidei, ut ipſam firmam habeamus & inconcuſſam, ùt notat *Oecum.* Poteſt etiam, ait *Eſtius*, *conſummatorem* ſeorſim accipi non repetendo *fidei.*

Quo modo Chriſtus dicitur *conſummator* noſter; quia per oblationem crucis nos conſummat & perficit, non ſolùm juſtificando, verùm etiam ad conſummatam beatitudinem, de qua in fine *cap. præc.*, perducendo. *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ.* Id eſt, ùt inquit *Nazianzenus*, cùm liceret ſibi paternis frui deliciis, nec mortem guſtare, *confuſione* tamen & ignominiâ *contemptâ ſuſtinuit crucem.* Græci legunt, *qui pro gaudio ſibi propoſito*, id eſt, qui gaudio vitæ eternæ tanquam præmio ſibi propoſito crucem ſuſtinuit, ùt *cap.* 2. ℣. 9.; vel meliùs juxtà *Eſtium*, qui loco gaudii, quo frui poterat, crucis paſſionem elegit, ex *Ruperto. Gaudium* intellige à moleſtiis & doloribus ſecretum: neque enim Chriſtus aliquando fuit ſinè gaudio, qui ſemper videbat faciem Patris. Quidam de gaudio divinitatis exponunt, ut *Nazianz.*; alii de gaudio vitæ temporalis; potèrat enim non mori ſi vellet, & ſe eximere omni moleſtiâ, & vitam degere felicem, & omnibus bonis affluentem; item poterat acquieſcere turbis ſe regem facere volentibus. *Joan.* 6. Sed pro his omnibus crucem elegit ac pertulit, ignominiam ſupplicii non reveritus. Ob quam ſui abjectionem, *nunc in dextera Dei ſedet*, ùt *cap.* 1. & *Philipp.* 2.; quò perventuri ſunt, qui fidei curſum abſolvent ſi ſcilicet compatiuntur, ùt dicitur *Rom.* 8. ex *S. Thom.* & *Eſtio.*

℣. 3. *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùs ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.*

In hunc ergo, inquit, animum intendite, & animo repetite, qualem *à peccatoribus* ipſe innocens, ipſe Deus *adversùs ſemetipſum ſuſti-*

nuerit contradictionem : contradictionis autem nomine omnes Chriſti afflictiones & injurias comprehendit. Ad hæc ergò cogitate *ut non fatigemini animis deficientes*, dum veſtri causâ longè plura perpeſſum Chriſtum intelligitis; ait *Gaig.*

℣. 4. *Nondùm enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adversùs peccatum repugnantes :*

Q. d. parùm eſt, quòd convicia pertuliſtis, facultatibus veſtris eſtis ſpoliati, ùt dicitur *cap.* 10. ℣. 34. *Nondùm enim uſque ad ſanguinem, & mortem reſtitiſtis adversùs peccatum repugnantes*, id eſt, adversùs infidelitatem, quæ principaliter peccatum dicitur, vel adversùs quodlibet aliud peccatum. Chriſtus ergò uſque ad ſanguinem reſtitit, vos nondùm hucuſque ſcilicet ad fundendum ſanguinem pro Chriſto : ex *Thoma.*

℣. 5. *Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens : Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini : neque fatigeris dum ab eo argueris.*

Et tamen *obliti conſolationis*, græcè, *exhortationis* videmini propter animi torporem qui vos occupavit, ita ſegniter agitis quaſi obliti & immemores : vel adeòne elanguiſtis & animo eſtis dejecto propter afflictiones hactenùs adhuc incruentas ut non videamini meminiſſe verborum quibus Scriptura vos tanquam mater filios conſolando & hortando alloquitur *Prov.* 3. Quibus verbis probat *Paulus*, afflictiones à Deo immiſſas eſſe paternæ in nos amicitiæ argumentum ; quinimò ex ipſa Domini correctione & diſciplina nos eſſe, nec aliter eſſe poſſe Dei filios, ex *Gaig.*

℣. 6.

℣. 6. *Quem enim diligit Dominus, aſtigat: flagellat autem omnem filium, uem recipit.*

Per hoc ipſum, quo ſe exiſtimabant à Deo erelictos eſſe, nempè per afflictiones ſuadet s, quòd Deo curæ ſint; imò à contrario derelicti eſſetis, inquit, ſi abſque afflictionibus ageretis; atque hâc evidenti ratione probat, diſciplinam ſeu correptionem Domini non eſſe negligendam, ſed pro magno beneficio ſuſcipiendam. Eſt enim ſignum dilectionis erga eum, *uem caſtigat.* Similis eſt ſententia *Apoc.* 3. ℣. 19. *Flagellat autem omnem filium* &c. De filiis adoptivis ſermo eſt, qui priuſquam adoptentur, alieni ſunt & filii iræ, non de filio naturali, qui flagellatus quidem fuit, ſed non caſtigatus, *Iſaïæ* 53. ℣. 5. Nec de Angelis, quamvis adoptivi filii Dei ſint, nunquam enim alieni fuerunt, ut opus haberent caſtigatione; ſed ab initio filii. Senſus eſt: flagellis afflictionum erudit & corrigit Deus *omnem filium quem recipit* in diſciplinam, atque ex eo tempore quo recipit. Hinc collige 1° nullum juſtum ſeu filium Dei in hac vita eſſe aut fuiſſe ſinè peccato; non enim caſtigatur propriè niſi in quo peccatum invenitur: 2° hunc locum appoſitè pro pœnis ſatisfactoriis à Catholicis allegari contra Calvin. ex *Eſtio*; quem conſule hæc pluribus proſequentem.

℣. 7. *In diſciplina perſeverate. Tamquam filiis vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?*

Diſciplinam Domini, inquit, nolite negligere, ſed eam ſuſtinete & in ea perdurate, quia Deus vobiſcum agit ùt cum filiis, non ùt cum alienis aut nothis: exhibet ſe vobis patrem po-

tiùs quàm vindicem; non pœnas cogitat, ſed correctionem veſtram, ut aptet vos hereditati percipiendæ: quod probat ex officio patrum; nam patres niſi aberrent ab officio, filios ſuos non relinquunt incorrectos. *Prov.* 13.

℣. 8. *Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergò adulteri, & non filii eſtis.*

Id eſt, ſi omninò afflictionum expertes *eſtis*, quarum Sancti *omnes participes facti ſunt*, *non eſtis* germani *filii* Dei, ſed *adulteri*; aut veriùs adulterini illegitimi & ſpurii & paternæ hereditatis exſortes, ex *S. Thoma*.

℣. 9. *Deindè patres quidem carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos. Non multò magìs obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?*

Argumentatur à minori. Si *patres carnis* noſtræ, quos pueri caſtigatores habuimus, æquo tulimus animo & reveriti ſumus; an *non multò magìs obtemperabimus*, græcè, ſubjiciemur Deo *Patri ſpirituum*, id eſt, Angelorum vel animarum: atque in ejus beneplacito acquieſcemus, perſuaſi flagella quibus nos cædit ab animo paterno noſtræque ſalutis cupido, proficiſci, & ad vitam nobis profutura? *Vitam* intelligit quæ eſt ſecundùm ſpiritum, id eſt, vitam ſanctificationis & juſtitiæ, & hanc opponit vitæ carnali, quæ ſita eſt in commodis hujus ſeculi, ad quam ſolent patres erudire filios ſuos. Ex hoc loco refellitur eorum dogma qui animas ex traduce propagari dixerunt. Nam patres carnis appellat, Deum autem dicit patrem ſpirituum. Eſtque ſimilis locus *Eccl. ult.* ℣. 7. Nec eſt quòd dicatur Patres carnis intelligi qui nos ſecundùm carnem genuerunt; Deum autem ſpirituum patrem, quia nos regenerat

ſecundùm ſpiritum, juxta *Joan.* 3. ℣. 6. Reſp. enim *Eſtius*: Textum non admittere eam exceptionem; non enim dicit, *Patri ſpiritûs* ſed *ſpirituum*. Spiritus autem, à quo vita ſpiritualis, tantùm in ſingulari legitur in Scripturis, ſignificat enim ſpiritum contra quem caro concupiſcit: ùt *Gal.* 5. ℣. 17. Porrò *Theoph.* poſt *Chryſ.* interpretatur Patrem ſpirituum dici, donorum vel incorporearum virtutum: ſed addit, quod magìs proprium eſt, animarum. Siquidem & *infra* ℣. 23. legimus *ſpiritus juſtorum*, id eſt, animas: ita *Eſtius*.

℣. 10. *Et illi quidem in tempore paucorum diërum, ſecundùm voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus.*

Aliud ſubjicit ex eadem comparatione argumentum. *Et quidem* patres carnis *in tempore paucorum dierum*, id eſt, propter hanc temporalem vitam, cujus pauci ſunt dies *ſecundùm voluntatem ſuam*, ſeu ùt Eraſmus vertit, *pro arbitratu ſuo erudiebant* ſeu caſtigabant nos: neque enim poſſunt nos ſemper inſtruere, ut perfectos reddant; Deus autem, qui ſemper erudit & caſtigat, perfectos reddit. Patris namque mors aut filii incrementum ſiſtit caſtigationem. *Pro arbitratu ſuo* ſignificat patres carnales in caſtigandis filiis non ſemper ſpectare quod verè ſit utile & ſalutare, ſed quod tale judicant pro ſenſu carnali utilitatem metiente à commodis vitæ præſentis. Deus autem ùt verus pater nos erudit & caſtigat ad veram noſtram utilitatem, quæ in eo conſiſtit, ut participes ſimus ſanctimoniæ ejus, hìc per gratiam, in cœlo per gloriam, & eſt ipſemet Deus; ex *S. Thom.*

℣. 11. *Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam, reddet juſtitiæ.*

Omni: eruditio ſeu caſtigatio, non ſpiritualis ſolùm ſed & carnalis, *in præſenti non videtur eſſe gaudii.* Rectè autem dicit, *videtur*: neque enim verè mœror eſt, quomodo enim propriè mœror eſſe poſſet, cùm ſit mater lætitiæ? Sed tanquam ad nos loquens dixit *videtur*, qui eruditionem & caſtigationem graviter ſerimus. At eadem diſciplina *poſteà*, id eſt, ſuo tempore iis, qui per eam *exercitati* & probati fuerint, adferet *fructum pacatum juſtitiæ*, quem præ oculis habentes meritò de illa velut matre hujus præclariſſimi fructûs gaudere debemus, ita *Oecum.* Sermo eſt non de juſtitia prima, ſinè qua nec eſſent filii quos Deus caſtigaret, ſed de juſtitia magis magiſque proficiente, ùt *Apoc. ult.* ℣. 11. Nota diſciplinam vocari gymnaſiam, quòd Chriſtianos quaſi athletas exerceat formet roboret & perficiat, ex *Theoph.* Dum enim affligimur & turbamur, diſcimus ex ipſo profectu virtutum, quàm nobis utile fuerit à Deo caſtigari. Nam *patientia opus habet perfectum: Jac.* 1. Alii *fructum juſtitiæ* intelligunt non ipſam juſtitiam; ſed qui ex juſtitia provenit, hoc eſt, præmium vitæ æternæ. Prior autem intellectus *Eſtio* præplacet.

℣. 12. *Propter quod, remiſſas manus, & ſoluta genua erigite,*

A parte dixit totum, neque enim ſolæ *manus & genua* afflictionibus diſſolvebantur, ſed unà cum toto corpore & mens & anima.

Si quidem id facit triſtitia mœrorque vehe mens, ait *Oecum.* Hâc exhortatione ſuperiora concludit verbis Prophetæ *Iſaïæ* 35. v. 3.; & hâc metaphorâ eos movet, ut excuſsâ ignaviâ feriò ſe ſe totos comparent ad patientiam & pias actiones ſignificatas *parte ſequenti.*

℣. 13. *Et greſſus rectos facite pedibus veſtris : ut non claudicans quis erret, magìs autem ſanetur.*

Et facite ut *recti* ſint *greſſus pedibus veſtris*; ita *Oecum.* Ne ſit in vobis claudus qui proindè rectos non faciat greſſus pedibus ſuis, ſed aberret à recta ſemita: Aberrat autem, qui in moribus & præcipuè in fide claudicat vel obliquum quid admittat & faciat. Verba autem hæc deſumpta ſunt ex *Prov.* 4. ℣. 26. juxtà Interpretationem LXX. Monet ut ſi qui inter eos ſint claudicantes, id eſt, ad defectionem proni propter afflictiones, quas fidei causâ patiebantur, ſtatim adhibitâ paternâ curâ per medicamenta doctrinæ conſolationis & exhortationis *ſanentur* & confortentur, ne neglecti longiùs abducantur & corruant, ex *Eſtio.*

℣. 14. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſinè qua nemo videbit Deum :*

Poſt exhortationem ad fidem adjungit quædam præcepta vitæ Chriſtianæ. Primùm, ut *pacem* ſectentur, id eſt, ſtudeant habere cum omnibus. Ejuſmodi de charitate præceptum eſt 1.*Cor.*14.℣.1.; ubi græcè legitur, *perſequimini charitatem*, currite poſt pacem, currite poſt charitatem cum omnibus etiam recuſantibus : ùt *Pſal.* 33. ℣. 15. & *Rom.* 12. ℣. 18. Pacem autem dicit mutuam concordiam & charitatem : ad *pacem* autem addidit, & *ſanctimo-*

niam, hoc eſt, corporis animique puritatem, *ſine qua nemo videbit Deum*, *Matth.* 5. ℣. 8., 1. *Cor.* 7. ℣. 34. & 1. *Theſſ.* 4. ℣. 7.; ex *Chryſ.* & *Theod.*

℣. 15. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei : ne qua radix amaritudinis ſursùm germinans impediat, & per illam inquinentur multi.*

Contemplantes, græcè, ἐπισκοποῦντες, id eſt, *inſpicientes*, *ſuperintendentes*, à qua voce græca venit nomen Epiſcopi. Monet Apoſtolus ut non ſolùm ſe ipſos obſervent, ſed & pro ceteris ſolliciti ſint. Undè potiſſimùm ad præpoſitos pertinet hæc admonitio. *Ne quis deſit gratiæ Dei*, id eſt, ne quis deſtituatur ſeu fruſtretur gratiâ Dei. *Gratiam Dei* quidam interpretantur habituale donum gratiæ, quo juſtificamur: alii inſpirationem bonarum cogitationum: ut ſenſus ſit, cavendum eſſe ne quis vel gratiam peccando amittat, vel bonas inſpirationes negligat, vel gratiæ Dei ponat obſtaculum: de quo poſtremo ſenſu conſule commentarium *S. Thomæ*. Sed magis germanum eſt, ait *Eſtius*, ut *gratiam Dei* intelligamus beneficentiam Dei quâ per Apoſtolorum prædicationem eos vocaverat ad ſalutem, quæ eſt in Chriſto. Cùm enim ad hoc beneficium jam vocati eſſent, admonet ſedulò providendum eſſe, ne quis hâc gratiâ fruſtretur, quaſi relictus ab aliis quos aſſequi non poſſit; ſed ſingulorum habeatur cura ne vel unus pereat; ex *Chryſ.*, ùt 2. *Cor.* 6. ℣. 1., & *ad Tit.* c. 2. ℣. 11., quod aliis verbis ibidem dicit c. 3. ℣. 4. Attendite etiam, *ne qua radix amaritudinis*, id eſt, amara obturbet Dei gratiam. Per *amaritudinem* autem vel animi indignatio & ira, quæ pacem interturbat intelligitur, vel infidelitatis peccatum vel quodlibet aliud.

›eccatum permeat per imitationem & con-
.onem, atque in multos ramos multaſque
ies, ſi ſemel radicem in homines fixerit,
'git, ex *Gaig.* *Eſtius* per *radicem amaritu-*
r non vitium aut peccatum, ſed homi-
peccatorem intelligi vult, & præcipuè
;iſtros pravorum dogmatum, de quibus
cribit *Paulus* 2. *Tim.* 2. ỷ. 16. & 17.
tùm proficiunt ad impietatem : & ſermo
m ſerpit ùt cancer.

'. 16. *Ne quis fornicator, aut profa-*
ùt Eſau : qui propter unam eſcam
didit primitiva ſua :

on dixit ſcortator referendo ad *Eſau*, ſed
.tur ad oppoſitum ejus quod præceſſit,
:m & ſanctimoniam ſectemini. *Profanus*
› ponitur, ut ad *Eſau* referatur; impurum
m dixit gaſtrimargum, eo quòd unico
io diſtraxerit Dei donum nempè jus pri-
eniture, *Gen.* 25.; ex *Occum.* & *Chryſ.*; vel
mùm dixit, quia ùt quidam putant, ante
m primogeniti fuerunt Sacerdotes, undè &
niæ crimen ei impingunt *Lyran.* & *Thom.*;
rreligioſitatis, ùt *Gaig.* Verùm *Chryſoſtomi*
rpretationem tenendam exiſtimat *Eſtius*,
quia ſenſum illum confirmant quæ verſu

℣. 17. *Scitote enim quoniam & poſteà cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.*

Scitote, pro quo alii vertunt, *ſcitis*; græcè, *ſcitis* quòd *poſteà volens* hæreditario jure *benedictionem* aſſequi, ſicut *Gen* 17. multis eam precibus poſtulaſſe legitur, *reprobatus eſt*, atque à ſua poſtulatione rejectus: Græci enim de reprobatione non Dei, ſed patris intelligunt, & conformiter locum ſequentem interpretari poſſumus. *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Hic tertius eſt locus quem olim *ex hac Epiſt.* Novatiani Catholicis objecerunt contra pœnitentiam lapſorum. Sed horum intellectus facilè refellitur: Nam ſi ſenſum eſſe volunt Eſau non inveniſſe ſuæ pœnitentiæ locum: reſpondebitur, pœnitentiam ejus, quamvis lacrymoſam, non fuiſſe admiſſam, quia non ex amore Dei, & magìs invidentis quàm pœnitentis erat, ùt manifeſtavit dicens: *Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Eadem erit reſponſio, ſi pronomen *eam* referatur ad benedictionem: ùt fecit *Theoph.*; ut ſenſus ſit: Eſau nihil profeciſſe quamvis etiam cum lacrymis benedictionem requiſiviſſet à Patre: accepit enim benedictionem alteram, eamque multò minorem. Quem ſenſum priore præferendum putat *Eſtius*. Poteſt autem & aliter hic locus exponi ut pœnitentia non ad Eſau, ſed ad Iſaac referatur, hoc ſenſu: non potuit impetrare, ut pater ſententiam retractaret, etiamſi cum lacrymis eam benedictionem vel potiùs ſententiæ retractationem quæſiviſſet. Nam pœnitere in Scripturis accipitur interdùm

pro eo quòd eſt factum aut ſententiam retractare, etiam abſque ſignificatione doloris de præterito: atque hanc expoſitionem, ait *Eſtius*, arbitror eſſe maximè conſentaneam hiſtoriæ Geneſis; ubi de pœnitentia Eſau nihil expreſsè proditum eſt. Quòd autem Patris pœnitentiam quam dixi, requiſierit, nec ullo modo obtinere potuerit, patet ex reſponſo Iſaac: *Benedixi ei, & erit benedictus:* id eſt, ſententiam non muto. Deniquè hic ſenſus clarè demonſtrat, hæc verba, *reprobatus eſt*, intelligenda eſſe, ùt ſupra explicata ſunt: ita *Eſtius*. Hoc autem exemplo deterret Hebræos *Paulus*, ne perceptam Dei gratiam profanent, ne fortè cum Eſau ad eam redire volentes abjiciantur, *Gaig.*

℣. 18. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,*

Priùs dixit, ſectamini pacem & ſanctimoniam, & ne fornicatores ſitis ac profani: horum nunc rationem reddit deſumptam ex comparatione veteris & novi teſtamenti, dicens: *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem*, græcè, palpatum ſive contactum: non per antiphraſim, quòd nemo montem Sina, de quo hic agitur, auderet contingere; ſed contactum, id eſt, ſenſibilem, q. d. Non acceſſiſtis ad Sina montem illum ſenſibilem & accenſum ſive ardentem, ſed ad ſpiritualem & cœleſtem montem, Sion Jeruſalem cœleſtem; *& accenſibilem ignem*, græcè, accenſum ſeu accenſibilem, ut ſit ſenſus: non ſitis fornicatores & profani: non enim acceſſiſtis ad montem Sina, ubi lex data eſt, tractabilem & palpabilem, neque ad accenſum vel ardentem ignem, *& turbinem & caliginem, & tubæ ſonum;*

quæ omnia, cùm lex lata eſt in monte Sina, apparuerunt, ùt *Exod.* 19. & 20. Et ſignificant ea quæ in promulgatione legis novæ in Pentecoſte acciderunt: ex *Hier. ad Fabiol.* & *Beda.* Agit *hoc verſu & ſeqq.* Apoſtolus, quod *ad Rom.* 8. ℣. 15. paucis dixit; & primùm ea, quæ in legiſlatione terribilia acciderunt, removet ab Hebræis tamquam novi teſtamenti filiis. q. d. Non pertinetis ad eos qui acceſſerunt ad montem &c.

℣. 19. *Et tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum.*

Neque acceſſiſtis ad terribilem Dei *vocem* è monte loquentis, *quam qui audierunt*, timore perterriti *excuſaverunt ſe*, græcè, deprecati ſunt ne per ſe ad illos Deus loqueretur, dicentes Moyſi: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur*, ùt *Exod.* 20. Fuit ergò excuſatio, ſed cum deprecatione.

℣. 20. *Non enim portabant quod dicebatur: Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.*

Quod dicebatur, id eſt, Dei vocem loquentis ferre non poterant: vel potiùs ferre non poterant id, *quod dicebatur* & Moyſi dictum eſt, ſcilicet *Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur*; horrendum enim erat, quòd non modò homo rationis capax, ſed beſtia quoque accedens lapidari juberetur: myſticè eſt homo beſtialiter vivens, qui ad alta contemplationis ſe erigit; ex *S. Thom. & Greg. lib. 6. moral. cap.* 27.

℣. 21. *Et ita terribile erat quod videbatur. Moyſes dixit: Exterritus ſum, & tremebundus.*

Et adeò *terribile erat quod videbatur* & au-

diebatur; græcè, *viſum quod apparebat*; ſcilicet ignis, caligo, procella, tubæ ſonitus, & vox verborum: totum autem hoc vocat, φανταζόμενον, quia non videbatur ipſe Deus, ſed ad terrorem majeſtatis ejus iſta exhibebantur, ita ut non tantùm populus perterritus fuerit, ſed etiam ipſe populi dux, ille, inquam. qui familiariùs cùm Deo colloqui ſolebat, fateretur ſe expaveſcere & contremiſcere. Quæritur, ubi Moyſes legatur hæc dixiſſe; cùm in *Exod.* & *Deut.* nihil tale habeatur. Quod enim *Exod.* 3. legitur Moyſes abſcondiſſe faciem nec auſus aſpicere Dominum, de quo agit *Steph. Act.* 7., ad hanc hiſtoriam non ſpectat. *S. Thomas* ſuſpicatur *Paulum* aliâ verſione Scripturæ, quam nos non habemus, uſum fuiſſe. *Eſtius* dicit: Sunt qui recurrunt ad revelationem, ſed nullâ neceſſitate. Facilis enim & prompta reſponſio eſt, Apoſtolum hæc habere ex traditione Majorum, quomodo cognita habebat nomina Majorum: 2. *Tim.* 3.

℣. 22. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam,*

Hæc jam altera pars eſt comparationis, quâ docet quònam per fidem acceſſerint, hoc eſt, ad quam ſocietatem pertineant, nimirùm filiorum Novi teſtamenti: atque ita oſtendit, Deum ſe magis benevolum illis præſtitiſſe quàm olim Judæis, majoribuſque eos beneficiis affeciſſe: Quâ gratiâ eos admonitos vult, ut norint ſe eò magis adſtrictos ad tuendam vitæ ſanctimoniam, fidemque ſervandam, & ſi hæc negligant, inexcuſabiles eſſe. Non enim, inquit, acceſſiſtis ad palpabilem

montem, *ſed ad* ſpiritualem *montem Sion*, & *civitatem Dei viventis*, *Jeruſalem cæleſtem*, ſcilicet cœlum ipſum, ad quod jam ſæpè acceſſimus: *& multorum millium Angelorum frequentiam*: non enim vulgaris turbæ & mortalium hominum, ſed Angelorum conſortes & concives effecti eſtis immortalium & infinitorum. Alii *montem Sion* Eccleſiam intelligunt quatenùs militantem ſimul & triumphantem comprehendit, & quidem rectiùs, ait *Eſtius*.

℣. 23. *Et Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum,*

Quos intelligat primogenitos, non una omnium ſententia eſt. *Theodoretus* electos interpretatur. *Theophylactus* fideles, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Alii eos qui prioribus ſeculis placuerunt Deo per fidem, ut ſanctos Patriarchas & Prophetas. Alii Sanctos Apoſtolos ac reliquos qui tempore revelatæ gratiæ primi crediderunt tanquam credentium primitiæ. Alii ſanctos cum Chriſto regnantes, propter gloriam quâ jam renati ſunt. Hæc poſtrema ſententia, ait *Eſtius*, vel ob id non placet, quia de Sanctis cum Chriſto regnantibus ſtatim ſequitur peculiare hoc membrum, *& ſpiritus juſtorum perfectorum*. Nec Scriptura ob gloriam, quam modò habent, uſquam Sanctos renatos vocat. Inter reliquas verò ſententias (proſequitur idem author) prima quæ Græcorum eſt, nobis maximè probatur; ut *primogeniti* dicantur omnes boni fideles, qui *primogeniti* ſunt non inter ipſos fideles, ſed in genere humano. Tota igitur Chriſti Eccleſia eſt *Eccleſia primitivorum* &c. Senſus igitur totius hujus partis eſt. Aggregati eſtis & adſcripti in

ocietatem eorum, qui præ ceteris mortalibus
lecti ſunt à Deo & ab aliis ſeparati tamquam
rimogeniti & *in cælis*, tanquam beatitudinis
cœleſtis heredes, *conſcripti*. Hæc verò dicens
ignificabat & ipſos eſſe primogenitos & con-
ſcriptos in cœlis. Nominat *judicem omnium
Deum*, vel ad terrorem ne ſint ſecuri, ſed ti-
neant, ex *Chryſ.*; vel potiùs ad conſolatio-
nem, ut ne dubitent ſe à juſto judice pro me-
rito fidei ſuæ ac patientiæ, ſi perſeveraverint,
accepturos promiſſam retributionem; eos ve-
rò, quos fuerant paſſi perſecutores, condignis
ſuppliciis addicendos, ùt 2. *Theſſ.* ℣. 6. & 7.
Partem hanc Græci de Chriſto judice accipiunt
juxta *Joan.* 5. ℣. 22. Contrà *S. Thomas* affirmat,
Patrem ſignificari à quo eſt omnis poteſtas judi-
ciaria. Hæcque ſententia probabilior videtur:
nam de Chriſto non ùt Judice ſed ùt Mediatore
ad judicem nunc agit Apoſtolus, ùt ſtatim vide-
bimus: ita *Eſtius*. *Et ſpiritus juſtorum perfecto-
rum*, hoc eſt, acceſſiſtis ad *ſpiritus* ſeu ani-
mas *juſtorum* & beatorum, quas Hebræi ac-
ceſſerant quatenùs per charitatem Eccleſiæ
conjungebantur, & per ſpem ad felicitatem eo-
rum aſpirabant. Dubium eſt, quomodo Apo-
ſtolos *ſpiritus* illos *perfectos* vocet, cùm in fine
cap. præc. dixerit non ſinè nobis conſummandos: ſed jam ibi dictum eſt, perfectos quidem
eſſe quoad animas, non verò omninò etiam ſe-
cundùm corpus. Quidam legunt *& ſpirituum*,
& referunt ad *judicem*: ut ſit ſenſus, quòd
Deus Judex eſt omnium etiam juſtorum & per-
fectorum ſpirituum, hoc eſt, animarum.

℣. 24. *Et teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.*

Et acceſſiſtis *ad novi teſtamenti mediatorem*

Jeſum, q. d. nihil eſt quòd horribilem Dei Patris judicis vocem formidetis, qui novi teſtamenti mediatorem habetis Jeſum per quem Dei mandata facilè intelligatis quippè qui ſequeſter ſit inter Deum & vos, ad quem facilè per fidem ſcilicet acceſſiſtis, & ad *aſperſionem quoque ſanguinis, meliùs loquentem quàm Abel*, id eſt, ad Chriſti paſſionem acceſſiſtis & divinæ gloriæ per ejus ſanguinem participes eſtis effecti, qui quidem ſanguis Chriſti *meliùs*, ſive ùt Græci habent meliora & potiora loquitur *quàm* ſanguis *Abel*: ille enim vindictam clamat adversùs fratrem, ſanguis autem Chriſti in eum confidentibus paratam veniam remiſſionemque clamat & vitam largitur; ita *Gaig. poſt Cyr., Chryſ. & Oecum.* Eſt autem hìc alluſio ad ſanguinis aſperſionem factam per Moyſen poſt datam legem ſub hac forma: *Hic eſt ſanguis fœderis* &c. *Exod.* 24. Cùm enim in teſtamentorum comparatione verſetur, oſtendit Apoſt., quomodo Chriſtus Mediator ſit Novi Teſtamenti, nimirùm ſanguine ſuo pro nobis fuſo.

℣. 25. *Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur: multò magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus.*

Poſtquam illos majoribus beneficiis affectos, Deumque familiariorem habere oſtendit, adeòque majoris prævaricationis reos futuros ſi fidem deſerant; comparationem exhortatione concludit, dicens: *Videte ne loquentem* ad vos Jeſum *recuſetis* & averſemini: loquitur enim vobis per Evangelium, per propoſita præmia, per gratiam, per ſuos miniſtros & prædicatores. Et hanc exhortationem confirmat à

œna recuſantium. *Si enim*, inquit, patres
eſtri *non effugerunt*, ſubaudi, vindictam Dei,
ecuſantes & averſantes eum, *qui ſuper terram*
oquebatur, multò minùs *nos qui de cælo lo-*
uentem nunc in ſuo Evangelio Chriſtum *aver-*
imus ſeu averſamur, effugiemus. Quæſtio eſt,
uomodo dicat *non effugiſſe recuſantes eum*;
ùm in his verbis: *Loquere tu nobis*; *non lo-*
uatur nobis Dominus, nulla appareat recuſa-
io: ℟. Apoſtolum non conſiderare populi ex-
uſationem, de qua *Exod.* 20., prout verba
onant, propter quæ dictum eſt à Domino:
Benè omnia ſunt locuti; ſed ſecundùm animos
& facta ſubſecuta: ita *Eſtius*, qui addit, ex-
uſationem illam typicè ſignificaſſe, populum
on auditurum, hoc eſt, non obſervaturum
ocem Dei, ſeu legem ab eo datam. Altera
quæſtio eſt, quem *Paulus* dicat *eum qui ſuper*
terram loquebatur. ℟. *Chryſ.* & alii *Moyſen*
ntelligunt: ſed filii Iſraëlitæ non Moyſen,
ed Deum ſibi loquentem recuſaſſe videntur:
leindè participium græcum, pro quo nos ha-
bemus *qui loquebatur*, ſignificat *oracula red-*
dentem quod Moyſi non competit. Quare
Deum potiùs quàm Moyſen intelligere con-
venit, ait *Eſtius*; qui tamen ſubjungit: cùm
Moyſes in rubo & monte Sina non immedia-
tè à Deo ſed ab Angelo cujus miniſterio ad
hanc rem Deus utebatur, ùt conſtat *Act.* 7.,
reſponſa acceperit; Angelum hìc intelligi pu-
to per *eum qui loquebatur ſuper terram*: ita
Eſtius.

℣. 26. *Cujus vox movit terram tunc:*
nunc autem repromittit, dicens: adhuc
ſemel: & ego movebo non ſolùm terram,
ſed & cælum.

Cujus vox tunc concuſſit terram, tunc ſcilicet

quando legem ferebat in monte Sina. Dubium eſt ad quem vocula *Cujus* referenda ſit. Sunt qui ad Deum referunt: alii particulariter ad Chriſtum; tam quia Chriſtus in parte proximè præcedente intelligebatur, & contextus non videtur admittere ut ad alium referatur: ita Græci & alii plerique: ſecundùm quos ſenſus eſt: Chriſtum voce ſuâ, quam Angeli miniſterio excitabat *tunc* quando data eſt lex, terram moviſſe: undè apparet, Angelum illum Chriſti perſonam repreſentaſſe, ùt alibi dictum eſt, & fundatur in Apoſtolum 1.*Cor.* 10. ℣. 9. *Nunc autem repromittit*, græcè, *denuntiavit* ſcilicet per Prophetam Aggæum dicentem *cap.* 2. *Adhuc ſemel & ego movebo* &c. Quibus verbis inſinuat Apoſt. duas inſignes terræ concuſſiones; primam quâ terra commota eſt in Legis veteris promulgatione; alteram quâ etiam cœlum commovendum eſt. Quæſtio eſt, quandonam hæc fuerit, vel futura ſit. ℟. Verus Apoſtoli ſenſus videtur, hanc ultimam futuram in adventu Chriſti ad judicium. Hæc commotio apertiùs explicatur 2. *Petri* c. 3. Senſum hunc confirmat; quòd Apoſtolus libenter illius adventûs mentionem Hebræis ingerat, tum ut ſpe retributionis patientiam ſervent in adverſis ùt fecit c. 10. ℣. 37.; tum ut à defectione retrahantur metu futuri judicii: ita *Eſtius poſt Cyrill.*, *Chryſ.* & omnes Græcos, item poſt *Anſelm.* & *S. Thomam* & alios. Difficultas eſt, quòd Propheta de primo Chriſti adventu loquatur. Sed ℟. Nihil vetare, quominùs teſtimonium Propheticum per accommodationem ab Apoſtolo referatur ad id de quo Propheta propriè non eſt locutus: ita *Gagneus* dicens Apoſtolum non ineptè ad ſecundum Chriſti adventum applicare, quod Propheta de primo dixerat: ex *Eſtio*, quem conſule.

℣. 27. *Quòd autem, adbuc ſemel, licit: declarat mobilium tranſlationem tamquam factorum, ut maneant ea, quæ ſunt immobilia.*

Senſus eſt, Prophetam eâ parte, *adbuc ſemel*, declaraſſe quòd elementa (quæ nomine cœli & terræ comprehenduntur) concutienda ſint & in aliam faciem tranſmutanda: *ut illa maneant* ſeu in alium ſtatum non ampliùs commutentur quæ iis ſuccedent; id eſt, novi cœli & nova terra, in quibus juſtitia habitat, ùt ait *B. Petrus* 2. *Epiſt.* 3. Per hæc autem intelligitur regnum Chriſti conſummatum. Dicit autem, *tamquam factorum*, ad ſignificandum quòd Chriſto facile ſit commovere & tranſmutare cœlum & terram, utpotè ſua ipſius opera, ſicut ex *Pſal.* 101. docuit *cap.* 1. *hujus Epiſt.*; ex *S. Thoma.* Alii per *mobilia* intelligunt quæ ad V. Teſtam. pertinebant, ùt Tabernaculum, Arca, &c.; ſed prior interpretatio *S. Thomæ* contextui & ſcopo Apoſtoli multò conformior videtur: ex *Eſtio.*

℣. 28. *Itaque regnum immobile ſuſcipientes, babemus gratiam: per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu & reverentia.*

Ideò ſpe *regnum* Dei *immobile* ac perpetuum apprehendentes, *babemus gratiam* ſcilicet fidei, ſpei, charitatis, & patientiæ; *per quam placentes Deo* illi ſerviamus. *Eſtiu* per *gratiam* hoc loco intelligi putat beneficium, quo facti ſumus Chriſtiani: ùt c. 10. ℣. 29. & *hoc cap.* ℣. 15., & hunc ſenſum aſſignat: Cùm hæc ita ſint, quæ dixi de Chriſto concuſſuro cœlum & terram, ut ſibi paret *regnum immobile*: nos illud *ſuſcipientes*, græcè, aſſumentes, id

eſt, certâ ſpe capientes, *gratiam* Chriſtianiſmi firmiter retineamus, nec ullis tentationibus ſinamus nos ab ea avelli. *Per quam* gratiam *placentes Deo*, illi *ſerviamus*. *Cum metu*, Græci *pudorem* legunt, nec ad Deum ſed ad homines referunt: dicunt enim præcipi ut verecundè nos geramus erga omnes. Verùm vox græca etiam apud authores profanos interdùm accipitur pro *metu* reverentiali. *Et reverentia*, græcè, εὐλαβεία, quo ſignificari ſolet in Scriptura timor & reverentia hominis in Deum: ùt *hac Epiſt.* c. 5. ℣. 7. *Philip.* 2. ℣. 12. Eſtque ſimilis admonitio cum illa Davidica: *ſervite Domino in timore*. Quæ omnia palàm damnant fidem ſpecialem Hæreticorum.

℣. 29. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.*

Scripturæ teſtimonio deſumpto ex *Deut.* 4. confirmat tam quod proximè dixit, *Deo ſerviendum eſſe cum metu & reverentia*; quàm quod antè dixerat, *nos non effugituros, ſi de cœlis loquentem averſati fuerimus*: & adducit hanc ſententiam propter deſertores fidei, ſicut illic contra violatores religionis dicta ſunt. ſicut autem ignis vehementiſſimè agit & celerrimè rem obnoxiam conſumit: ita Deus adverſarios ſuos acerrimè puniturus eſt & in momento conſumpturus; non ita quidem ut aliquando eſſe deſinant, ſed ut nunquam deinceps iis benè ſit, ſic Deus adhuc vocatur, *Deut.* 9. ℣. 3. & *Iſaïæ* 33. ℣. 14. Sicut illuminabit juſtos: ſic exuret impios, ait *Anſel.*

CAPUT XIII.

Hortatur ad hoſpitalitatem, caſtitatem, obedientiam; & ad offerendam Deo hoſtiam laudis. Illis benè precatus Epiſtolam ſalutationibus claudit.

℣. 1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis.*

SUbjicit ſaluberrima quædam vitæ Chriſtianæ præcepta: primum quidem in *fraterna charitate manendum* ac perſeverandum eſſe: quemadmodùm continuò monet ne deſerant hoſpitalitatem. Nam quia frequentes patiebantur afflictiones, periculum erat ne circa ſtudium harum virtutum langueſcerent, ideò ad perſeverantiam erant excitandi, ait *Theoph.* Affectus charitatis debet eſſe ad omnes homines; ſed quoniam effectu & opere ad omnes pertingere nequeat, idcircò prima habenda eſt cura domeſticorum fidei: ùt *Paulus* adhuc *Gal.* 6. præcepit.

℣. 2. *Et hoſpitalitatem nolite oblivſci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.*

Hoc eſt, ab officio conſueto *hoſpitalitatis nolite* ceſſare. Id admonet, quia facultatibus attenuatis ob perſecutiones præcedentes fortè remiſſiores facti fuerant in hoc genere virtutis, ex *Oecum.* Exigebatur autem *hoſpitalitas* potiſſimùm à præfectis Eccleſiarum, quibus curæ eſſe debebat ne fratres peregrini vel

hoſpitio carerent, vel apud infideles divertere cogerentur. Undè *Paulus* inter alias Epiſcopi virtutes hoſpitalitatem recenſet 1. *Tim.* 3. & *Tit.* 1. *Per hanc enim* &c. quibus verbis eos ad hoſpitalitatem excitat exemplis divino teſtimonio probatis. Pro verbo *placuerunt*, græcè, *latuerunt* legitur; quod obſcuritatem parit. Hujus lectionis, quam *Eſtius* germanam putat, hunc ſenſum idem author aſſignat: *Per hanc enim* quidam inſcii exceperunt Angelos hoſpitio: ſicque legit *Aug.* pluribus locis. Idem eſt igitur acſi dicat Apoſt.; Adeò magna eſt hoſpitalitas, ut Abrahæ & Loth fuerit occaſio Angelos recipiendi, cùm neſcirent Angelos eſſe illos quos recipiebant: reſpicit enim Apoſt. ad *Gen.* 18. & 16., ubi illi leguntur Angelos in humana ſpecie venientes hoſpitio recepiſſe, quos homines putabant. Et ideò quoque ipſis magna fuit hæc merces; quod ſi noviſſent, jam nihil magni feciſſent, ait *Occum.*; non utique ùt homines excepiſſent, ſed ùt Angelos fuiſſent venerati. Nec illud obſtat quòd dicatur, *Tres vidit & unum adoravit.* Ex quo videtur ſequi; Abraham non ignoraſſe quòd Angeli eſſent. ℞. Abraham & Loth Angelos, quos homines putabant, adoraſſe, id eſt, corporis inclinatione & procubitu veneratos fuiſſe: & Abraham unum ex tribus, quem videbat majeſtate vultûs & habitu corporis aliis duobus præcellere, præ illis etiam honorandum putavit appellatione *Domini*: quem fortè etiam ſolum adoravit ſeu veneratus eſt: eodem modo legitur adoraſſe populum terræ *Gen.* 23., Et Jacob fratrem Eſau, *Gen.* 33. Sic *Eſtius*, qui tamen notat in his omnibus myſterium procul dubiò ſignificatum fuiſſe; vel Trinitatis & Unitatis in divinis, ùt plerique exiſtimant: vel potiùs Incarnationis Filii Dei. Quod my-

[m]erium, etſi primò Abraham non cognovit; [p]aulò poſt didicit: tunc maximè, quando duo[b]us Sodomam digreſſis, ipſe manſit ſtans & [ſ]upplicans Uni, tamquam Deo, pro civitatibus [p]eriturus. Et tunc impletum fuit, quod de eo [d]icit Chriſtus *Joan.* 8. ℣. 56.; ex *Eſtio.*

℣. 3. *Mementote vinctorum, tamquam [ſ]imul vincti: & laborantium, tamquam & ipſi in corpore morantes.*

Hoc eſt, perindè *ac ſi vincti* eſſetis illorum *mementote*, illiſque ſubvenite perindè ac vobis vinctis ſubveniri velletis; vel benefacite vinctis & pro eorum ſolutione ſatagite: memores quòd & ipſi vincti ſitis & captivi teneamini in corpore mortis hujus, cupientes ex eo liberari, ùt ait *Ribera.* Priorem tamen ſenſum *Eſtius* præfert. *Et laborantium*, græcè, *malè habentium*, id eſt, afflictorum & eorum qui quâcumque neceſſitate premuntur; *mementote*, inquit, illorum, eis ſubvenite *tanquam & ipſi in corpore morantes*, id eſt, iiſdem afflictionibus corpus obnoxium habentes, ideòque non ignari quantùm illi patiuntur juxtà 1. *Cor.* 12. ℣. 26.; ex *Gaig.* Loquitur autem *de vinctis Jeſu Chriſti*, qualis ipſe aliquando fuerat, imò veriſimiliter erat hæc ſcribens; ùt *infrà* patebit; ùt *Col.* 4. ℣. 18.

℣. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.*

Connubium extollit adversùs eos qui nuptias damnabant, ſed tamen penè tantùm ob fornicationem vitandam laudare videtur: ſubdit enim, quòd *fornicatores & adulteros condemnabit Deus.* Ex orthodoxis aliqui interpretantur, *honorabile* eſſe *connubium in omnibus*, id

eſt, omninò atque perfectè & omnibus modis: Alii explicant, omni ex parte & in omnibus quæ ſunt ipſius conjugii propria, ſive ſacramentum ſpectes ſive fidem, ſive prolem: Alii exponunt *in omnibus*, id eſt, legitimè conjunctis, tanquam hoc dictum ſit adversùs hæreticos qui nuptias damnabant. Vel *in omnibus*, id eſt, apud omnes homines, q. d. non debere conjugium à quopiam ſperni, etiamſi ipſe ab eo ſe contineat. Verùm, ait *Eſtius*, his modis intellecta ſententia parùm opportuna eſt huic loco: itaque exiſtimamus maximè expeditum hujus loci ſenſum eſſe, ſi præceptivè exponatur, & particula *in omnibus* ad perſonas referatur: ut ſenſus ſit: præcipio ut omnes qui in conjugio eſtis, ſervetis honorem conjugii & thorum ſinè macula: id autem præſtatur quando nec violatur conjugii fides per adulteria, nec ab ipſis inter ſe conjugibus quidquam admittitur quò thori jugalis puritas commaculetur: ita *Chryſ.* & *Theoph.*

℣. 5. *Sint mores ſinè avaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: non te deſeram, neque derelinquam.*

Avaritiam inhibet, modico jubens eſſe contentos, probans ex ſcriptura nihil verendum neque defuturum adjutore Deo. Græci legunt, *ſit ſinè avaritia modus*, q. d. Turpe eſt quòd avaritia modum imponat. *Contenti* ſitis *præſentibus*, id eſt, iis quæ habetis, quæque ſufficiunt neceſſitati veſtræ, nec velitis ditiores fieri, ùt 1. *Tim.* 6. ℣. 8. *Ipſe enim dixit*; *Deut.* 33. juxtà verſionem LXX.; item *Joſue* 1. Quæ loca quidem de regimine & ducatu Populi agunt; ſed ab Apoſtolo ſenſu accommodatitio citantur. Huc etiam pertinet *Pſal.* 36. ℣. 25., *Prov.* 10. ℣. 3., & *Matth.* 6. ℣. 33.; ex *Eſtio.*

℣. 6. *Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.*

Hoc eſt, *ita ut* cum bona ſpe & fiducia poſſimus dicere, illud *Pſal.* 117. *Dominus mihi* &c. Nam ſi Deus auxilio eſt, non oportet raptores aut calumniatores metuere.

℣. 7. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.*

Quia dixerat homines non timendos; iterùm occaſionem arripit exhortandi Hebræos ad fidei conſtantiam adversùs perſecutores, idque exemplo *præpoſitorum* eorum, qui deceſſerant. Intelligit autem Epiſcopos ſive Antiſtites qui & præpoſiti dicebantur, ex *Tertul.* & *Cyp.*, quorum aliqui in Judæa & Syria jam martyrio vitam finierant inter quos numerandus *Jacobus* frater Domini Jeroſolymorum Epiſcopus, atque ad eum vel præcipuè *Paulus* reſpicit; ad hoc, inquit, memores illorum eſtote, ut etiam atque etiam conſiderantes quem ſortiti fuerint *exitum* ac finem ſuæ ſanctæ *converſationis*, *fidem* eorum, fideique conſtantiam *imitemini*. *Theoph.* primò hæc de præpoſitis adhuc viventibus exponit, quaſi Apoſt. hortetur, ut Epiſcopis ſubminiſtrent: ſed meritò, ait *Eſtius*, hâc dimiſsâ alteram ſubjicit utpotè conformiorem textui Apoſtoli.

℣. 8. *Jeſus Chriſtus heri, & hodiè: ipſe & in ſæcula.*

Erant nonnulli apud eos qui dicerent: is qui crucifixus eſt, non eſt is qui annuntiatus eſt & qui expectatur Chriſtus, alius veniet.

Ideó ait, *Jeſus Chriſtus heri, & hodiè*, idem etiam *in ſecula*: per id quod ait, *heri*, præterita; per *bodie*, præſentia; per id quod ſequitur, *idem etiam in ſecula*, futura ſignificans ſecula. q. d. Non veniet alius Chriſtus, nam qui venit idem hic eſt qui priùs erat & eſt & erit in ſecula, ex *Oecum. & Cyril.*; quaſi ita argumentetur, fides veſtra eſt in Jeſum Chriſtum ſicut & fuit veſtrorum præpoſitorum: atqui Jeſus Chriſtus ſemper idem eſt, ergo & fides veſtra eadem eſſe debet cum fide illorum; ideòque neceſſe eſt, ut illorum fidem imitemini: undè ſubdit; ex *Thom. & Anſel*

℣. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratiâ ſtabilire cor, non eſcis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.*

Propтereà, inquit, nolite temerè moveri & fluctuare huc & illuc *doctrinis* forinſecùs advectis, & à doctrina domeſtica, Eccleſiaſtica & Apoſtolica alienis, bonum eſt *ſtabilire cor*, id eſt, mentem & animum *gratiâ* Evangelicâ, *& non eſcis*, id eſt, eſcarum diſcrimine mundarum atque immundarum, *quæ nihil profuerunt ambulantibus in eis*: id eſt, hujuſmodi ciborum diſcrimen maximè poſt legem Evangelicam facientibus, ex *Gaig*. Eadem ſententia eſt, ſi referas ad cibos ſacrificales, de quibus *Jerem. cap.* 11. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* Sunt qui putent Apoſtolum loqui non de cibis legalibus, ſed de lautitiis epularum quas ſectabantur Nicolaitæ, velut novi apud Chriſtianos Epicurei, quorum illecebroſâ doctrinâ multi inficiebantur; ita ſenſus erit: quæ non profuerunt frequentantibus eas, ſiquidem ad exemplum illis ſtatuendum

ꝺiunt.

n Judaïcorum ciborum diſcretionem
ıſſet, oſtendit excellentiorem nobis eſſe
à quo edendo arcentur quicumque legi
erent & deſervirent. Pleriquè tam Ve-
quàm Recentiores per *altare* ſignificari
t menſam Dominicam, ex qua ſumitur à
ius corpus & ſanguis Domini, ut ſicut
dictum eſt, 1. *Cor.* 10. *Non poteſtis men-*
mini participes eſſe, & menſæ dæmonio-
ita hìc quaſi dicatur; non poſſunt edere
ari dominico, qui adhuc tabernaculo de-
nt in cibis & potibus, ùt *cap.* 9.; ita
. *Theoph. Oecum. Anſel.* Confirmatur ex
ıcrificium incruentum; ſi enim apud nos
are ex quo hæc ſumantur, eſt & ſacrifi-
quo eadem hæc offerantur: quia nullum
altare habent Chriſtiani de quo edant
ıenſam Dominicam. *S. Thomas* altare
nterpretatur crucem Chriſti, vel ipſum
tum. De quo altari edere, inquit, eſt
ım paſſionis Chriſti percipere, & ipſi
am capiti incorporari, undè ab Eccleſia
ur *Ara crucis*: & ipſe Chriſtus altare

in ara crucis oblatam, ipſum ſcilicet Chriſti corpus, de quo edere non poſſunt qui tabernaculo deſerviunt, id eſt, legem mordicùs tenent, ait *Gaig.*

℣. 11. *Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.*

Probat, quod ſuprà dixit, à ſimilitudine legalis ſacrificii quod in feſto propitiationis fiebat, ubi vitulo & hirco apud caſtra immolatis ſanguinem illorum pontifex ſolus *in Sancta* ſanctorum oraturus deferebat: carnes verò eorum animalium edere Sacerdotibus non licebat, ſed extra caſtra deferebantur concremanda, ùt ſtatuitur *Levit.* 4. & 6. Quæ omnia in figuram Chriſti contigerunt. Chriſtus enim verus Pontifex cum ſanguine ſuo in Sancta ſanctorum cœleſtis patriæ, Patrem oraturus intravit, & quemadmodùm animalium immolatorum in lege extra caſtra corpora cremabantur, ita corpus Chriſti extra Jeruſalem in monte Calvariæ ardore paſſionis eſt combuſtum; ex *Leone ſerm.* 9. *de Paſ.* In ſacrificio tam vituli quàm hirci & ritu utriuſque offerendi plura myſteria à *S. Thoma* & aliis conſiderantur & enucleatè exponuntur. Sed allegoria, ab Apoſtolo hìc intenta, ſita eſt in iis quæ ſtatim explicata ſunt.

℣. 12. *Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.*

Propter quod, id eſt, ut impleretur illa figura, quæ eſt de carnibus extra caſtra cremandis, *etiam Jeſus, ut per ſuum*, græcè, *proprium ſanguinem populum ſanctificaret, extra portam* civitatis Jeroſolymitanæ *paſſus eſt.*

Chriſtus enim eſt vera hæc hoſtia, per quam ſanctificantur, & de qua ſpiritualiter & ſacramentaliter veſci poſſunt quicumque in eum credunt, non qui fiduciam in veteri lege habentes veteri adhuc tabernaculo deſerviunt; ita *Gaig. Populum* Apoſt. intelligit Iſraëliticum, ſicut in tota Epiſt. eo quòd ſcribat ad Hebræos, & quia ad ſolum hunc populum factæ fuerant promiſſiones. Alioquin etiam pro gentibus mortuum eſſe Chriſtum abundè docent aliæ Paulinæ Epiſtolæ: ita *Eſtius*.

℣. 13. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.*

Exeamus igitur extra caſtra, id eſt, à converſatione de mundo & caſtrorum turba recedamus: *improperium portantes ejus*, qui extra portam paſſus eſt: nam qui ducebantur extra portam, ignominioſâ morte multabantur. *Portare improperium Chriſti* aliqui exponunt, ut ſit pati qualia paſſus eſt Chriſtus, irriſiones, opprobria, perſecutiones, crucem; vel *improperium Chriſti*, id eſt, pro Chriſti nomine toleratum, juxta quod ipſe ait *Matth.* 5. ℣. 11. Sed veriſimilius *Eſtio* videtur, *improperium Chriſti* propriè illud Apoſtolo hìc dici, quo vocabantur Chriſtiani; de quo *Pet.* 4. ℣. 19.

℣. 14. *Non enim habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.*

Hoc alterum eſt, quod *Paulus* conſiderat in his verbis: *Exeamus igitur* &c. Docet enim, quid ſit myſticè *exire extra Caſtra.* Quibus verbis tacitè eos monitos vult, ut tanquam peregrini in hoc mundo ſemper animo tendant atque aſpirent ad patriam cœleſtem; ita futurum ut non multùm turbentur ſi vel opprobriis impetantur à civibus terrenæ Jeruſalem, vel rerum temporalium damna patiantur; ita *Eſtius*.

℣. 15. *Per ipſum ergò offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.*

Poſtquam à ſacrificiis carnalibus avocavit, nunc eos invitat ad ſacrificia ſpiritualia ? q. d. Exeamus ad Jeſum extra portam &c. & quoniam illuc ſeipſum pro nobis obtulit Deo; habeamus & nos aliquid, quod ejus exemplo *Deo offeramus* Quid verò potius quàm ſacrificium laudis & gratiarum actionis Deo promptè & ſemper oblatum pro omnibus beneficiis, ſed ſpeciatim pro eo cujus ſuprà meminit, quòd per ſanguinem Filii ſui nos ſanctificavit. Dicit *per ipſum*, quia niſi *per ipſum* dignum Deo ſacrificium offerre non poſſumus. Alludit *Paulus* ad oblationes veteris legis in qua primi & præcipui terræ fructus Deo offerebantur. q. d. Pro fructibus terræ, quorum jam ceſſat oblatio, *fructum offeramus labiorum* noſtrorum *confitentium nomini Dei*, id eſt, Dei nomen laudantium, laudes ſcilicet Dei & gratiarum actiones : de quo ſacrificio inquit David, *immola Deo ſacrificium laudis*, *Pſal.* 49. ℣. 14. ; & Propheta *Oſee* 14. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Ut ſenſus Prophetæ ſit : adducemus Deo vitulos offerendos, ſeu quodcumque aliud ſacrificii genus, quod in anguſtiis conſtituti labiis noſtris diſtinctè vovimus nos oblaturos, juxtà *Deut.* 23. ℣. 23. Sic petitio labiis pronuntiata *Pſal.* 20. ℣. 2. vocatur *voluntas labiorum.* Perſimile autem verbis Prophetæ eſt quod legitur *Pſal.* 65. ℣. 13. & 14. ; ita *Eſtius*. Sunt qui hunc verſum explicant de ſacrificio Miſſæ, quod rectè dicitur hoſtia laudis, quia à Chriſto Patri fuit primùm oblata in gratiarum actionem & laudem ; ex *Galen.*

℣. 16. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

Duplex eſt ſacrificium, inquit *S. Thomas*, quod ſuper altare Chriſti offerre debemus, ſcilicet devotionem erga Deum, & miſericordiam ergà proximum: de priori jam egit; alterum nunc ſubjicit. *Beneficentiæ* nomine complectitur univerſim charitatis officia quæ proximis impenduntur, ea præſertim quibus inopia eorum ſublevatur, ùt *Rom.* 12. ℣. 13. *Talibus hoſtiis* referendum eſt ad utrumque ſacrificium *laudis* ſcilicet & *beneficentiæ*; & hoc opponit legalibus ſacrificiis quibus nemo potuit Deo placere: vocantur autem hæc *ſacrificia*, quatenùs ad Deum colendum fiunt, ita *Aug. lib.* 10. *de Civ. Dei cap.* 6. Quaſi dicat *Paulus*, dum volo vos hoſtiam laudis ſemper offerre, nolo vos eleëmoſynæ oblivifci; ex *Theoph.*

℣. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.*

Duabus ſuperioribus hoſtiis tertiam addit, quæ eſt *obedientia*, de qua 1. *Reg.* 15. ℣. 22. & *Luc.* 10. ℣. 16. Docet hic locus, Eccleſiarum prælatos habere poteſtatem præcipiendi ac leges ferendi, quibus obedire teneantur eorum ſubditi: loquitur autem de Epiſcopis: num igitur & omni Principi eſt obtemperandum? Ita quidem, vel ſi nequior ſit ille & improbus: modò ne fidem obturbet, vel hanc ut deſeras cogat: His enim etiam duris, mo-

roſis ac diſcolis obediendum præcipitur *Epheſ.* 6. ℣. 5., *Coloſ.* 3. ℣. 22., & 1. *Pet.* 2. ℣. 13. Cùm dicit : *ipſi enim pervigilant*, officium eorum deſignat : non quòd hoc omnes faciant ſed quòd boni, & quòd omnes facere oporteat, & quòd deniquè de Paſtoribus ſuis & Epiſcopis ſentire debeant fideles. *Ut cum gaudio hoc faciant*; quod refertur ad *obedite præpoſitis* &c.; quamvis enim potiſſima ratio obediendi ſit ut Deo placeatur, debent tamen ſubditi & hoc præ oculis habere, ut pro ſuperiorum vigilantia non mœrorem & gemitum ſed gaudium iis adferant. Pronomen *hoc* demonſtrat curam pervigilem ; ita ſenſus eſt: ut curam veſtri agant cum alacritate & gaudio, & non gemant ſub onere, ſed leviùs illud ferant, dum vident ſe non inaniter in vobis laborare. Quando illi præpoſiti contriſtantur de malis veſtris, expedit quidem illis ipſa triſtitia & prodeſt illis ; ſed *non expedit vobis*. Simul ergo Prælati & ſubditi in dominico agro bonum operemur, ut ſimul de mercede gaudeamus, ait *Anſel.* Qui uti & Gloſſa ordinaria hæc verba, *ut cum gaudio* &c. exiſtimat etiam referri poſſe ad hæc : *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Quaſi dicat Apoſt. : ut reddant rationem Deo ſecuri de præmio & non gementes, anxii vel hæſitantes de veſtra damnatione ; nè fortè accuſentur non rectè vos duxiſſe. At verò, ait *Eſtius*, ſenſus iſte ſanam intelligentiam requirit. Conſtat enim ſubditorum malitiam non poſſe jure imputari bonis Præfectis ad detractionem mercedis : neque hoc *Anſelmus* neque alii hujus ſenſûs authores ſignificare voluerunt.

℣. 18. *Orate pro nobis : confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus in omnibus benè volentes converſari.*

Rogat, ut pro ſe orent, & de innocentia ſua proteſtatur ſuaque erga illos benevolentia. *Confidimus* inquit, id eſt, nihil cujuſquam accuſationis veremur, quoniam in rebus *omnibus bonam conſcientiam habemus* : quippè qui apud omnes *benè converſari* cupimus, ita *Gaig.*; non ſolùm apud Gentiles, ſed etiam apud vos : vel meliùs *in omnibus* ; id eſt, per omnia ſtudentes *benè converſari*, ut ne cuiquam in dictis aut factis meis ullum præbeam offendiculum, ut 1. *Cor.* 10. ℣. 33. ; ſed tantùm Dei gloriam & veſtram ſalutem quæram, ita *Chryſ.*

℣. 19. *Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs reſtituar vobis.*

Ampliùs, hoc eſt, magis atque impenſiùs obſecro *vos hoc facere*, id eſt, pro me orare, ut *celeriùs* à carcere dimiſſus *reſtituar*, non mihi ſed *vobis* ; id eſt, reddar priſtino officio prædicationis, ita *Anſel.*; vel reſtituendus intelligitur à negotiis quibus detinetur ; vel ſimpliciùs exponi poteſt ; orate, *ut reſtituar*, id eſt, reddar vobis, revertar ad vos. Nota *Paulum* in omnibus recurrere ſolitum ad Deum per orationem ; ex *S. Thoma.*

℣. 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,*

Nunc benè eis precatur, ac pro eis orat q. d. Quia Deus pacis eſt, non oportet vos à me vel inter vos mutuò de lege & ſacrificiis diſſidere ; ſed in unam veram, quam vos do-

cui, convenire ſententiam. *Qui de mortuis*, id eſt, de morte & ſepulchro *eduxit paſtorem magnum ovium* ſcilicet Chriſtianorum, Jeſum qui 1. *Pet.* 5. ℣. 4. vocatur *paſtorum princeps.* Nomine *ovium* electos ſignificari rectè docet *Anſelmus*, ùt *Joan.* 10. *In ſanguine teſtamenti æterni*, id eſt, qui eâ gratiâ illum ſuſcitavit, ut ſanguis ejus pro nobis fuſus eſſet in teſtamentum & pactum æternum noſtræ cum eo reconciliationis, ex *Gaig.* Alii volunt *in ſanguine* idem eſſe quod per ſanguinem, & referunt ad verbum *eduxit*; ſic *Anſ.*, *Thom.* & Latini ferè omnes. Ut ſenſus ſit; Chriſtum à morte eductum & reſuſcitatum eſſe virtute ac merito ſanguinis ſui in morte effuſi, quo confirmatum eſt *teſtamentum æternum.* Ipſe enim, inquit *S. Thomas*, per ſuam paſſionem meruit ſibi & nobis gloriam reſurrectionis. Hæc interpretatio *Eſtio* præplacet; tum quia phraſis illa *in ſanguine* paſſim in Sacris Litteris nominatim in Epiſt. *Pauli* & *Apoc.* ſic accipitur, tum quia videtur Apoſtolus alludere ad *Zachar.* c. 9. ℣. 11. Vocat verò *teſtamentum æternum* ad differentiam veteris teſtamenti, vel quia promiſſionem continet hereditatis æternæ, vel quia ei non ſuccedet aliud, ait *Theoph.* & *Eſtius*; qui cum *S. Thoma* obſervat, hìc vocari *ſanguinem teſtamenti æterni*, qui in tribus Evangeliſtis & 1. *Cor.* 11. ℣. 25. dicitur *Novi Teſtamenti*: ideòque in conſecratione Miſſæ meritò dici: *Novi & æterni teſtamenti.*

℣. 21. *Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum: cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Senſus eſt, Deus pacis vos tanquam unius

:is membra *aptet*, componat, & perfi-
ɪ omni genere bonorum operum, ſic ut
in hoc, alius in alio opere juxta ſuam
ionem ſedulò ſe exerceat. Dupliciter au-
)eus hominem aptat ad benefaciendum;
ıodo exteriùs operando, ſic unus homo
alium perſuadendo, vel commonendo:
nodo aliquid interiùs exhibendo, & ſic
Deus aptat voluntatem, qui ſolus eam
: immutare, *Prov.* 21. ℣. 1. Non ergò
ıus Deum movere voluntates hominum,
aptum novit ut ſequantur, tanquam in
ta ſit efficacia gratiæ Dei; ſed fatemur
ı facere homines aptos bonæ voluntatis
ſione, ut ait *S. Thomas*: & ſupplenda
poſtòli ſententia hoc modo, *Deus aptet*
ɪ omni bono præſtans nimirùm, *ut facia-*
ıs voluntatem, intellige præceptivam, in
exequenda conſiſtit bonitas voluntatis
e, de qua *Epheſ.* 5. ℣. 17., 1. *Theſ.* 4.
& *Eccleſ.* 3. ℣. 22. *Faciens in vobis*,
ſt, per gratiam ſuam efficiens, efficaci-
perans *in vobis* opera ſibi placentia. Ma-
ė docet hic locus gratiam Dei non ex eo
cem cenſeri; quòd voluntas noſtra per
aſſenſum ſeſe accommodet vocanti aut
nti Deo: ſed efficacem eſſe per ſeipſam
ſeipſa, dum Deus potenti ſuâ operatio-
ıs aptat, & in nobis efficit omne bonum
uod ei placemus: ſub quo bono ipſum
aſſenſum & coöperationem voluntatis
æ contineri nemo dubitat; ùt *Philip.* 2.
., *Iſaïæ* 26. ℣. 12. Addit *per Jeſum Chri-*
, quia nihil impetratur à Patre niſi per
n, ex *S. Thoma. Cui eſt* vel ſit *gloria in*
ſeculorum. Amen. Quod tam ad Deum
: ad Jeſum Chriſtum referri poteſt, ùt
11. & 16., *Gal.* 1., *Epheſ.* 3., *Philip.* 4.,

1. *Tim.* 1., 2. *Tim.* 4., 1. *Pet.* 5. & 2. *Epiſt.* 3., *Apoc.* 1., 5. & 19. Quale eſt etiam illud *Luc.* 2. *Gloria in altiſſimis Deo* & *Luc* 19. *Gloria in excelſis* &c. *Amen* vim habet confirmandi quod dicitur, vel optatur q. d. ita fiat; ex *Eſtio.*

℣. 22. *Rogo autem vos fratres, ut ſufferatis verbum ſolatii. Etenim perpaucis ſcripſi vobis.*

Admonet eos conſolari in adverſis: & ſuo exemplo docet nos magiſter egregius, ut ea quæ ſentimus & valdè humiliter & ſinè prolixitate dicamus. Multa enim humiliter hactenùs Hebræis eſt locutus, ſed exhortatione humili placere eos adhuc humiliùs ſatagit dicens, *rogo vos*, &c. ex *Anſel.*

℣. 23. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo (ſi celeriùs venerit) videbo vos.*

Magìs ergà *Timotheum* amico animo affecti erant, ideò de ipſo ſcribit. Quid eſt autem *dimiſſum?* Aut in carcere fuerat, aut ex Athenis *dimiſſus* fuerat, ibi namque fuerat; ex *Oecum.* Alii *dimiſſum* intelligunt, id eſt, expeditum à negotiis quibus alicubì detentus fuerat; ex *Anſel.* Quòd *ſi celeriùs venerit* ad me, unà cum ipſo profectus *videbo vos*: veriſimile namque erat ipſum quidem fuiſſe dimiſſum, at nondùm ad *Paulum* perveniſſe; ex *Oecum.*

℣. 24. *Salutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes ſanctos. Salutant vos de Italia fratres.*

Per *præpoſitos* intelligit Epiſcopos Eccleſiarum maximè per Judæam & Syriam. Per

s omnes fideles. Per eos qui *ex Italia*; , ſignificatque Judæos Chriſtianos per s urbes Italiæ diſperſos; & oſtendit ſe lia ſcripſiſſe: colligitur etiam Epiſtolam e Româ ubi vinctus tenebatur: ex *Anſel.*

25. *Gratia cum omnibus vobis. n.*

iudit Epiſtolam precatione gratiæ quâ icentiam Dei ſignificat; quatenùs ab ea omnia dona ſalutis proveniunt, ùt peccum remiſſio, animi puritas, & ipſa Spiſancti participatio; ex *S. Thoma.*

IN EPISTOLAS CATHOLICAS PRÆFATIO.

EPiſtolæ ſubſequentes Canonicæ dicuntur, quòd æquè ùt Paulinæ ad Canonem pertineant librorum Scripturæ ſacræ; vel quia Canones, id eſt, regulas continent inſtituendæ vitæ Chriſtianæ. Catholicæ dicuntur, quia non ad unam aliquam civitatem, aut ad unum hominem: ſed generatim ad fideles diſperſos in varias regiones ſcriptæ ſunt; ex *Orig.* & *Hier.*; & adversùs inſurgentes hæreſes Simonis, Nicolai & ſimilium, qui ſatis eſſe ad ſalutem fidem ſinè operibus aiebant; ex *Aug. lib. de fide & operibus cap.* 14.

ARGUMENTUM.

In Epiſtolam Jacobi.

Author hujus Epiſtolæ eſt Jacobus, ille ſororis Mariæ matris Domini filius, qui primus Hieroſolymitanus ab Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus. Is ortâ in Eccleſia perſecutione & factâ credentium diſperſione ob Stephani necem conſolatoriam ſimul & exhortatoriam ſic diſperſis ſcribit Epiſtolam ædificationis plenam: ex Gaig.

CAPUT I.

Conſolatur eos adversùs tentationes, præmia proponens, & docet in quo ſita ſit vera religio.

℣. 1. *Jacobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.*

D*Ei* quidem Patris, *Domini* verò Filii: itaque ſi ex æquo Patris & Filii *ſervus* eſt, æqualis eſt Patri in honore Filius & in eſſentia & in operatione, ait *Oecum. Diſperſionem* autem intelligit omnium credentium præter Apoſtolos per regiones Judææ & Samariæ de qua *Act.* 8.; vel potiùs Iſraëlitici populi in varias nationes olim factam, ùt patet *Act.* 2. & 6. Ad hanc diſperſionem certò pertinet Petri ſalutatio in exordio prioris ſuæ Epiſtolæ.

℣. 2. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis:*

Omne gaudium, id eſt, ingentis gaudii materiam vobis oblatam *exiſtimate*. Per *tentationes* non illectamenta ad peccandum, ſed tribulationes & afflictiones intelligit, ùt *Luc.* 22. ℣. 28. & *Heb.* 4. ℣. 15. Hanc ſignificationem de

clarat quod ſequitur *infrà* ℣. 12. Et in ſcripturis frequens eſt, in afflictionibus gaudendum eſſe: ùt *Matth.* 5. ℣. 12., *Act.* 5. ℣. 41., *Rom.* 5. ℣. 3. & 1. *Pet.* 4. ℣ 13. Sed cùm naturale ſit in malis dolere, ita quidem ut Chriſtus *triſtis* fuerit *uſque ad mortem*: docet *Jacobus* ſequentibus verbis quâ ratione in malis dolendum ſit: quod & Paulus docet 1. *Rom.* 5. & *Heb.* 12. *Petrus* verò 1. *Ep.* c. 1. & 4. Et Chriſtus *Matth.* 5. & *Luc.* 6.; ex *Eſtio*.

℣. 3. *Scientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur.*

Scientes, ſeu potiùs ſcire & perſuaſum habere debetis, *quòd probatio fidei veſtræ* &c. quâ parte tacitè ſignificat, tribulationum effectum eſſe probationem fidei, & hujus probationis effectum eſſe patientiam. Quod videtur contrarium verbis *Pauli* dicentis *Rom.* 5. *Patientia probationem operatur.* Verùm tamen eſt utriuſque Apoſtoli dictum, ſed diverſo ſenſu: *patientia* enim *probationem operatur*, quatenùs per tolerantiam adverſitatum homo ſibi aliiſque qualis ſit oſtenditur, ſimulque eâ exercitatione purgatur ſicut aurum in fornace. Quomodo autem è converſo *probatio patientiam operetur*, ſatis obſcurum eſt. Sunt qui per *probationem fidei* intelligunt tribulationem quâ fides probatur; alii fidem tentationibus probatam; quaſi dicat *Jacobus*: fides tentationis probata patientiam gignit ſcilicet auctiorem, vel impetrando à Deo vel etiam efficiendo. Similis eſt locutio 1. *Pet.* 1. ℣. 7. Alii deniquè locum hunc ſic explicant: *probatio fidei patientiam operatur*, id eſt, declarat ac prodit quanta ſit patientiæ virtus in iis qui multis adverſis probati & explorati à fide, cujus gratiâ patiuntur, non recedunt,

Eſtius dat hanc explicationem : Dum Deus variis afflictionibus fidem veſtram probat, interim eo ipſo exerçet & perficit in vobis patientiam.

℣. 4. *Patientia autem opus perfectum habet : ut ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.*

Legendum eſt *habeat*, ut ſit exhortatio, cujus ſenſum variè reddunt. Aliqui hoc modo : patientia veſtra gaudium annexum habeat ; ſed ita coincideret cum ℣. 2. Alii *opus patientiæ perfectum* interpretantur, quod conjunctum eſt cum dilectione eorum qui nos affligunt : charitas enim reliquarum virtutum opera format ac perficit. *Oecumenius* innuit ſenſum hujuſmodi : *patientia* veſtra ne deficiat, ſed opus ſuum perducat uſque ad finem ; ſic enim erit opus abſolutum & re & fructu. Duo poſtremi ſenſus *Eſtio* probantur ; & utrique aptari poteſt quod ſequitur. *Ut ſitis perfecti* ad ſuſtinendam tribulationum diuturnitatem, & *integri* ad ſuſtinendam earum gravitatem ; *in nullo deficientes*. Si *Opus perfectum* ſuprà intelligas cum dilectione conjunctum ; ſenſus hujus partis erit : ita ut quoad virtutes vobis neceſſarias, *in nullo* ſitis *deficientes*, ſed *integri* ſic ut nulla earum vobis deſit. Sin verò intelligas *perfectum* ratione perſeverantiæ, hic ſenſus reddi poterit : ut in adventu Domini inveniamini perfecti & integri, nec ullo genere boni operis deſtituti.

℣. 5. *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat : & dabitur ei.*

Hic *Jacobus* oſtendit perfectæ patientiæ ma-

dicem, ſcilicet ſapientiam divinitùs infuſam; quia *qui patiens eſt multâ gubernatur prudentiâ*, *Prov.* 14. ℣. 29. Et *hoc loco* ſapientiam vocat eamdem quam c. 3. dicit *deſurſum deſcendentem*; piam ſcilicet & rerum divinarum ſcientiam. Quòd autem dicit, *ſi quis* &c., non dubitantis eſt ſed ſupponentis, ùt de re certa & confeſſa: q. d. *ſi quis indiget*, ùt certò indigetis &c. Quo modo conjunctio *Si* ſæpè occurrit in Scriptura: ùt *Mal.* 1. ℣. 6., *Rom.* 13. ℣. 9., & 2. *Theſſ.* 1. ℣. 6. Sic etiam à quibuſdam exponitur illud hujus *Epiſt.* c. 5. *Et ſi in peccatis fuerit* &c. *Poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*, ſyriacè, *ſimpliciter*, quod in idem recidit: nam *ſimpliciter* dare dicitur qui in dando non ſpectat niſi juſtas cauſas dandi: ùt *Rom.* 12. ℣. 8. Dicit *à Deo* quia omnis ſapientia à Deo eſt, ùt *Eccli.* 1. ℣. 1. *Et non improperat*, quod addit, ne quis Deum vereatur accedere qui omnibus dat affluenter & grato modo. *Et dabitur ei*; ùt *Matth.* 7. & 21., *Marc.* 11. & *Luc.* 11. & *Joan.* 14. & 16. Sed quia ſolis credentibus hæc promiſſio facta eſt, ſubjungit: ex *Eſtio.*

℣. 6. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.

Poſtulet in fide nihil hæſitans, græcè, diſcernens vel diſceptans: id eſt, fideliter & cum fiducia poſtulantem non oportet dijudicare, neque hæſitare de Dei potentia ac miſericordia; ùt *Act.* 10. ℣. 20., *Rom.* c. 4. ℣. 20., & c. 14. ℣. 23. & *Matth.* 21. ℣. 21. Nec enim vult hoc loco quòd quicumque poſtulat à Deo, neceſſariò credat ſe aſſecuturum; ſed quòd dubitare non oporteat, quin potens ſit

ut queat, & miſericors ut velit tradere quod petitur, ſiquidem in rem noſtram illud eſt: nam & Græca ſcholia explicant de eo qui mole peccatorum ſuorum preſſus minorem putat Dei miſericordiam quàm ut donari ſibi venia poſſit. Rem hanc declarat eleganti ſimilitudine: *qui enim hæſitat* &c. ſcilicet in fide, *ſimilis eſt fluctui maris* qui huc illuc *à vento* impellitur; quia cujus conſcientia formæ fidei fundamento non innititur, facilè nutat & circumfertur ad omnem ventum doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, ùt *Epheſ.* 4. ℣. 14.; ex *Gaig.*

℣. 7. *Non ergo æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.*

Concludit eum qui non ex fide orat, cùm animo fluctuet, indignum eſſe qui impetret quidquam à Domino Deo. Dices exauditum fuiſſe regulum orantem pro filio ſuo *Joan.* 4.; cui tamen Dominus dixit: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*; de quo *Greg. homil.* 28. *ſuper Evang.* ſcribit quòd in fide dubitaverit. ℟. Exauditum fuiſſe nòn pro merito orationis ejus; ſed quia Chriſto, ad gloriam ſuam miraculo manifeſtandam, ita viſum fuit: ex *Eſtio.*

℣. 8. *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.*

Græci interpretantur inconſtantem & inſtabilem in petitione, quippè qui nunc præſentium, nunc contrà futurorum bonorum tenetur deſiderio. Itaque δίψυχος dicitur, qui bianimis, ſeu vacillantis & titubantis animi eſt: quales erant quibus ab Elia dictum eſt 3. *Reg.* 18. *Uſquequò claudicatis in duas partes?* Et *Eccl.* 2. ℣. 14., item *Apoc.* 3. ℣. 15.; ex *Gaig.*

℣. 9. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua.*

Suprà hortatus eſt ad patientiam: nunc conſolatur ponens afflictis fratribus ante oculos felicitatem vocationis ſuæ. Si quis, inquit, inter vos Chriſtianos *humilis* eſt, id eſt, pauper, abjectus & mundo contemptibilis, ne doleat vicem ſuam, ſed ſuam cogitet ſublimitatem ac felicem ſtatum ad quem evectus eſt & in eo *glorietur*. Ea ſublimitas eſt, Chriſtianum eſſe filium Dei, conſortem Chriſti, heredem regni. Alii exaltationem hanc intelligunt in eo ipſo, quòd pro Chriſto ſpoliatus, inopiâ prematur, tanquam ea ipſa ſit gloriandi materia, ùt 1. *Pet.* 4. ℣. 16. Verùm antitheſis hujus partis ad eam quæ ſequitur, magis exigit priorem ſenſum: ita *Eſtius.*

℣. 10. *Dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.*

Poteſt verti *in humiliatione ſua*, paſſim tamen vox græca pro *humilitate* accipitur; ùt *Luc.* 1. ℣. 48., *Act.* 8. ℣. 33. & *Phil.* 3. ℣. 21. Loquitur hic *Jacobus* de divite, nec ſolùm de infideli, ùt nonnulli exponunt, ſed etiam de Chriſtiano. Erant enim inter Chriſtianos quidam divites qui Chriſtianæ charitatis obliti, fratres ſuos pauperes, tametſi pro Chriſti nomine in paupertatem redactos, ſuperbè deſpiciebant, nec eis de ſua abundantia communicabant. Hæc enim eis improperat *infrà* c. 2. & 5. Aliqui cum Beda ſupplent ex *verſu præc.* glorietur, ut ſit ironicus ſermo: *Dives glorietur in humilitate* &c. Mihi probabilius eſt, ait *Eſtius*, id quod *Oecumenius* ſubindicat, ellypticum eſſe ſermonem qui ſupplendus ſit verbo contrariæ ſignificationis: quomodo locutus eſt *Paulus* ad *Tim.* 4. ℣. 3. *Probibentium*

nubere, abſtinere à cibis, ſupple, *præcipientium*. Si igitur hìc ſupplendum hoc modo: *dives autem confundatur in humilitate ſua*, id eſt, pudefiat cogitans ac ſecum reputans ſuam vilitatem ac rerum, in quibus confidit, inconſtantiam. Nam ſicut flore fœni velociter tranſeunte, ubi ſol illuxerit paulò ardentior, areſcit fœnum, peritque illius decor & gloria: ita ſubitò tranſeunte mundanâ illâ divitum gloriâ, ubi per ardorem diſtricti judicii ſeu in morte ſeu noviſſimi, ſol ille juſtitiæ illuxerit, reproborum divitum decor perit & gloria; ex *Gaig*.

℣. 11. *Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultûs ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet.*

Deſcriptio eſt floris herbæ citò tranſeuntis, ſic divitis in abundantia ſua marceſcentis & evaneſcentis. Comparatione floris & fœni ad ſignificandum aliquid in rebus humanis pulchrum quidem ſed caducum frequenter utitur Scriptura: ùt *Iſaiæ* 40., *Job* 14., *Pſal.* 36. & 102., & 1. *Pet.* 1.

℣. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Hic oſtendit perfectæ patientiæ præmium, *beatum* pronuntians eum qui patitur, non autem divitem illum de quo modò loquebatur, cui omnia videntur ex voto ſuccedere: *qui ſuffert tentationes*, id eſt, qui cum ſpe & expectatione præmii cœleſtis ſuſtinet afflictiones, cujus jam pignus quoddam accepit ipſam patientiam. Quod declarat ſequens probatio: *quoniam cùm*

probatus fuerit, id eſt, cùm in hoc certamine patientiæ fortis & conſtans & in fide perſeverans inventus fuerit tanquam igne probatus *accipiet* ſui certaminis & victoriæ *coronam* ſeu præmium, vitam æternam, *quam* promiſit in Teſtamento veteri, *repromiſit* in novo: promiſit per Prophetas, repromiſit per Apoſtolos: undè *Paulus* eam vocat *coronam juſtitiæ*, 2. *Tim. ult.* Et hinc gratuitum Dei beneficium agnoſcimus, & quòd vitam nobis æternam deſtinavit, & quòd ad eam aſſequendam merita nobis præparavit. Merita verò hæc ſunt id quod dicuntur, non ex operum natura ſed ex promiſſione divina. Jam quod ait *diligentibus ſe*, non autem patientibus pro ſe, fontem aperit omnis boni meriti, id eſt, dilectionem Dei, quam vocamus charitatem, ùt 1. *Cor.* 13. ex *Eſtio*.

℣. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.*

In tentatione tria conſiderari poſſunt: *afflictio* quæ plerùmque ab homine eſt, ſemper à Deo; *probatio* quæ eſt à ſolo Deo: *peccandi incitamentum* quod eſt à mundo, diabolo & præcipuè à carne ſeu concupiſcentia. Anteà de tentatione prioribus modis conſiderata egit Apoſtolus; nunc de ea ultimo modo intellecta, quam ſcilicet interiùs inſtigante diabolo, vel ſuadente naturæ fragilitate toleramus, ex *Aug. de verb. Dom. Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo* tentor, ita Græci: *quoniam Deus*, inquit, *intentator malorum eſt:* quod in græco activè & paſſivè ſumi poteſt; paſſivè ſenſus eſt: Deus malis noſtris, id eſt, malitiis non tentatur: ſed præſtat activè legere: quòd ſcilicet Deus malos homines non tentet; hæc enim

ıtia refertur ad præcedentem: *Nemo di- ioniam à Deo tentatur: Deus enim inten- malorum eſt*, quod ſimili ſententiâ con- t dicens: *ipſe autem neminem tentat*. In- :e tamen dicitur in tentationem eos quos :ccatum ad quod tentantur cadere per- :, dum non adjuvat, ait *Innocentius Ep. rthag*. *Eſtius* putat *intentator* paſſivè ſu- ebere, ne bis idem diceretur: quia ſe- ır, *ipſe autem neminem tentat*. Maximè n ipſum movet, quòd non facilè græcam n alibi reperias in activa ſignificatione. at etiam verſionem *Eraſmi*, quæ ſic ha- Nam Deus, ùt malis tentari non poteſt, ec ipſe quemquam tentat.

14. *Unuſquiſque verò tentatur à con- ſcentia ſua abſtractus, & illectus.* ı græco ſatìs apparet verba hæc *à ſua piſcentia* conjungenda eſſe non cum *ten-*, ſed cum ſequentibus *abſtractus & il- s*, græcè, *ineſcatus*: quamquam ad ſenſum faciat, cui conjungas. Sentit enim Apo- s, unumquemque tentari *à ſua ipſius con- ſcentia*, dum per eam abſtrahitur à bono licitur ad malum; quamvis occaſio ten- nis immittatur à diabolo, tamen vis tenta- s ſinè concupiſcentia non completur; : flatu ligna, niſi ignis præſens fuerit, non nduntur. Concupiſcentiæ nomine hìc, uti 1 *Rom*. 7. & ad *Gal*. 5. generatim intelligi- fomes omnis peccati. Loquitur enim uni- è de peccatis ſive quæ carnalia dici ſolent quæ ſpiritualia: ex *Eſtio*.

15. *Deindè concupiſcentia cùm conce- it, parit peccatum: peccatum verò cùm ſummatum fuerit, generat mortem.* *oncupiſcentia* delectationem rei prohibitæ

excitat; neque verò delectatio ſtatim mortalis eſt, præſertim ſi in ea non immoremur; impoſſibile eſt enim viſis non affici: at *cùm* delectationi juncta *concupiſcentia conceperit*, id eſt, delectationem ad conſenſum uſque perduxerit, tunc *parit peccatum*; *peccatum* autem *cùm conſummatum fuerit* per plenum conſenſum, *generat mortem*, ſcilicet æternam; ex *Gaig*. Plura hìc *Eſtius* explicat circa gradus quibus peccatum ex concupiſcentia in nobis oritur & progreditur: ponit autem ſequentes gradus. *Primum* in tentatione concupiſcentiæ, ubi nullum adhuc eſt peccatum. *Secundum* in conceptu peccati per conſenſum imperfectum, qui habetur dum animus incipit aliquantulum immorari delectationi peccati. *Tertium* in partu peccati per plenum & perfectum conſenſum. *Quartum* in conſummatione peccati per opus externum. *Quintum* in generatione mortis ex eo ipſo peccato. Apoſtolus autem juxta hunc commentarium docet, peccatum tunc demùm generare mortem, poſtquam opere externo conſummatum fuerit; non quòd ſolus conſenſus mereri non poſſit mortem; ſed quia poſtquam quis ſemel in opus externum proruperit, facilè in conſuetudinem venit, quo fit ut tandem per illud ducatur ad mortem: quod non ita contingit ſi peccatum animo conceptum prematur, ne exeat in opus: ita *Eſtius*, quem conſule.

℣. 16. *Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi.*

q. d. Abſit à vobis error tam deteſtabilis ut tentationes peccatorum in Deum rejiciatis, cùm ille ſit author & fons omnis boni.

℣. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Apoſtolus hìc generaliter docet, Deum omnis boni, quodcumque in nobis eſt, authorem eſſe & datorem, ſive naturale ſit, ſive ſupernaturale; & ſive in habitu ſive in actu conſiſtat. *Deſcendens à Patre luminum* ſcilicet inſpirationum, revelationum, omniumque quibus hominum mentes illuminantur & diriguntur inter tenebras hujus vitæ. *Apud quem non eſt tranſmutatio* &c. Quibus docet non ita Deum eſſe *Patrem luminum* ſpiritualium, ſicut ſol luminis corporalis, qui loco mutatur & converſiones patitur, atque objectis corporibus varias umbras facit: ita *Eſtius.*

℣. 18. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.*

Id eſt, cùm non eſſemus, Deus ſponte ſuâ *nos genuit*, hoc eſt, creavit, homines fecit ratione præditos, ac ſuæ notitiæ capaces, idque *verbo veritatis*, hoc eſt, per verbum ſibi conſubſtantiale, quod eſt ipſa veritas: ùt *Joan.* 1. ℣. 3.; ita *Oecum.* & *Athan. orat.* 4. *contra Arian.* At verò *Beda*, cui ferè omnes conſentiunt, exponit hunc locum de beneficio regenerationis & juſtificationis noſtræ, quæ ſententia & magis Apoſtolica eſt & proditur ipſis verbis ſi conferantur cum aliis ſcripturæ locis: ùt 1. *Pet.* c. 1. ℣. 3. & 23., *Epheſ.* 5. ℣. 26., *Act.* 15. ℣. 9. & *Joan.* 15. ℣. 3. Ex quibus locis patet, *B. Jacobum* de ſpirituali generatione loqui de qua & *Paulus* 1. *Cor.* 4. dicens: *per Evangelium ego*

vos genui. Item patet de quo *Verbo* loquatur: non enim ſermo eſt de verbo increato ſed de verbo veritatis Evangelicæ, ùt *Rom.* 10. ℣. 8. & 1. *Pet.* 1. ℣. 25. Intelligitur autem hoc verbum fide ſuſceptum. Undè Scripturæ ſanctificationem noſtram nunc verbo, nunc Evangelio, nunc fidei adſcribentes idem ſignificant. Jam quod addit *voluntariè*, gratuitam declarat juſtificationem, q.d. Nullo noſtro merito provocatus, ſed omninò gratis atque ex mero beneplacito ſuæ voluntatis nos ſibi genuit ac filios ſuos fecit per fidem. Et hoc eſt beneplacitum quod *Paulus* modò propoſitum, modò conſilium divinæ voluntatis appellat, ùt *Epheſ.* 1. & *Rom.* 8. q.d. Genuit nos quia voluit, non quia nos digni eramus; & ùt *Beda* loquitur, nòn noſtris meritis, ſed ſuæ beneficio voluntatis, ùt *Pſal.* 17. ℣. 20. & *Oſee* 14. ℣. 5. Ex his perſpicuum eſt, *Jacobum* idem docere quod *Paulus ad Rom. & Gal.*, nos gratìs juſtificari per fidem. En, dicit *Eſtius*, quomodo ſibi conſonant in doctrina gratuitæ prædeſtinationis Apoſtolicæ tubæ. *Ut ſimus initium*, græcè, *ut eſſemus primitiæ quædam creaturarum ipſius*: oſtendit quid eximium nobis præſtet generatio Dei. Qui priorem partem de generatione quâ ſumus homines, intelligunt, ſenſum hunc faciunt: creavit nos ut eſſemus inter creaturas ejus viſibiles & corporeas præcipui, ac ceterarum Domini, ùt *Pſal.* 8. ℣. 8. At juxta veriorem intellectum qui eſt de generatione ſpirituali, ſenſus hujus partis eſt: Eâ generatione nobis hoc inſigne beneficium contulit, ut humani generis eſſemus primitiæ quædam, id eſt, præſtantiſſima & ſelecta portio, quæ Deo offeratur. Nota electos ita vocari primitias humani generis, ſicut electorum primitias Chriſtum dixit: 1. *Cor.* 15. Quod ampliſſimam

m declarat electorum dignitatem. Sunt referunt primitias ad Eccleſiæ primordia, t, ad eos qui primi ex Judaïca Gente crerunt in Chriſtum; ut dicantur fuiſſe velut itiæ totius Eccleſiæ decurrentis uſque ad n ſeculi, ùt *Thom.* Quæ ultima interpreminùs recta videtur; quia ſententia Apogeneralis eſt: ex *Eſtio.*

. 19. *Scitis fratres mei dilectiſſimi. autem omnis homo velox ad audien-: tardus autem ad loquendum, & lus ad iram.*

itis fratres, græcè, *Itaque fratres*, quòd s huic loco congruit: Apoſtolus enim hìc itum facit, & concludit prædicta. q. d. *ue fratres*; vel *ſcitis* & intelligitis verum quod dico; à Deo qui nos genuit verbo atis, omne bonum deſcendere. Ut igitur ratio hæc in nobis conſervetur, *ſit omomo*, ſive ſit incipiens ſive proficiens ſive ectus, *velox ad audiendum* verbum Dei, ſt, promptus & paratus: nam ſicut ex aufides, ita neceſsè eſt auditu foveri, nutriri, geri; ita *Thom.*; undè *Aug. ad Dulcitium*, Ego plùs amo diſcere quàm docere. Ut diſcamus, invitare nos debet ſuavitas veis: ut autem doceamus, cogere neceſſitas itatis. *Tardus autem ad loquendum*, intelde rebus ad doctrinam fidei morumve inentibus, *cap.* 3. ℣. 1. Nam tutius veritas tur quàm prædicatur, ait *Beda.* Cùm auditur, humilitas cuſtoditur: cùm auprædicatur, vix eſt ut non ſubrepat hojactantia, ait *Beda. Et Tardus ad iram*, ſt, *ad iram* per zelum debet homo eſſe us, id eſt, maturus & diſcretus, ut ſcidiſcretè faciat: *ad iram* verò per vitium

debet eſſe tardius, id eſt, nullo modo pronus, ait *Thom.* Quinimò illam omni modo vitare debemus. Putat *Eſtius* iram ultimo hoc ſenſu hìc ab Apoſtolo accipi propter rationem *in verſu ſeq.* ſubjunctam.

℣. 20. *Ira enim viri, juſtitiam Dei non operatur.*

Neque *enim Deus* ad exequendam ſuam *juſtitiam* ordinavit *iram* hominum volentium ſe vindicare; ſed judices ad eum finem inſtituit: ita *Cajetan.* Alii *juſtitiam Dei* intelligunt, quâ quis verè & coram Deo juſtus eſt, quæque Deum habet authorem: quâ ſignificatione paſſim accipitur *in Epiſt. ad Rom.* ùt *cap.* 1., 3. & 10.; ita ut ſenſus ſit: vir iratus præ cæco animi impetu multa committit juſtitiæ Chriſtianæ contraria: tantùm abeſt ut contentioſâ diſputatione veram, quam quærere videtur, aſſequatur juſtitiam. Hic ſenſus, ait *Eſtius*, textui conformior eſt & probabilitatem accipit ex *Eccleſ.* 1. ℣. 28., qui juxtà græcam lectionem eſt: *Non poterit iracundus vir juſtificari.*

℣. 21. *Propter quod abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.*

Propter quod, id eſt, ut dignè audire poſſitis; hìc enim docet, devotè & animo puro ſuſcipiendum eſſe verbum Dei, ideòque depoſitâ omni ſpurcitiâ, avaritiâ, malitiâ, *in manſuetudine* captivantes intellectum in obſequium Chriſti, *ſuſcipite*; Gloſſa habet cum magno honore, vel ſemoti à curis temporalibus *capite inſitum verbum.* Manſuetudinem Apoſtolus opponit iræ & contentioni: verbum autem intelligit *verbum* evangelii quod in cordibus

fidelium, ad quos ſcribebat, jam ſeminatum & *inſitum* erat Apoſtolorum prædicatione: ideò illos hortatur ad ejus audiendi & ſuſcipiendi aſſiduitatem, quò nimirùm firmâ radice hæreat, fructumque multiplicem referat, tamquam quod inciderit in terram bonam: juxtà parabolam *Matth.* 13. *Quod* verbum fide ſuſceptum *poteſt ſalvare animas veſtras*; ſi ſcilicet opera accedant fidei congruentia: ùt docet in ſequentibus: ita *Eſtius.*

℣. 22. *Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantùm: fallentes voſmetipſos.*

Monet non ſatis eſſe ſi quis auditor ſit verbi quantùmlibet velox & promptus ſit: niſi & factorem ſe exhibeat, id eſt, factis exequatur ea quæ verbum Evangelicum facienda docet, ùt *Rom.* 2. ℣. 13. Sicut autem *Paulus* illo loco præmunit lectorem adversùs malam intelligentiam doctrinæ quam erat traditurus de fide ſinè operibus juſtificante, ita *B. Jacobus* hìc & in ſequentibus pravum intellectum ejuſdem doctrinæ Paulinæ corrigit: undè ſubdit: *fallentes*, græcè, *paralogizantes voſmetipſos*, id eſt, captioſis quibuſdam ratiunculis ex ſcriptura vel aliundè petitis *voſmetipſos* illaqueantes atque *fallentes* ſophiſtarum more; ex *Eſtio.*

℣. 23. *Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo:*

Vultum nativitatis, Hebraiſmus eſt, pro vultu ſeu facie nativa: & adhibitâ ſimilitudine oſtendit quòd inutilem faciat operam qui tantùm ſtudet audire, & non facere.

℣. 24. *Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.*

Ut homo contemplans vultum ſuum in ſpeculo, ſi id incurioſè faciat, continuò, poſtquam diſceſſit, obliviſcitur qualem ſe viderit, ideòque nec curat abſtergere ſordes aut maculas abluere; ſic auditor verbi, ſi tantùm accedit ut audiat, videt quidem in Evangelii ſpeculo formam vultûs ſui interioris ab Evangelica doctrina diſcrepantem, videt ibi ſordes ac maculas ſuas, id eſt, peccata, ſed poſteà, tanquam ejus quod audivit oblitus non eſt ſolicitus, ut deformitatem ſui vultûs quem ei ſpeculum repræſentavit corrigat, ac vitæ ſuæ faciem ad illius ſpeculi pulchritudinem componat, undè fit ut inutile & ſinè fructu efficiatur ei verbum auditum: *Gaig. & Eſtius.*

℣. 25. *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviosſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.*

Si quis propiùs *in legem perfectam libertatis inſpexerit*; & quia inſpicere non ſufficit, ùt anteà dixit de eo qui vultum ſuum intuetur in ſpeculo & ſtatim abiit, addidit; *& permanſerit in ea*: ſunt qui putent ex græco legendum: *Et permanſerit ſic*: & explicant hoc modo: qui ut propiùs legem intueatur, ſeſe inclinavit, & ſic videndi ſtudio intentus in ea permanſit. *Non auditor obliviosſus factus* (ùt is qui in ſpeculo contemplatus abiit) *ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit*, id eſt, in obſervatione totius legis. *Beatum* dicit vel beatitudine patriæ cæleſtis quæ merces eſt bonorum operum, vel potiùs beatitudine viæ quæ conſiſtit in juſtitia & certa expectatione

felicitatis æternæ, quomodo *ſuprà* Beatum dixit qui ſuffert tentationem. Per *legem* verò *perfectam* ſeu perfectæ *libertatis*, ùt aliqui legunt, deſignat evangelicam: quæ perfecta eſt, quia perficit ac juſtificat & quia per eam liberati à Filio Dei verè liberi ſumus: ex *Gaig.* & *Eſtio.*

℣. 26. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, bujus vana eſt religio.*

Hìc ad complementum boni operis docet *linguam refrenare*, & declarat quid ſit *tardus ad loquendum. Si quis*, inquit, ſibi videtur *religioſus eſſe*, id eſt, verus Dei cultor & bonus Chriſtianus, *non refrenans linguam ſuam*, ſcilicet à loquacitate & maledictis, *ſeducit cor ſuum*, fallit ſeipſum; dum his vitiis involutus adhuc ſibi placeat quaſi ſit religioſus, *bujus vana eſt religio.* Quamvis enim profeſſione ac fortè reipſa Chriſtianus ſit, inutilis tamen redditur ille cultus, quem Deo exhibere videtur, eo quòd Deum infenſum ſibi reddit hujuſmodi vitiis: ex *Eſtio.*

℣. 27. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem, bæc eſt: viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab boc ſeculo.*

Gloſſa, *Religio munda* in cordis intentione, & *immaculata*, in operis executione: vel *munda* interiùs à ſeipſo: *immaculata* exteriùs ab aliis: vel *Religio munda* hæc eſſe dicitur; quia virtus religionis hos actus imperat. *Apud Deum & Patrem*, id eſt, apud Deum, qui idem eſt Pater noſter adoptione ſcilicet. Senſus eſt: Religio pura coram Deo vel quæ Deo-

exhibetur, hæc eſt: *viſitare pupillos*, & *viduas* &c.; hoc eſt, pecuniarum ac rerum neceſſariarum ſubminiſtratione eas adjuvare: ſic accipiendum, quod dicitur *Matth.* 25. ℣. 36. Ceterùm ex ſpecie genus intelligi vult Apoſt., id eſt, afflictorum cujuſcumque generis ſolatia & ſubſidia; præſertim corporalia. Dicit autem Religionem mundam hanc eſſe non quòd in his eſſentialiter conſiſtat, ſed quia per hæc potiſſimùm ſeſe prodit placita Deo religio. *Et immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo*, id eſt, à peccatis quibus ſolent homines *ſeculo* dediti inficere eos qui ſecum verſantur. Vult igitur Apoſtolus, quemcumque Chriſtianum, ut perfectus ſit, Deo debere religionem, proximo juſtitiam atque miſericordiam, & ſibi ipſi temperantiam: ita *Eſtius poſt Cajet.*

CAPUT II.

Damnatâ perſonarum acceptione, pauperes à Deo electos, legem ſervandam, & fidem abſque operibus mortuam eſſe oſtendit.

℣. 1. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ.*

DE *Perſonarum acceptione* quæ fiebat in conventibus ſacris Apoſtolum loqui, valdè probabile eſt ex *ſequentibus*. Et ſermo videtur dirigi ad presbyteros & diaconos, quorum erat in Eccleſiæ conventu ſingulis loca convenientia aſſignare: fortè etiam ad Epiſcopos, quorum eſt homines idoneos ad Eccleſiaſtica miniſteria promovere. Senſus eſt: *Nolite fidem* Chriſtianam *habere*, id eſt,

æ Chriſtianæ religionis ſunt, agere *in* ſeu *perſonarum acceptione*: ita *Eſtius*. Alii ex *ꝛeo* hunc dant ſenſum: *Nolite* exiſtimare profuturum *fidem* & fiduciam quam *ha-* in *Chriſtum Jeſum Dominum gloriæ*, lem accipitis perſonas: neque enim verè ditis in Chriſtum, quando, ſpretis pau- us & à conventu veſtro publico abjectis, es honoratis, illiſque aſſurgitis; ſic enim ditis, non omnem vos in Chriſtum fidu- collocare, qui aliquid à divitibus ſperatis. aiſmus, *Domini gloriæ*, pro glorioſi Do- , vel omnis gloriæ principis, ut 1. *Cor*. 2.

2. *Etenim ſi introierit in conventum um vir aureum annulum habens in candida, introierit autem & pau- in ſordido habitu*,

emplo rem illuſtrat: in quo non repre- it ornatum veſtitum ſi modò congruat næ; ſed tam divitis quàm pauperis ha- n deſcribit: tametſi in his ſæpè à diviti- peccetur. *Baron. in Annal. Tom*. 1. *ad ann*. ıtat hic *annulum* intelligi auream fibulam veſtis ſtringeretur: de qua *Exod*. 28. ℣. & in *Joſepho l*. 13. *ant. jud*. c. 8. Quo ıu cenſet deſignari virum quempiam re- . Sed hic commentarius *Eſtio* non pla- quia dictio græca *annulum* reſtringit ad , qui digito inſeritur; cujus geſtandi apud Romanos, ſub quorum imperio de- ıt ad quos ſcribit Apoſt., frequens fuit opulo: de qua re vide *Feu-ardentium* entem in hunc locum. Proindè, ait *Eſtius*, aliis pleriſque ſentimus hic deſcribi ho- m divitem, qui opibus & potentiâ fretus didè veſtitur. Conventum quidam acci- tam profanum quàm ſacrum; ſed malè;

conſtat enim vocabulum græcum paſſim in Scriptura ſumi pro cœtu ſacro; undè manifeſtum apparet, & hìc accipi pro conventu Eccleſiaſtico: ex *Eſtio.*

℣. 3. *Et intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclarâ, & dixeritis ei: Tu ſede hìc benè: pauperi autem dicatis: Tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum:*

Significat affectum hominum admirantium ſplendorem externum: quod enim admirantur & magnifaciunt, intentè aſpiciunt. *Tu ſede hìc benè*, græcè, *honeſtè*: quibus indicatur ſeſſio honorifica, ùt clarè patet ex antitheſi partis ſequentis. *Tu ſta illic*, *aut ſede ſub* &c.; pro quo verſio ſyriaca habet: *Ante ſcabellum pedum noſtrorum*, id eſt, loco inferiore: ex *Eſtio.*

℣. 4. *Nonne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum?*

Græcè: *Et non dijudicati eſtis in vobis metipſis.* Poteſt tamen etiam rectè activè verti, quod video multis placere, ait *Eſtius* & ſenſus eſt: nonne diſcrimen feciſtis apud vos inter divitem & pauperem, cùm in Chriſto Jeſu ſicut non eſt diſtinctio Judæi & Græci, ſervi & liberi, ita nec divitis & pauperis: Quòd ſi legas *dijudicati eſtis*, ſenſus erit. An non propria conſcientia voſipſos redarguit & convincit malè agere? Dicuntur *judices malarum cogitationum*; quia pravis affectibus impulſi perversè de aliis judicant quaſi videlicet melior & honore dignior quis ſit, quia ditior, aut potentior, aut genere clarior, aut ſanguine conjunctior; ita *Aug. Ep.* 29. *ad Hieron.* Ex his patet, non leve peccatum eſſe ſi in conſeſſibus eccleſiaſticis, ubi fidei noſtræ my-

tractantur, præ ceteris ſolo divitiarum
honorentur divites: maximè ſi id fiat
contemptu pauperum. Undè intelligitur,
gravius peccatum eſſe, ſi ſolo hoc titulo
acra miniſteria præ pauperibus divites
iantur: licèt hoc *Jacobus* non expreſſerit:
ſtio.

5. *Audite fratres mei dilectiſſimi,
te Deus elegit pauperes in hoc mun-
livites in fide, & hæredes regni, quod
omiſit Deus diligentibus ſe?*

tendit à perſona pauperis & divitis, quàm
ſit ille præ iſto contemnendus: nam *Deus*
& vocavit *pauperes* hujus ſeculi, ut
et eos fide ceteriſque donis ſpiritualibus
es. Non quòd divites prætermiſerit om-
; ſed quia à pauperibus exordium facere
it, ut divitum ſuperbiam retunderet, &
vangelii fructum, non humanæ potentiæ
idiis, ſed virtuti gratiæ ipſius ſciremus
ribendum, ùt 1. *Cor.* 1. ℣. 26. & *ſeqq.* Non
credentibus in ſe, ſed *diligentibus ſe*,
uis ex fide otioſa & dilectionis vacua
um ſibi polliceretur, ùt notat *Eſtius.*

6. *Vos autem exhonoraſtis paupe-
. Nonne divites per potentiam op-
nunt vos, & ipſi trahunt vos ad ju-
a?*

xhonoraſtis, id eſt, contemptui habuiſtis;
le, quod minimè oportuit: ita ut videatur
bus ſic argumentari. Non ſunt contem-
li quos Deus elegit ad regni ſui conſor-
: atqui pauperes hâc electione dignatus
Deus; non ſunt igitur illi vobis contem-
li. Alterum argumentum deſumit à divi-
erſona; quo oſtendit quàm ſint divites

honore indigni, utpotè qui tyrannidem exercent in fratres, & eos opprimunt titulo debiti alicujus *trahentes ad judicia* ſeu tribunalia, non quæcumque ſed judicium infidelium; qua de re *Paulus* etiam graviter increpat Corinthios 1. *Epiſt.* 6.; ita *Gaign.* & *Eſtius.*

℣. 7. *Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos?*

Nonne blaſphemant, id eſt, blaſphemari faciunt malis & improbis ſuis moribus, & eo maximè quòd fratres ſuos pauperes nullâ miſericordiâ moti ad tribunalia traherent: quæ res, quia apud judices infideles agebatur, non parùm deformabat nomen Chriſtianum, ùt *Rom.* 2. ℣. 23. & 24., & *Ezech.* 36. ℣. 20. Ex quo loco aperitur intellectus horum verborum: *Bonum nomen quod invocatum eſt ſuper vos*; id eſt, nomen Domini Dei, quo vos appellamini populus Dei, vel nomen Chriſti à quo vocamini Chriſtiani. Nam hebræâ phraſi nomen alicujus ſuper aliquem invocari eſt hunc ab illius nomine nuncupari; præſertim ſi honoris agnominatio eſt: ùt *Jerem.* c. 14. ℣. 9. & c. 15. ℣. 16., *Iſaiæ* 4. ℣. 1., *Eccleſ.* 36. ℣. 14., 3. *Reg.* 8. ℣. 43., & *Gen.* 48. ℣. 16. *Blaſphemant* bonum nomen illud odioſum reddendo, ſeu faciendo ut malè audiat; quomodo etiam accipitur 2. *Pet.* 2. ℣. 2. Argumentum autem tale eſt: divites Dei nomen exhonorant, igitur indigni ſunt qui à nobis honorentur: ex *Eſtio.*

℣. 8. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundùm ſcripturas: diliges proximum tuum ſicut teipſum: benè facitis:*

Docet non omninò ſe damnare ſi quis divitem præ paupere honoret; poſſe enim id fieri ſalvâ lege charitatis, ſi nimirùm id faciat quis honeſti officii causâ; eò quòd pertinere

videatur ad bonum commune : non autem præciſè, quoniam hic dives ſit, ille pauper. *Regalem legem* vocat, vel quòd ſuos obſervatores ſpiritualiter reges faciat, id eſt, Dei filios : vel quòd lex ipſa ſit via regia, id eſt, plana & æquabilis, & quæ rectà ducat ad regnum cœlorum: vel quia lex eſt charitatis, quæ virtutum omnium regina eſt : vel quia à Deo profecta qui eſt rex regum : vel quia charitatis præceptum ſummum ac præcipuum in lege eſt, ad quod cetera ſint referenda, *Matth.* 22. ℣. 40. & *Rom.* 13. ℣. 10. Vel deniquè quia reges, principes, magiſtratus honorari præcipiat, ut ſit ſenſus ; ſi divites honoratis tanquàm in magiſtratu conſtitutos quos Deus & principes ſuis legibus honorari præcipiunt ; *bene facitis*, ita *Cajet.* Potior videtur hic ſenſus : ſi tamen in eo quòd divites honoratis, legem ſervatis regiam, id eſt, mandatum illud magnum quod tradit Scriptura *Levit.* 19. *Dilige proximum tuum ſicut teipſum : bene facitis*. nec ad vos pertinet ſuperior reprehenſio : vel ſi tamen honorando divites non peccatis in legem regiam, quæ præcipit diligendos proximos ut noſipſos. Dum ait, *legem perficitis*, refellit ſectarios dicentes, legem à nobis impleri non poſſe, ex *Eſtio.* A

℣. 9. *Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quaſi tranſgreſſores :*

Sed ſi, inquit, divites honorando *perſonas* reſpicitis, *peccatum* committitis in legem ; lege vos redarguente velut *tranſgreſſores*. *Legem* intelligit, *Non accipies perſonam. Deut.* 1. & 16. ; ut quidam volunt. Rectiùs tamen refertur ad *Legem* charitatis modò dictam, in qua etiam hoc præceptum de non accipiendis perſonis continetur. *Tranſgreſſores* autem dicit non

hujus aut illius præcepti, ſed abſolutè; id eſt, tranſgreſſores legis: ùt patebit ex ſequentibus: ita *Eſtius.*

℣. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.*

Quicumque autem, græcè & ſyriacè, *quicumque enim:* nam adducitur hæc ſententia in probationem hujus, *quaſi tranſgreſſores*, ſcilicet legis. q. d. Ne miremini, me eos qui perſonas accipiunt, ſimpliciter vocare tranſgreſſores: *Quicumque enim totam legem*, id eſt, omnia præcepta legis *ſervaverit*, uno excepto, *factus eſt omnium reus.* Hæc enim pars, *offendat autem in uno*, exceptionem facit ab illa, *totam legem.* Hoc loco abuſi ſunt Stoici docentes, omnia peccata eſſe æqualia & pari ſupplicio punienda: & Calvinus ejuſque ſequaces docentes, peccata omnia de ſe eſſe mortalia & fieri tantùm venialia, quia à Deo non imputantur. Contra hos ultimos obſervandum eſt, *B. Jacobum* non intelligere *offenſionem* quamcumque etiam levem quam venialem vocamus; de qua agit *cap. ſeq.* ℣. 2., nam quomodo verum eſt eum qui totam legem obſervat, ſi in verbo otioſo offendat, *omnium rerum* fieri? Sed intelligit gravem ſeu mortaliter malam, ùt patet ex ℣. 11.; ubi ponit exemplum in gravi offenſione: quemadmodùm & *ſuprà* notatum eſt, eam perſonarum acceptionem, quam hìc inſectatur Apoſt., in magnis peccatis numerandam eſſe. Stoici verò ſe fundant in his verbis, *omnium reus*; quorum non una eſt Catholicorum interpretatio. *Liranus omnium reum* intelligit, quantùm ad pœnam damni, quam omnibus damnatis putat æqualem futuram. *Beda* explicat, eum qui *offendit in*

uno ſcilicet charitatis præcepto, quæ eſt plenitudo legis, *omnium reum* fieri; quia contra charitatem facit, ex qua tota lex pendet & prophetæ, & in quam omnia tamquam in caput & ſummam rediguntur. *Eſtius* præfert commentarium *Pauli Burgenſis*, qui dicit Pharisæorum doctrinam fuiſſe, hominem reputari juſtum apud Deum, ſi majorem partem legis ſervet etiamſi in paucioribus tranſgreſſor ſit legis. Quem errorem hic Apoſtolum perſtringere, cenſet dictus author. Obſervandum tamen eſt, dictionem *omnium* non poſſe ſumi distributivè, ſed collectivè: ut ſenſus ſit: Qui ceteris omnibus ſervatis unum præceptum tranſgreditur, reus eſt totius legis non ſervatæ & obnoxius eſt pœnæ, quæ tranſgreſſoribus legis conſtituta eſt, id eſt, maledictioni æternæ; quia legis univerſalitatem, quam implere oportebat non implevit: ita ut *B. Jacobus* idem ferè velit, quod poſt Moyſem *Deut.* 27. *Paulus* dicit ad *Gal.* 3. ℣. 10.; ita *Eſtius*.

℣. 11. *Qui enim dixit, Non mæchaberis, dixit &, non occides. Quòd ſi non mæchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.*

Probat & declarat ſententiam præcedentem. Ejuſdem, inquit, legiſlatoris, atque ejuſdem legis hæc ſunt præcepta: quodcumque ergo legis præceptum ſolveris, & in Deum peccas & in legem, & per hoc conſtitueris divinæ legis tranſgreſſor. *Quòd ſi non mæchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Inferendum relinquit & proindè *omnium reus*: juxtà ſenſum ſuperiùs expoſitum. Nec ideò tamen eadem aut æqualis ſignificatur omnium tranſgreſſorum maledictio: ſed eadem tantùm ſecundùm genus maledictionis: nam in ſpe-

ciali pœnæ erant diverſæ pro diverſitate tranſgreſſionum, quod ſatis deſtruit dogma Stoïcorum & Hæreticorum tollentium diſcrimen peccatorum mortalium & venialium; ex *Eſtio.*

℣. 12. *Sic loquimini, & ſic facite ſicut per legem libertatis incipientes judicari.*

Doctrinam de perſonarum acceptione concludit generali admonitione: quâ ſimul viam aperit doctrinæ ſequenti de fide & operibus. Senſus eſt. Tales vos deinceps gerite verbo & facto, *tanquam* à Deo *judicandi* ſecundùm *legem* ipſius quâ præcipit, ut proximos ſicut noſipſos diligamus: ſic fiet ut neque pauperes fratres noſtros verbo aut facto contemnamus, neque honoremus divites cum injuria pauperum. Rurſum ſi cogitamus, nos ſecundùm eam legem judicandos, non erit fides noſtra otioſa & operum miſericordiæ vacua, nec dicta noſtra erunt à factis diſſona; cui ſenſui optimè convenit ſequens probatio: ex *Eſtio.*

℣. 13. *Judicium enim ſinè miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia judicium.*

Nam, inquit, ille qui non præſtiterit proximis ſuis miſericordiam, ac multò magis qui fecerit injuriam, experietur in judicio ſuo Deum juſtum ac ſeverum, ùt *Matth.* 25. ℣. 34. & 35. Hinc apparet *judicium* hoc loco non ſignificare damnationem, ſicut alibi, & ùt nonnulli volunt; tamquam duplex futura ſit damnatio, altera ſinè & altera cum miſericordia. Sed judicium hìc eſſe vocabulum commune ſeu genericum; quod, ſi eſt ſinè miſericordia, eſt damnationis; ſi verò cum miſericordia, ſalvationis eſt: de quo jam ſequitur. *Super-*

nt autem miſericordia judicium, id eſt, icordia autem exaltat ſe ſuper judicium: bifariàm exponitur. Uno modo de miſe- lia Dei judicis; ut ſenſus ſit: in judicio niſericordiam ejus prævalituram juſtitiæ; intellige de electis juxtà *Pſal.* 142. ℣. 2. *il.* 129. ℣. 3. Altero modo de miſericordia nis judicandi; ut hic ſit ſenſus. Miſeri- a quam quis fecerit erga proximos, op- : ſe juſto Dei judicio, & adversùs illud ammodò gloriabitur, quia gratiam veluti quebit quâ is ſeveritatem judicii evadat. : ſenſum, ait *Eſtius*, arbitror magis ger- ım : & huc pertinent hæ ſcripturæ; *b.* 5. ℣. 7., *Luc.* 6. ℣. 37., *Eccl.* 16. ℣. 15., *atth.* 25. ℣. 34. & 35.

14. *Quid proderit fratres mei, ſi quis dicat ſe habere, opera autem habeat? Numquid poterit fides ſal- eum?*

icet fidem ſinè operibus miſericordiæ ni- rodeſſe : ex quo colligitur non ſemper ı cum operibus eſſe conjunctam, ſicque idem formatam & informem, quod Hæ- . negant, Lutherus imprimìs, qui hanc olam non eſſe canonicam, aliquando cen- ed ſtolidè. Alia inſuper ſunt loca ſcrip- dogma hoc clarè probantia, ùt *Joan.* 12. ı. & 43., 1. *Cor.* 13. ℣. 2. Hinc *Paulus* ı ad *Gal.* 5. eam fidem commendat quæ haritate operatur. Id verò inde etiam li- , quia dicit ex operibus fidem conſum- , id eſt, perfici ac formari. Igitur ſine ope- ; exiſtit fides, ſed imperfecta & informis, ad ſalutem quid proderit? ita *Eſtius*.

℣. 15. *Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano,*

℣. 16. *Dicat autem aliquis ex vobis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?*

Quemadmodùm nudum illud verbum quod dicis fratri, *ito in pace, ſaturare*, niſi paſtum reipsâ illi præbeas, nihil illum juverit; ita nihil te juvat fides congruis deſtituta operibus; ſic *Gaig.*

℣. 17. *Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.*

Fides quidem eſt, ſed habenti non prodeſt, utpotè *mortua.* Non ergò fidem abſque operibus mortuam vocat, tamquam reverà fides non ſit; ſed quia vitâ caret charitatis ac bonorum operum, ſinè quibus ad ſalutem non prodeſt. Aliàs fides ſinè operibus verè fides eſt, ſicut corpus ſinè vita verè eſt corpus.

℣. 18. *Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſinè operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.*

Senſus eſt, meritò dicat bonus Chriſtianus ei qui fidem ſibi arrogat ſinè operibus, *Tu fidem habes*, non nego: *at ego opera habeo*, q. d. Tu qui opera non habes, fidem oſtendere non potes: ego quam habeo ex meis operibus oſtendere poſſum; ut ſit ſenſus; Tu qui negligis rectè operari, falsò te fidem habere jactas: quòd ſi ita eſt, *oſtende mihi fidem tuam ex operibus, & ego ex operibus fidem meam oſtendam*, ita *Gaig.* Verùm hæc interpretatio horum verborum, *Oſtende mihi &c. Eſtio* non probatur, & ideò hunc ſenſum ſuggerit:

tolo introductus dicit : *Oſtende* &c. Dices
pacto ex operibus oſtendatur fides ; cùm
ı infideles multa faciant opera verè vel
ecie bona ? ℟. *Jacobum* hìc tantùm com-
e duos fidem Chriſtianam profitentes
um alter opera habeat fidei conſentanea,
non : ac docere primum fidem ſuam
dere per opera, quod non poteſt qui ope-
on habet. Quamvis igitur infideles ali-
do opera habere videantur, non tamen
is fidem, quam non profitentur, oſtende-
olunt nec poſſunt. Magna etiam diffe-
a eſt inter opera bona fidelium & infi-
m vel ex ſola intentione quâ fiunt,
ordinariè ſatìs innoteſcit. Quæ differentia
eſt, ut meritò etiam *Sanctitas* per ex-
opera ſe prodens cenſeatur inter notas
eſiæ : ex *Eſtio*.

. 19. *Tu credis quoniam unus eſt*
s : Benè facis : & dæmones credunt,
ntremiſcunt.

lhuc verba ſunt ejus qui opera habet ad
qui non habet. *Tu credis* Deum unum eſſe
plures. Hunc articulum adfert pro exem-

eſt idem, quòd *profiteri fidem:* non enim benè facit, ſed malè & fallaciter, qui profitetur ore quod corde reſpuit. *Et Dæmones credunt*, ſcilicet Deum eſſe & ceteros articulos ùt Jeſum eſſe Chriſtum & Dei filium & tam hominum quàm Angelorum judicem venturum. Hæc enim eos credere patet ex Scripturis: ùt *Matth.* 8. ℣. 29. & 31., *Marc.* 5. ℣. 7. & *ſeqq.*, *Luc.* 4. ℣. 34., *Act.* c. 16. ℣. 17. & c. 19. ℣. 15. & *Philip.* 2. ℣. 10. & 11. Credunt non fide divinitùs infuſâ, ſed ſubtilitate naturæ; & non voluntariè ſed coactè. Convincuntur enim rerum experientiâ & veris miraculis quæ optimè à falſis diſcernunt. Non tamen hi benè faciunt, quia & inviti faciunt, & voluntatem ſemper in malum intentam habent. Multum igitur diſcriminis eſt inter hominum fidem informem & dæmonum fidem: conſiſtit tamen comparatio in eo quòd ſicut dæmonibus nihil prodeſt notitia illa quia non adeſt bona voluntas: ita Chriſtiano quamdiu non ſtudet bonis operibus, fides ad ſalutem prodeſſe non poteſt. *Contremiſcunt* autem metaphoricè ùt Angeli boni tremere dicuntur; ſed diverſo ſenſu: Hi ſcilicet timore reverentiali ex conſideratione majeſtatis quam amant; illi verò ex vero & vehementi timore quo refugiunt, quem certiſſimum ac ſeveriſſimum judicem exſpectant: ita *Eſtius.*

℣. 20. *Vis autem ſcire ô homo inanis, quoniam fides ſinè operibus mortua eſt?*

Hìc Apoſtolus ex ſua perſona loquitur exemplis inſtitutum probaturus: & *fidem ſinè operibus mortuam* vocat, non quòd reverà fides non ſit, ſed quòd otioſa ſit, hoc eſt, quòd actione & motu & vitâ careat. *Inanem* vocat bonis operibus vacuum, ùt 2. *Pet.* 1. ℣. 8. ex *Gaig.* & *Eſtio.*

℣. 21. *Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?*

Eundem *Abraham*, tam *Paulus Rom.* 4., quàm hìc *Jacobus* ad exemplum ſermonis de fide aſſumit: ille quidem ut oſtendat fidem operibus eminentiorem eſſe: hic verò rurſum opera eſſe fide præſtantiora per eundem Abraham; ùt notat *O cum.* Negat *Paulus* juſtificari quemquam poſſe ex operibus legis, id eſt, ex iis operibus quæ fidem mediatoris antecedunt & ex ſola legis cognitione proficiſcuntur: *Jacobus* verò de operibus agit fidem conſequentibus & ex fide pullulantibus atque à fide directis, ſinè quibus utique ſterilis & inutilis eſt fides. Ex hujuſmodi igitur operibus homo juſtificatur, tum quia per ea, tamquam per actualem juſtitiam, eſt & declaratur verè juſtus, eoque nomine Deo gratus; tum quia per ea neceſſe eſt juſtitiam conſervari: deniquè quia per ea opera augetur & perficitur juſtitia. Hanc *B. Jacobi* cum *S. Paulo* conciliationem multis locis tradit *S. Aug. ùt lib. de fide & oper. c.* 14., *De Præd. Sanct. c.* 7., *Præf. in Pſal.* 31., & *Quæſt.* 76. *inter* 83. Ex *Eſtio:* qui docet ideò ab Apoſtolo hìc allegatum exemplum Abrahæ, ut probaret non ſolùm ita declaratam fuiſſe Abrahæ, quæ ex operibus eſſet, juſtitiam, ut ſinè illis juſtus non eſſet, ſed etiam ut illis aucta & perfecta fuerit ejus juſtitia: ùt patet ℣. 22.

℣. 22. *Vides quoniam fides coöperabatur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt?*

Colligit Abrahæ fidem operoſam fuiſſe non otioſam, nec mortuam: ex eo namque quòd filium ſuum obtulit ſuper altare.

(ùt *Heb.* 11.) patet fidem ejus progerminaſſe bona opera atque iiſdem bonis operibus fuiſſe coöperatam, dirigendo videlicet intentionem operantis, ut eſſent Deo accepta. Quod ait, *coöperabatur*, innuit individuam ſocietatem inter fidem & opera, ſic ut opera, fidem & totam hominis juſtitiam *conſumment*, id eſt, augeant & perficiant hominemque Deo gratiorem reddant: ex *Eſtio*.

℣. 23. *Et ſuppleta eſt Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.*

Suppleta, græcè, *impleta eſt*, *dicens*: *Credidit Abraham*; hoc eſt, ſenſus ſcripturæ dicentis Abrahæ fidem imputatam eſſe ad juſtitiam impletus eſt: quando ad fidem ipſius acceſſerunt opera, ùt filii oblatio, ita *Gaig.* Sed difficultas eſt quomodo tunc fuerit impleta? Cùm jam *Gen.* 15. de eo dicatur, *Credidit Abraham Deo* &c. ℟. Certum eſt, Abrahæ, antequam filium offerre paratus fuit, fidem jam ad juſtitiam fuiſſe imputatam, id eſt, tamquam inſigne opus juſtitiæ Deo placitum ac probatum fuiſſe: ſed impleta dicitur ſcriptura quando filium *fide* obtulit, quia tunc declaratum eſt, ad juſtitiam hominis requiri non ſolùm opus fidei, quâ Deo creditur, verùm etiam opera aliarum virtutum; ùt obedientiæ, religionis, fortitudinis, &c. ex fide tamen profecta: ita *Eſtius*.

℣. 24. *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum?*

Concludit ab exemplo Abrahæ, non ſolâ fide juſtificari hominem; ſed etiam opera ad juſtitiam hominis eſſe neceſſaria.

:nt, emitteret, non ſinè vitæ ſuæ diſcriùt *Joſ.* 2. & 6. q. d. Et ſi non poteſtis ſequi ıam, ſequamini meretricem. Ex his appait *Eſtius*, Apoſtolum ad ſecundam juſtinem potiùs quàm ad primam reſpicere, in hoc exemplo : tametſi nec prima con- ſinè operibus quorum à fide initium eſt.

26. *Sicut enim corpus ſinè ſpiritu uum eſt, ita & fides ſinè operibus ıa eſt.*

t corpus mortuum verè & propriè cort; ita fides mortua verè & propriè fi- :: & quemadmodùm idem numero cort nunc vivens, nunc mortuum : ſic eaumero fides eſt nunc animata charitate, ſinè ea mortua ; ex *Hier.* & *Eſtio.*

CAPUT III.

ıæ commoda & incommoda aperit.

1. *Nolite plures magiſtri fieri franei, ſcientes quoniam majus judi-*

Act. 15., & 1. *Tim.* 1. *Quidam aberrantes converſi ſunt ad vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Ambitionem igitur inanis tituli & doctrinarum varietatem inhibet, ut *Matth.* 23. ℣. 8. & 10., & *Rom.* 2. ℣. 19. & *ſeq.* Alioqui ſeſe *Paulus* doctorem Gentium jure appellat. Hunc locum ſic intellexit *S. Aug. in Prol. ſuarum retract.*; Nolite diverſa docere, neque ſitis opinionum ac ſectarum authores, ſuos quiſque poſt ſe diſcipulos trahentes. Cui Beda aſſentitur & ſacere putant quod *Matth.* 23. ℣. 10. dicitur. Alii verò ſic exponunt : Ne per ambitionem creſcat in vobis numerus Magiſtrorum. Quod vitium apud Judæos frequens videtur tum ex *Matth.* 23. ℣. 8. & *Rom.* 2. ℣. 19. Qui ſenſus *Eſtio* ſimplicior apparet. *Scientes quoniam majus judicium ſumitis*, id eſt, majorem damnationem accipietis. Quibus verbis Apoſtolus deterret ne Magiſtri munus affectent: ex *Eſtio.*

℣. 2. *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir. Poteſt etiam fræno circumducere totum corpus.*

In multis ſcilicet minoribus peccatis *offendimus omnes* per ignorantiam, imprudentiam &c. Quo *Jacobus* inſinuare videtur, quòd ſi *omnes in multis offendimus*, multò magìs qui docendi munus gerunt, quia verbo & exemplo lucere aliis debent, & quia eſt admodùm difficile non labi *in verbo*. *Si quis* linguam ſuam ab omni malo aut otioſo verbo continet, indubiè *perfectus eſt, & totum etiam corpus fræno circumducere poteſt*, id eſt, inſtar periti ſeſſoris carnem ſuam domare ne pro more ferocientis equi quò lubet feratur, ſed per rectum iter

ıcobus enim non dicit *in omnibus* ſed
'tis.

}. *Si autem equis fræna in ora*
nus ad conſentiendum nobis, & om-
·pus illorum circumſerimus.
bus comparationibus confirmat domi-
linguæ ſuper reliquum corpus, ideò
m habendam curam linguæ moderandæ
ımus ut totum corpus actionum noſtra-
:nè ſe habeat. Prima eſt à fræno quo re-
' equi; & ſenſus eſt: *Si equis fræna in*
ttimus ut nobis illi pareant, utque obe-
s illos nobis ac morigeros reddamus, &
:orpus illorum circumſerimus, id eſt,
ɔitrio agimus: quantò magis efficiendum
ɔobis ipſis fræna continentiæ in os mit-
? Ita *Beda.* Vel ſenſus eſt: *ſi autem in*
uorum fræna mittimus, omne illorum
circumſerimus: ita qui linguæ fræna
it; quoquò vult eam agit, nec ſinit præ-
a ferri; ſic *Gaig.*

}. *Ecce & naves, cùm magnæ ſint,*
ventis validis minentur circum-

℣. 5. *Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam ſilvam incendit!*

Magna exaltat, græcè, *magna gloriatur*, ſive jactat; alii legunt *exultat:* ut ſenſus ſit: linguam etſi puſillum in corpore membrum, *magna* tamen loqui, multùmque præſumere. Verùm hic ſenſus ait *Eſtius*; parùm reſpondet ſuperioribus ſimilitudinibus; quibus Apoſtolus oſtendit linguæ poteſtatem in reliquas actiones, quæ non oſtenditur ex jactantia ſed ex eo quòd magna efficiat, ut verbo græco videatur abuſus pro eo quòd eſt, *magnâ vi pollere*. Sic ſentit *Oecum.* ita Apoſtolum exponens: Etſi lingua puſillum ſit membrum, magna tamen operatur, bona videlicet & mala. *Ecce quantus* &c. Alia ſimilitudo eſt; ſicut parva ſcintilla niſi cautè ſervetur magnum excitat incendium, ita lingua, etſi exigua niſi benè coerceatur, magnam operum materiam perire facit.

℣. 6. *Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata à gehenna.*

Lingua ignis eſt juxtà comparationem jam dictam: dicitur etiam *ignis* propter ſui mobilitatem ſive velocitatem, vel propter ardorem loquendi & alios inflammandi. Dicitur *univerſitas*, græcè, *mundus iniquitatis*, quia ornatam reddit iniquitatem, ex *Gaig.*; vel rectiùs ex *Eſtio*, quia univerſas iniquitates in ſe continet & parit ſeu cauſat: ad quod explicandum ſubjungit: *Lingua conſtituitur* &c., id eſt, ſic lingua, quæ conſtituta eſt inter alia mem-

bra, atque eorum penè minimum eſt,
cuſtodita totum undequaque vitiis infi-
c maculat hominem. *Et inflammat totam*
itatis, id eſt, inceſſabilem vitæ curſum,
à die nativitatis uſque ad mortem, velut
er currente rotâ, inceſſanter agimur, ait
& *Gaig*. Vel intelligit *generationem*, q. d.
mmat curſum ſeculi, ſeu mundum iniqui-
: ſed quoniam in Scriptura *generatio* in-
im ſignificat ea quæ homines facere ſo-
ùt negotia, actiones &c. ùt *Luc.* 16. ℣. 8.,
is eſſe poſſet: *inflammat* totum veluti or-
totumque circulum atque curſum actio-
noſtrarum. Qui ſenſus primo, quem dat
, affinis eſt. *Inflammata à gehenna*, id eſt,
ggeſtione diaboli qui *gehenna* dicitur, vel
gehenna ſedes eſt Satanæ, vel quòd pœ-
gehennalem ſemper circumferat, ſive ſit
re, ſive ſub terra; quem ſenſum pluribus
octè explicat *Beda*: ex *Eſtio*.

. 7. *Omnis enim natura beſtiarum*,
volucrum, *& ſerpentium*, *& cetero-*
domantur, *& domita ſunt à natura*
ana:

eterior eſt lingua perverſa omni aliâ re,
beſtias ferocitate, *volucres* levitate, *ſerpen-*
irulentiâ præcellit, quòd omnia hæc tru-
ntâ hominum induſtriâ *domantur*; ſola lin-
domari nequit. Fortè legendum *cetorum*,
d cetus bellua ſit marinarum ferociſſima:
ue, inquit, cùm ferociſſima quæque cœlo,
â ac mari domentur animalia, ſubdit.

. 8. *Linguam autem nullus hominum*
are poteſt: *inquietum malum*, *ple-*
veneno mortifero.

ugustinus l. de nat. & grat. c. 15. ſic intel-

ligit, *linguam ſuam nullus hominum* per ſe ſuiſque viribus *domare* poteſt, ſed Deus id poteſt, qui per gratiam ſuam homini præſtat ut faciat. Alii idipſum accipiunt abſolutè, neminem poſſe ſuam ipſius linguam domare, id eſt, ita refrænare, ut non aliquando prorumpat in verbum otioſum. At probabilius eſt Apoſtolum hic non agere de propria lingua, ſed de aliena, ut ſenſus ſit: cùm poſſint homines omne genus animalium domare, neminem tamen eſſe qui frænum alienæ linguæ poſſit injicere prohibendo eam à detractionibus, contumeliis, mendaciis, fraudulentiis, murmurationibus; &c. Eſt enim ſermo de lingua mala, quæ non ſolùm indomabilis eſt, ſed etiam inevitabilem & inſanabilem plagam infert, ùt *Eccl.* 28. ℣. 14. & *ſeqq.*, & *Pſal.* 119. ℣. 2. & *ſeqq. Inquietum malum*, quod conjungi poteſt cum præcedentibus; Nemo poteſt linguam domare, utpote malum inquietum & indomitum. Poteſt etiam ſeorſim accipi, ſicut & membrum ſequens; *plena veneno mortifero*, id eſt, parata ad noxas lethales aliis inferendas, & more veneni ſerpit de uno in alium mortem ferens loquenti, audienti & ei de quo loquitur, ait *Gloſ.* & *Thom.*; ex *Eſtio.*

℣. 9. *In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.*

In ipſa, id eſt, in eadem lingua vel per eamdem linguam duas contrarias actiones facimus inter quas nulla eſt conſenſio. Et his verbis taxatur inſignis hominum hypocriſis; cùm eandem linguam vertunt in Dei laudem & proximorum execrationem: ſimulque innuitur, laudes Dei, profectas à lingua in proximum maledica, Deo placere non poſſe: juxta

Pſal. 49. ℣. 16. 19. & 20., & *Eccleſ.* 15. ℣. 9.
rationem indicat Apoſtolus dicens : *qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.* Nam ſi laudandus eſt Deus in omnibus operibus ſuis, juxtà *Pſal.* 145. ℣. 1. & *Dan.* 3. ℣. 24. & *ſeqq.* & ℣. 51. & *ſeqq.*, maximè in eo opere laudandus eſt in quo ejus imago relucet, id eſt, in homine ; ex *Eſtio.*

℣. 10. *Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.*

Hæc, inquam, quæ proximè dixi de uſu linguæ ad contraria : ex *Eſtio.*

℣. 11. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?*

Oſtendit exemplis quàm ſit abſurdum ex eodem ore procedere pugnantia, ex *Gloſ.*

℣. 12. *Nunquid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam.*

En alia duo exempla, quibus docet nos imitatione naturæ in loquendo ſimplicitatem amare debere. Græci legunt ; *ſic nullus fons ſalſam & dulcem facere aquam.* Quæ ſi vera eſt lectio, dicendum erit, id quod proceſſit nempè *numquid fons* &c., hìc jam concludendo repeti : verùm lectio vulgatæ præferenda videtur : tum quòd conſtanter habeatur in Latinis Codicibus, & affinis ſit Syriacæ verſioni quæ ſic legit : *Si nec aquæ ſalſæ poſſunt effici dulces* : ex *Eſtio.*

℣. 13. *Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.*

Egit Apoſt. initio hujus capitis adverſus am-

bitioſos doctores, ad quos nunc redit informans magiſtrum, quibus moribus eſſe debeat, ſi benè & cum fructu velit fungi ſuo munere; nec enim ſatìs eſt ſapientiâ & ſcientiâ inſtructum eſſe, niſi & ſermonem utriuſque habeat per *bona opera*, per quæ ea potiſſimùm ſignificat quæ ſunt beneficentiæ ergà proximos. Priùs diſcat benè operari quàm alios inſtruere, ait *Gloſſa*.

℣. 14. *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſùs veritatem.*

Quia *zelus*, id eſt, æmulatio ex ſe indifferens eſt ad bona & mala, addidit *amarum*, cùm videlicet animus invidiâ velut felle tinctus amareſcit adversùs proximum. *Contentio* eſt verborum pugna ſtudio vincendi ſuſcepta, ſed hìc videtur ſumi pro ipſo vincendi ſtudio, quod in animo latet: ſenſus eſt, quòd ſi in animo geritis invidiam & contentiones alius adversùs alium, *nolite* vos dicere ſapientes, id enim eſſet *gloriari & mentiri adversùs veritatem*: ex *Eſtio*.

℣. 15. *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens: ſed terrena, animalis, diabolica.*

Probat ſapientiam, quam venditabant improbi magiſtri, non eſſe veram ſed falſam; quia non eſt *deſurſum deſcendens*, id eſt, à Deo profecta. *Sed terrena* quia ſervit avaritiæ, quæ circa res terrenas verſatur; *animalis* quia ſervit voluptatibus carnis; *& diabolica*, quia ſervit ambitioni & ſuperbiæ, quod propriè diabolicum eſt vitium: itaque & hìc tripartita diviſio eſt, ùt 1. *Joan.* 2. ℣. 16.; ex *Eſtio*, qui

notat, ſcripturam ſolerē animam à ſpiritu diſtinguere; ut animæ tribuantur quæ ſenſitivæ ſunt partis, ſpiritui verò quæ ſpectant ad partem intellectivam. Undè *animales* dicuntur qui carnis ac ſenſuum voluptates ſequuntur: ùt 1. *Cor.* 2. ℣. 14. Deindè Apoſtolus non negat malos habere poſſe à Deo datam ſapientiam & ſcientiam abſtractivè conſideratam: quam certè in malis agnoſcit *Paulus* 1. *Cor.* 13., imò & *Jacobus cap.ſeq.*℣. 17. Sed ſapientiam ùt in malis eſt & vitiis ſervit, id eſt, concretivè conſideratam, ſapientiam eſſe ac deſursùm deſcendere negat: ita *Eſtius*.

℣. 16. Ubi enim zelus & contentio: ibi inconſtantia, & omne opus pravum.

Rationem dat quare ſapientiam malorum magiſtrorum dixerit terrenam, animalem &c. *Ubi enim eſt zelus*, id eſt, indignatio animi; *& contentio*, id eſt, diſſenſio in verbis: *ibi inconſtantia*, id eſt, inſtabilitas in bono. Vel *ubi eſt zelus*, id eſt, invidia, *& contentio* in verbis: *ibi* eſt *inconſtantia*, id eſt, progreſſus in peccatis, quia talis nòn ſtat in unò malo, ita *Thom.*

℣. 17. Quæ autem deſursùm eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deindè pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus, non judicans, ſinè ſimulatione.

Nunc veram *ſapientiam*, quæ bonorum eſt magiſtrorum, ſuis proprietatibus explicat. *Primùm* inquit, *pudica eſt*, id eſt, pura ab lilecebris carnis: *pacifica*, id eſt, abhorrens à contentionibus: *modeſta*, æqua, moderata; *ſuadibilis*, id eſt, perſuaſu facilis ac cedens rationi ſeu tractabilis, *bonis*, id eſt, bonorum monitis & conſiliis conſentiens, *plena miſeri-*

cordiâ & fructibus ad ſuccurrendum egenis & miſeris; *non judicans, ſinè ſimulatione*: id eſt, aliena à ſiniſtris & temerariis judiciis proximorum juxta *Luc.* 6. ℣. 37.; vel meliùs non diſcernens inter perſonas, ùt ſit honorando divitem & contemnendo pauperem; contra quod vitium egit *cap.* 2.

℣. 18. *Fructus autem juſtitiæ, in pace ſeminatur, facientibus pacem.*

Concludit hâc ſententiâ admonitionem eorum qui ſapientiam profitebantur, pacemque commendat. Poteſt autem *fructus juſtitiæ* duobus modis intelligi: vel *fructus* qui ex juſtitia colligitur, id eſt, vita æterna: vel *fructus* qui eſt ipſa juſtitia: ut ſenſus ſit; ex *pace*, tamquam ſemine, provenire vitam æternam quæ eſt *fructus* ac merces *juſtitiæ*; vel ipſam juſtitiam tamquam fructum colentibus *pacem*: quod poſterius videtur magis ex mente Apoſtoli; ſed ſic ut juſtitiam accipiamus ſecundùm incrementa ſua & perfectionem. Ita etiam fructus Juſtitiæ accipitur: *Philipp.* 1. ℣. 11. & *Heb.* 12. ℣. 11. Ratio hujus doctrinæ eſt, quia pax charitatem fovet, quam contentiones & diſſidia minuunt: ex *Eſtio*.

CAPUT IV.

Concupiſcentiam cauſam eſſe diſſentionum.

℣. 1. *Undè bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?*

AB Æmulatione magiſtrorum inter ſe tranſit ad ſimilia vitia paſſim inter fideles graſſantia: *Bella* vocat conflictus & concertationes, ùt de pecuniis & honoribus: voluptates dixit *concupiſcentias*, non modò rei venereæ, ſed cujuſcumque appetitum illicitum; ex *Gaig.*

℣. 2. *Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis.*

Cauſam contentionum explicat; qui enim *concupiſcunt quod non habent* ùt opes, honores, voluptates &c. inſurgunt adversùs alios qui habent, aut à quibus impediuntur. Pro *occiditis* quidam Græci codices habent *invidetis*, quam lectionem *Oecumenius* exponit de occiſione ſpirituali quâ quis ſectando cupiditates, ſuam occidit animam, quæ expoſitio *Eſtio* diſplicet, licèt verbum *invidetis* hic maximè quadrare exiſtimet: docet enim Apoſtolus cur ea quæ petunt, non accipiant; quia nimirùm affectibus invidiæ & æmulationis aguntur. Si

autem quis contendat germanam eſſe lectionem *occiditis*; non repugnabo, ait idem author: ſed dixero, ſenſum hunc eſſe; *occiditis*, id eſt, odio habetis alius alium. *Litigatis*, græcè, *pugnatis & belligeratis*, ſcilicet verboſis & clamoſis contentionibus, *& non habetis*, *propter* hoc ſcilicet, *quòd non* dignè à Deo *poſtulatis*.

℣. 3. *Petitis, & non accipitis: eo quòd malè petatis: ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.*

Non enim ſatis eſt bona petere, niſi & benè petantur & bona cum intentione; quomodò etiam intelligendum eſt quod Dominus dicit, *Matth.* 7. ℣. 8. Malam eorum intentionem aſſignat his verbis, *Ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis:* quorum ſenſus eſt, ea quæ petitis, ſivè pecunias, ſivè honores, ſivè ſcientiam eo fine petitis ut habeatis, undè voluptates veſtras expleatis. Gravis hæc increpatio eſt adversùs doctores & concionatores, qui in ſua profeſſione ac munere aliud ſpectant quàm gloriam Chriſti; ex *Eſtio*.

℣. 4. *Adulteri neſcitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergò voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.*

Adulteros vocat, quia ſapientiæ cæleſtis amore relicto ad amplexus mundanæ amicitiæ deflectunt, quæ, inquit, *inimica eſt Dei*, ex *Gaig.*; ergò omnis *amicus mundi conſtituitur inimicus Dei:* quæ concluſio multos terrere debet & præcipuè dirigitur ad eos, qui volunt eſſe magni in ſeculo, ideòque quærunt hominibus placere magis, quàm Chriſto ſervire: inter hos numerantur vani illi ſapientiæ Magiſtri contra quos jam *ſuprà* egit Apoſtolus.

℣. 5. *An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis?*

De intellectu hujus loci, qui meritò inter difficiliores Novi Teſtamenti numeratur. non parva eſt diſceptatio & varietas, eo quòd non appareat de qua *Scriptura* loquatur Apoſtolus, nec de quo *Spiritu :* undè & *invidiam* alii aliter interpretati ſunt. Certum autem videtur Scripturam intelligi V. Teſtamenti; nam ubicumque in libris Apoſtolicis Scriptura citatur, ad Legem & Prophetas reſpicitur, non ad ea quæ Apoſtoli jam ſcripſerant juxta 2. *Pet.* 1. ℣. 19.; ita *Eſtius*. Aliqui *Spiritum* Dei intelligentes ſic exponunt: Nolite putare *inaniter* dictum quòd *ſpiritus ſanctus, qui vos inhabitat* per baptiſmum, *concupiſcit* vos veſtrique deſiderio ardet vel uſque *ad invidiam*. De Spiritu autem ſancto tamquam de homine loquitur. Sicut enim procus & zelotypus, ſi cujus ferventi amore tenetur, non fert alium quem amat alteri amicitiam præſtare; ſic Spiritus ſanctus noſtri (ùt ita loquar) præ nimio amore zelotypus non fert, indignaturque ſi quid hujuſmodi ſecum in amicitiam recipiamus: neque in amicitia ſui rivalem admittit. Cùm ergò prædixiſſet quòd plerùmque poſtulata non accipiant, quia noxia poſtulant; ne putetis, inquit, inaniter dictum quòd Spiritus ſanctus vel ad invidiam uſque vos concupiſcit veſtrique deſiderio flagrat, mundo & diabolo invidens qui vos à ſe alienarunt: ita *Gaig.* & *Cajet.*, qui Scripturam adfert *Exod.* 20., ubi Deus in legis-latione *zeloten* ſe vocat. Quod *Eſtio* aliiſque non probatur, quia nuſquam in Scriptura invidia accipitur in bono: & *ſuperiùs* invidiæ & pugnæ graviter culpantur. Alia hujus ſen-

tentiæ expoſitio eſt, ut poſteriùs membrum contineat Scripturam allegatam ex *Sap.* 1. ℣. 6., & ſenſum habeat negativum : Non concupiſcit (id eſt, non concupiſcere facit) Spiritus ſanctus, quem in baptiſmo accepiſtis, ad invidiam ſed magis ad beneficentiam. Id enim docet Scriptura *Sap.* 1. *Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ*, ſic *Lyran.* Vel *ſpiritus* malus ac vitioſus intelligitur, ſive ſpiritus mundi de quo *Paulus* 1. *ad Cor.* 2. ℣. 12., ſive animus hominum depravatus, ſive malum homini inhabitans, id eſt, concupiſcentia, idem eſt ad ſenſum hujus ſententiæ : quam *Eſtius* ita ſupplet & exponit : *An putatis inaniter* Scripturam dicere : *Petite & dabitur vobis* ? Non. Sed *ad invidiam concupiſcit* ſpiritus veſter, ideò non datur quod petitis. Cùm enim Scriptura paſſim dicat & moneat ut à Deo petamus quidquid boni deſideramus, neque id ſinè promiſſione impetrandi : ùt *Pſal.* 24. ℣. 3., *Pſal.* 33. ℣. 6., *Pſal.* 36. ℣. 5., & *Eccleſ.* 2. ℣. 11. & 12.; in vobis tamen contrarium apparet : non tamen ideò putetis, Scripturam inaniter & falsò hæc dicere : defectus enim ex vobis eſt, ut antè dixi, quia malè petitis. Nam *ſpiritus qui habitat in vobis ad invidiam* & æmulationem concupiſcit, id eſt, ad ea concupiſcenda vos incitat, pro quibus conſequendis invicem invidetis & æmulamini; ſive ſint opes, ſive honores, ſive ſapientia atque ſcientia : ſic autem efficimini Dei inimici ea videlicet, quæ mundi ſunt, amando & concupiſcendo mundique amicitiam ambiendo. Cùm igitur & peſſimè petatis & Dei ſitis inimici ; cur miramini vos non exaudiri ? Non enim omnes ſimpliciter aliquid à ſe petentes exauditurum ſe promiſit, ſed Deum timentes & ipſum in veritate invocantes juxta *Pſal.* 144. ℣. 18. & 19., & *Pſal.* 36. ℣. 4. Hæc expoſitio,

ait *Eſtius*, perſpicua eſt & quàm maximè videtur inhærere textui Apoſtolico cui & ſequentia probè reſpondent. Aliam valdè plauſibilem hujus loci expoſitionem dat *Mauduit in Analyſi*; qui *verſum præc.* de vero adulterio exponit & dicit, Apoſtolum hìc ſubjungere: *An putatis* &c. quaſi dicat; non creditis mihi quòd adulteri inimici ſint Dei? *An putatis* igitur *quia inaniter Scriptura dicit: Spiritus qui in vobis habitat*, ſpiritus, inquam, fornicationis & impudicitiæ, in vobis producit deſideria quæ provocant zelum & æmulationem divinam? Scripturam autem, de qua hìc agit Apoſtolus, author ille exiſtimat eſſe *in cantico Moyſis Deut.* 31. ℣. 16. & 21. Apoſtolus autem ex hac ſcriptura à ſimili argumentatur, id eſt, à zelo & vindicta, quam provocat idololatria, quæ more loquendi Scripturæ fornicatio quædam ſpiritualis eſt.

℣. 6. *Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Qui de Spiritu Dei intelligunt partem præcedentem, in hac parte eundem ſpiritum ſubaudiunt. Qui verò de ſpiritu humano aut mundano exponunt, ſubintelligunt *Deus*, hoc ſenſu: certè *Deus*, qui promiſit, ſi benè rogetur, etiam *majorem gratiam dabit*, id eſt, beneficia tribuit majora petitis, ùt pro terrena ſapientia cœleſtem, pro ſplendore ſeculi gloriam ſui regni: aut *majorem* intellige eâ, quam dedit, q.d. *Gratiam* antè datam augebit. *Propter quod* nempè ſignificandum *dicit* Deus vel Scriptura: *Deus ſuperbis reſiſtit* &c. Quæ ſententia deſumpta eſt ex *Prov.* 3., quam ſic tranſtulit *Hieronymus*: *ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.* Quod tamen ſenſu non

eſt diverſum. Nam *illuſores* ſive *deriſores* iidem ſunt qui *ſuperbi*. *Reſiſtit* autem *Deus ſuperbis*, dum eos humiliat & humiliando contemptibiles reddit; quod proprium eſt deridentis. *Manſuetis* verò *& humilibus dat gratiam*, ſcilicet *majorem*, dum auget priùs datam gratiam, ac nova gratiæ munera prioribus adjicit. Porrò ſignificat Apoſt. ex ſuperbia natas fuiſſe contentiones, æmulationes &c. contra quas *ſuperiùs* egit, & hortatur ad humilitatem per hoc quòd humiles à Deo exaudiantur & exaltentur; quod quidem in ſequentibus agit expreſſiùs: ex *Eſtio*.

℣. 7. *Subditi ergò eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.*

Subditi eſtote, id eſt, per veram humilitatem vos illi ſubſternite confitentes peccata veſtra & agnoſcentes quòd ſinè illo nihil poſſitis; & ita exaudiemini. *Reſiſtite* declinando tentationes proſperitatum, & ſuſtinendo tentationes adverſitatum & accipiendo *armaturam Dei*, de qua *Paulus ad Ephеſ.* 6. & *Petrus* 1. *Epiſt.* c. 5. *Et fugiet à vobis*, ſcilicet armis illis victus & repulſus: etiamſi victus ſubindè redeat. Eſt enim in verbo *fugiet* metaphora, quâ aliquis fugere dicitur, dum debilitatur; nam debilium eſt fugere. Debilitatur autem quatenùs homo, quem impugnat, majores vires acquirit ipsâ victoriâ quâ meretur atque conſequitur augmentum virtutis: ita *Eſtius*.

℣. 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.*

Appropinquate Deo per humilitatem, *& appropinquabit vobis* per gratiam: per *manus* &

corda præcipit, ut tam opera quàm cogitationes habeant mundas ac repurgatas à pravis cupiditatibus & potiſſimùm à contentionibus. *Peccatores* vocat propter opera foris conſpicua ùt bella, lites &c. *Duplices animo* dicit propter ancipites cordium affectiones & cogitationes, quibus fluctuabant inter amicitiam mundi & Dei, ſicut *cap.* 1. dixit: *Vir duplex animo.*

℣. 9. *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.*

Miſeri ſtote &c. id eſt, opera pœnalia ſubite; quod fiebat jejuniis, ſupplicationibus, luctâ, ploratu, Cilicii geſtatione, &c. Ad *Peccatores* hæc dicit.

℣. 10. *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.*

Humiliamini in conſpectu Domini, id eſt, humilitate verâ non fictâ, interiori non tantùm exteriori: & nota quòd dicat, *humiliamini*, & non, alius humiliet vos, ut ſit humiliatio voluntaria non neceſſaria. *Et exaltabit vos*; merito ſcilicet humilitatis; ùt 1. *Pet.* 5. ℣. 6. ex *Thom.*

℣. 11. *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, ſed judex.*

Nunc præceptum contra aliud linguæ vitium, affine contentionibus, hìc ſubjungit. *Nolite detrahere*, unus alteri malum imponendo, vel augendo, vel bonum annihilando, vel diminuendo: *qui detrahit* ore, *aut qui judicat* corde, *detrahit legi*, quæ hoc prohibet, *Levit.* 19. ℣. 13. & 16., *Sap.* 1. ℣. 11., *Prov.* 4. ℣. 24. &

Pſal. 100. ℣. 5.; *& judicat* ſeu condemnat *Legem*, eam malam reputando. *Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed judex.* Judex autem ſuperior eſt eo quem judicat; quare qui judicem ſe legis facit, eo facto ſupra legem ſe collocat; & per hoc ad ejus obſervationem ſe non teneri declarat.

℣. 12. *Unus eſt legiſlator, & judex, qui poteſt perdere, & liberare.*

Senſus eſt: Tu qui detrahis fratri, judicem legis te conſtituis: atqui *unus eſt legiſlator & judex, qui poteſt* unumquemque pro meritis aut ſalvare aut *perdere*, Deus videlicet, quem proindè metuere debebas, non ei te æquare, multò minùs ſuperponere: quod tamen facis dum legis ab eo latæ judicium uſurpas, ex *Eſtio*; qui notat dupliciter intelligi poſſe hanc partem, *qui poteſt perdere & liberare*; vel in æternum, ùt *Matth.* 10. ℣. 28.; vel generatim qui poteſt homines ſive in æternum ſive temporaliter ſalvare & perdere: qui ſenſus aliis Scripturæ locis congruit, ùt *Deut.* 32. ℣. 39., & 1. *Reg.* 2. ℣. 6. *& alibi.*

℣. 13. *Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodiè, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus:*

Argumentum hìc ſumit Apoſtolus à communi hominis natura: cùm enim omnes homines naturâ ſint pares; non debet alius in alium ſibi ſumere judicandi poteſtatem niſi eam à Deo acceperit; ùt *Rom.* 14. ℣. 4. & 10. Tranſit nunc ad aliud genus ſuperbiæ; eorum videlicet qui de ſuis actionibus ita confidenter ſtatuunt dicentes, *eamus*, *faciamus* hæc & illa, acſi futurorum Domini eſſent, & à Dei voluntate & providentia non penderent.

℣. 14. *Qui ignoratis quid erit in craſtino.*

℣. 15. *Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur; pro eo ut dicatis: ſi Dominus voluerit. Et: ſi vixerimus, faciemus hoc, aut illud,*

Q. d. Benè dico vos neſcire quid cras futurum ſit vobis, cùm nec illud ſciatis, an cras futurum ſit vobis, cùm nec illud ſciatis, an cras ſitis futuri ſuperſtites: nam vita veſtra ſimilis eſt vapori è terra ſurgenti, qui ad exiguum tempus apparet & deindè evaneſcit in auras ùt bulla, ex *Gaig. Pro eo ut dicatis*, id eſt, loco ejus quod dicere debuiſtis; *ſi Dominus voluerit* &c.; quod præceptum non ita accipiendum eſt, ut ſemper linguâ dicamus utrumque; ſed ut divinæ providentiæ & noſtræ mortalitatis ſimus ſemper memores, interdùm etiam voce exprimamus; ex *Eſtio.*

℣. 16. *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt.*

Q. d. Vos non ita facitis, ſed etiam nunc in hac brevi vita gaudium oſtendiſtis *in ſuperbiis veſtris*, id eſt, in his quæ ſuperbè dicitis ac facitis: ita *Eſtius*: vel in divitiis, quæ ſunt vobis materia ſuperbiæ: vermis enim divitum ſuperbia, ex *Aug.* Vel in divitiis quæ faciunt vos ſuperbos; *Gloſſ. Maligna eſt*, id eſt, malo igne ignita eſt, ſcilicet concupiſcentiæ & cupiditatis; ex *Thom.*

℣. 17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.*

Id eſt, *ſcienti bonum* ſibi faciendum & *non*

faci nti, peccatum eſt illi omiſſionis ſcilicet gravioris. Nam ubi majus eſt donum ſcientiæ : ibi tranſgreſſor majori ſubjacet culpæ ; ex *Greg.*, cit. *Luc.* 12. ℣. 47. Hâc ſententiâ Apoſtolus *totam hujus & præcedentis capitis* exhortationem claudit.

CAPUT V.

Avertit divites à divitiis congregandis. Hortatur ad patientiam : prohibet jurare : efficaciam orationis oſtendit.

℣. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis.*

NOn ad divites infideles, ut putat *Beda* ; ſed ad Chriſtianos pauperum Chriſtianorum oppreſſores ſermo eſt terrens & ad pœnitentiam provocans : & ſenſus eſt : ponite vobis ob oculos æternam miſeriam certiſſimè ſuperventuram niſi pœnitentiam egeritis ; & ejus rei cognitio vos ad fletum & ululatum provocet, ex *Gloſſ.*

℣. 2. *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt : & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.*

Exprobrat tenacitatem divitum qui opes ſuas ut ligna & agrorum ac arborum fructus patiebantur computreſcere potiùs & perire ſinè aliqua utilitate, quàm ut eas erogarent in uſum ac neceſſitates indigentium : & luxum veſtium notat, qui tantus eſt, ut mutatorias, quas ſibi multiplicant, *à tineis* defendere nequeant, ex *Eſtio.*

℣. 3. *Aurum, & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.*

Æruginavit, id eſt, æruginem contraxit. Eſt autem ærugo propriè æris vitium, ſed ad alia etiam metalla transfertur, & ad vitium quoque ſegetum, ex *Gaig.*; adeò ut, quemadmodùm ærugo quondam pecunias eorum exedit, ita in Dei judicio ipſa memoriam obſidens & conſcientiam mordens exeſura ſit eorum *carnes*, non levi cruciatu, ſed tanquam *ignis*. Gaudetis, inquit, & congratulamini vobis de theſauris pecuniarum quas avarè recondidiſtis in multos annos. Atqui id faciendo coacervaſtis vobis *iram* & maledictionem in diem noviſſimum; ita *Græci & Cajet.*

℣. 4. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

Ex avaritia divitum mercedem operariorum iniquè detentam attingit; de quo vitio *Levit.* 19. ℣. 13. & *Deut.* 24. ℣. 14. & 15. Et hoc clamare in cœlum dicitur propter inſignem ac manifeſtam hujus peccati malitiam. Quod ait *clamorem eorum in aures Domini Sabaoth introiſſe*, ſignificat Deum graviter illorum injurias ulturum: dicit autem *Domini Sabaoth*, id eſt, *Domini exercituum* ad ſignificandam Dei potentiam quam opponit iis qui potentes in ſeculo humana non curant tribunalia. Nomine *exercituum* intelliguntur Angelorum copiæ; de quibus *Rom.* 9. ℣. 29.

℣. 5. *Epulati eſtis ſuper terram & in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis.*

Epulati eſtis, græcè, *deliciati eſtis*, id eſt, *deliciis & genio indulſiſtis*: addit *ſuper terram* quòd omnis hæc epularum delectatio ſit in bonis terrenis ac brevì perituris. *Et luxuriis*, græcè, *& laſciviſtis*, & adhæret parti præcedenti hoc modo: *deliciati eſtis ſuper terram & laſciviſtis. Enutriſtis corda*, ſyriacè, *corpora veſtra.* Quaſi dicat: corpora veſtra lautis epulis egregiè ſaginaſtis. *In die occiſionis*, græcè, *ſicut in die*: ſyriacè, *tamquam ad diem mactationis*: quod bifariàm exponitur. Uno modo, ut comparatio fiat ab epulis ſacrificalibus, quæ ex victimarum immolatarum carnibus lautiſſimè exſtrui ſolebant. q.d. Quotidiana agitaſtis convivia tamquam omnes dies vobis eſſent feſti in quibus victimæ cædi ſolent: ſic Scriptura à victimis epularum apparatum ſignificat: ut *Iſaïæ* 34. ℣. 5. & 6., *Prov.* c. 7. ℣. 14. & c. 17. ℣. 1., *Nehem.* 8. ℣. 10. Alter ſenſus eſt: Divites, dum more divitis, de quo *Luc.* 16., epulantur quotidiè ſplendidè, ſeſe paſcere ac ſaginare tamquam in die mactationis, id eſt, tamquam in illud tempus, quo mactandi ſunt; quomodo pecora diligenti curâ ſolent ſaginari ad victimam: ut dies mactationis intelligatur dies judicii, quando de carnibus impiorum parabitur epulum omnibus avibus cœli & beſtiis terræ, id eſt, dæmonibus; quod epulum poſt *Ezech.* 39. deſcribit *Joan. Apoc.* 19. Quò referri poſſunt *Pſal.* 48. ℣. 15. & *Jerem.* 12. ℣. 3. *In die*, id eſt, *in diem*, ut *Rom.* 2. ℣. 5. Huic interpretationi affine eſt quod *Oecumenius* dicit, Apoſtolum reſpicere ad expugnationem Judæorum à Romanis, ad quam velut victimam ſolemnem epulis & deliciis impinguandos ſeſe præparabant: ex *Eſtio*.

6. *Addixiſtis, & occidiſtis juſtum,*
on reſtitit vobis.

dixiſtis, græcè, *condemnaſtis*, reum egi-
iortis. Per *juſtum Beda & Occum.* Chri-
intelligunt, ùt *Iſaiæ* 51. ℣. 5. & *Act.* 7. ℣. 52.
probabiliùs ſentiunt, in numero ſingula-
phaticum eſſe ſermonem quo ſignifice-
inumquemque pauperem *juſtum*, quam-
olitarius ac deſertus videatur ideòque
im prædæ expoſitus, acſi ſolus & unicus
à Deo curari: ùt *Iſaïæ* 57. ℣. 1. & *Pſal.*
. 21. *& alibi.* Sicut ergò alia divitum vi-
xata ſunt, ùt avaritia & luxus & mer-
operariorum detentio; ita hìc notat vio-
im & calumnioſam juſtorum pauperum
ſſionem; quæ interdùm etiam uſque ad
is machinationem procedit: qui ob ino-
amicorum vobis *reſiſtere* non valent; ùt
. 9. ℣. 10., & ferè *toto Pſalmo*, qui eſt
vus ſecundùm Hebræos.

7. *Patientes igitur eſtote fratres*
e ad adventum Domini. Ecce agri-
exſpectat pretioſum fructum terræ,
enter ferens donec accipiat tempo-
um, & ſerotinum.

uctum hìc in fine ſubintelligit *Lyranus*:
iam, inquit, terra promiſſionis, de qua
itur Apoſtolus, duplicem fructum reddit
annis, *temporaneum*, id eſt, primitivum
prili, *& ſerotinum* in Septembri. Alii pu-
temporaneum dici de fructibus qui priùs
reſcunt eâdem anni parte ſeu de primi-
& ſerotinum de iis qui poſteriùs. Alii me-
ex græco ſic legunt: *donec accipiunt plu-*
temporaneam ſive tempeſtivam & ſeroti-
ùt *Deut.* 11. ℣. 14., *Jerem.* 5. ℣. 24., & *Oſeæ*

6., *Joël.* 2., *Amoſ.* 7., *Zach.* 10. & *Job.* 29. Eſt autem pluvia temporanea quæ terram rigat jactâ ſemente, ſerotina quâ ſeges ante maturitatem & meſſem grandeſcit, ac ſpicæ turgeſcunt. Eſt autem ſenſus: *agricola* pro ſpe terreni fructûs *exſpectat* de cœlo matutinam ſerotinamque pluviam, neque antè deficit: quantò majori longanimitate pro ſpe æternorum bonorum, largitorem eorum Dominum Jeſum expectare debent pauperes & afflicti? cujus *adventus* non longè eſt, ſed appropinquabit citò, ſcilicet adventus ad judicium univerſale, quod præcedit judicium cujuſque particulare.

℣. 8. *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini appropinquavit.*

Hortatur ad patientiam & longanimitatem à brevitate temporis quo ferenda ſunt mala & à propinquitate retributionis: dicitur autem *adventus Domini appropinquare*, quia dies ejus paulatim fit propior, ut *Phil.* 4. ℣. 5. & 2. *Pet.* 3. ℣. 8.

℣. 9. *Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam aſſiſtit.*

Id eſt, ſi inter expectandum Domini adventum variis vos preſſuris & afflictionibus contingit affici, *nolite* ob id in invicem ſuſpirare & *ingemiſcere* & contriſtari triſtitiâ, quæ eſt ſecundùm hoc ſeculum. Gemitum intelligit accuſatorium, cùm quis animo ac gemitu (quod liberâ voce non aude) proximum, quem ſibi moleſtum ſentit, accuſat & condemnat: ita ut hoc ſimile ſit præcepto quod Dominus dat *Luc.* 6. ℣. 37. *Ut non judicemini*, id eſt, ne à

Domino propter impatientiam condemnemini; hoc enim non eſt conſtantis animi. Sed fortiter ſuſtinete afflictiones, ſcientes, quia *ecce judex antè januam aſſiſtit*, id eſt, non longè eſt Dominus, ſed propè, qui & veſtram patientiam remuneraturus & adverſariorum iniquitatem ulturus eſt; ita *Gaig.*

℣. 10. *Exemplum accipite, fratres, exitûs mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti ſunt in nomine Domini.*

Sicut vos ad longanimitatem verbo, adhuc moneo exemplo; ùt enim optabile eſt cum Sanctis remunerari: ita durum eſſe non debet ſimilia cum illis pati, ùt *Matth.* 5. ℣. 12. q. d. Sint vobis pro exemplo ſancti Prophetæ, qui graves afflictiones patienter uſque ad finem pertulerunt; ita *Gaig.* In verbis ſequentibus, *qui locuti ſunt in nomine* ſeu in juſſu *Domini*, cauſam indicat Apoſtolus, ob quam paſſi ſunt afflictiones.

℣. 11. *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.*

Confirmat quod dixit à communi ſermone fidelium: ſolemus enim *beatos* prædicare *eos qui* pro juſtitia ſuſtinent afflictiones, ùt *Matth.* 5. *Audiſtis* ſeu vidiſtis in ſacris litteris *ſufferentiam Job*, quomodo videlicet ſit remunerata quando duplicia recepit in vita ſua. *Et finem Domini vidiſtis*, id eſt, exitum ac mortem Chriſti ignominioſam, quantâ gloriâ (ùt *Heb.* 2. ℣. 9.) compenſata ſit. Aliis videtur totus locus de *Job* intelligendus: audiſtis Job patientiam & interim vidiſtis finem Domini, id eſt, qualis illi finis & exitus à Domino Deo fuerit, ſicut enim afflictati Job miſertus eſt;

ſic & veſtri miſerebitur : ita *Gaig.* & *Eſtius* : qui adjungit, primam de Chriſto expoſitionem tradi à *Beda ex Aug. l.* 1. *de Symb. ad catech. c.* 3.; recentiores verò, ut *Cajet.*, *Gaign.* & alios ſecundam amplecti propter ſequentia : *Quoniam miſericors Dominus* &c. quæ tamen verba etiam ad Chriſtum accommodari poſſunt; quia miſertus eſt ei Deus, mortem ab eo auferens per gloriam reſurrectionis : ita *Eſtius*.

℣. 12. *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: ut non ſub judicio decidatis.*

Dicit *ante omnia*, vel quia peccatum hoc irreverentiæ eſt in Deum qui eſt ſuper omnia: vel quia propter conſuetudinem contrariam magnâ vigilantiâ opus eſt ad hoc præceptum ſervandum, q. d. plùs ad hoc intenti eſtote quàm ad alia. Hoc autem *Jacobi* præceptum eſt idem cum præcepto Salvatoris, *Matth.* 5. ℣. 34. Hujus autem præcepti ſenſus eſt, Nolite omninò, quantùm in vobis eſt & fieri poteſt, jurare : ita ut à jurando ſemper & omninò abſtinendum ſit, niſi ad id juſta neceſſitas compellat : ita *Eſtius ex Aug.* l. 1. *de Serm. Dom. in monte* c. 17., & *in ſerm.* 28. *de verb. Apoſt.* Item *lib. de mendacio c.* 15. Levis itaque, privata, frequens & indiſcreta jurandi conſuetudo prohibetur; non ipſum juramentum debitis conditionibus ſtipatum : Sancti enim tam Novi quàm Veteris teſtamenti jusjurandum dictis ſuis aliquandò adhibuerunt : ùt *Gen.* 14. 21. 26. & 31., item *Exod.* 2., 3., *Reg.* 17., & ſæpiùs *in epiſtolis Pauli.* Undè & judicis autoritate jurare quandoque licet, & ad perſuadendum iis qui aliter credituri non ſunt ve-

em. *Nequ' per cælum* &c. quæ ſcribit con-
Judæorum errorem qui in juramento per
turas uſque adeò nullam culpam agnoſce-
, ut ſic jurantem ad præſtandum promiſ-
crederent non teneri, tantùm excipiebant
dam creaturas avaritiæ Phariſæorum com-
as: ùt patet *Matth.* 23. ℣. 16. & 18.; contra
n errorem Chriſtus agit *Matth.* 5. ℣. 34.
5. *Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt; Non,*
, id eſt, ſit ſimplex & nuda affirmatio vel
tio. *Ut non ſub judicio decidatis*, græcè,
non in ſimulationem incidatis; hoc eſt, ne
lamini hypocritæ & ſimulatores: qui enim
nento aſſueſcit, incidit in hypocriſim & ſi-
tiònem; quando qui mentitur cupit verax
ri, ex *Gaig.* Putat *Eſtius*, hunc ſenſum
m congruere: cùm hypocriſis non ex in-
tantia ſermonis oriri ſoleat; ſed contrà
ex illa. Deindè probat, germanam ſcrip-
m græcam eſſe, *ut non ſub judicium cadatis*,
ſt, ne condemnemini, ſive ne ſubeatis
cium condemnationis.

13. *Triſtatur aliquis veſtrûm? Oret:
uo animo eſt? Pſallat.*

fflictos triſteſque ad orandum hortatur,
perè agentes & hilares ad pſallendum:
enim ùt conſolatione ac malorum levamine
ntibus, oratio convenit: his ùt Dei benig-
te fruentibus laus & gratiarum actio, quæ
morum cantu reddi ſolet; ex *Eſtio.*

. 14. *Infirmatur quis in vobis? In-
at Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſu-
eum, ungentes eum oleo in nomine
nini:*

eſcendit ad ſpeciem afflictionis, quæ eſt
rſa corporis valetudo: docetque quid in

ea Chriſtiano homini ſit agendum. Ex ho loco *Patres Conc.Trid.* & cum iis omnes Orthodoxi ſtatuunt & probant eam unctionem quæ perpetuo more Eccleſiæ infirmis adhibetur, ab Apoſtolica traditione manaſſe, & verè ac propriè eſſe Sacramentum Novæ Legis: cujus Apoſtolus hic materiam, formam &c. deſcribit. Quod adversùs hæreticos breviter demonſtrandum eſt per ſingula. 1º Dicendo, *Infirmatur quis in vobis* deſignat cui adminiſtrari debeat. 2º *Inducat presbyteros Eccleſiæ* quibus inſinuat miniſtrum, ſcilicet ſacerdotem ab Epiſcopo ritè ordinatum. 3º *Et orent ſuper eum:* quâ parte, utì & eâ: *Et oratio fidei* &c. indicat presbytero certis ac præſcriptis à Chriſto vel Eccleſia verbis utendum eſſe: quam orationem Sacramenti formam vocamus. Nam & illud *ſuper eum* ſignificationem ingerit ritûs cæremonialis. 4º *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* Hìc jam apertè materia declaratur, videlicet oleum Olivæ. 5º *In nomine Domini*, id eſt, vice Chriſti tamquam miniſtri, ùt *Paulus* 2. *Cor.* 2. dicit: *In perſona Chriſti.* Quæres quare Jacobus dicat, *Presbyteros* cum de *uno* tantùm loquatur infirmo? ℟. Putant aliqui initio Eccleſiæ plures ſacerdotes infirmo aſſiſtere ſolitos: quorum, etſi unus unctionem adhiberet, ceteri tamen ungere quodammodo dicebantur, quatenùs ungenti aſſiſtebant. Verùm *Eſtius* meliùs reſpondendum exiſtimat, enallagen eſſe numeri: q. d. *Inducat*, græcè, *accerſet presbyteros*, id eſt, unum ex preſbyteris.

℣. 15. *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Declarat Apoſtolus *hoc verſu* effectum hujus ſacræ

icræ unctionis. *Oratio fidei* dicitur oratio à
de profecta, fideque ſubnixa; ſi non ipſius
iiniſtri, ſaltem Eccleſiæ cujus ille perſonam
ı adminiſtrando ſacramento ſuſtinet, & cujus
des numquam deficit. Verbo *ſalvabit* ſanitas
orporis ſignificatur juxta omnes ferè inter-
retes. Cùm enim de corporali infirmitate
oquatur Apoſt., conſentaneum eſt eum de
juſdem generis ſalute intelligi: non exclu-
endo tamen intellectum de ſalute ſeu ſanatio-
e animæ, maximè quia ſalus corporis ad ſalu-
em animæ hìc referenda eſt. Atque hoc ſenſu
Patres Florentini definierunt effectum hujus
acramenti eſſe mentis ſanationem, & *in quan-
um expedit* etiam corporis. Sic etiam *Patres
Tridentini* loquuntur: quia, ùt ait *Aug. Ench. 66.*,
quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magìs ad
pem futurorum bonorum quàm ad adeptio-
iem præſentium pertinet. Notari etiam mere-
ur ſub ſanatione corporis, quamlibet etiam
nodicam morbi relevationem comprehendi.
Et alleviabit eum Dominus, nempè Chriſtus
cujus nomine unctus eſt. *Alleviabit* autem
iberando infirmum à torpore, mœrore &
anxietate, quibus plerùmque morte vicinâ
ægroti gravantur, ita ut difficilè mentem ad
divina queant attollere. Atque iſta liberatio
ilter effectus eſt. *Et ſi in peccatis ſit, remitten-
tur ei.* Quâ parte tertius effectus exprimitur,
videlicet peccatorum remiſſio, quæ diverſimo-
dè exponitur. Quidam intelligunt de remiſſio-
ne peccatorum venialium: alii putant peccata
hìc intelligi pravas inclinationes ex peccatis
relictas, quas tanquam peccatorum reliquias
abſtergi dicunt hâc ſacrâ unctione; idque ſig-
nificari hoc loco per remiſſionem peccatorum.
Alii de peccatis mortalibus Apoſtolum expo-
nunt, quæ per oblivionem aut ignorantiam

apud Sacerdotem in confeſſione Sacramentali non fuerant detecta. Alii de venialibus interpretantur non quibuſcumque, ſed craſſioribus & non quotidianis, à quibus ſollicitè ſibi cavere ſolent perfectiores. Sed cùm *B. Jacobus* generaliter nominet peccata, potiùs ad omnia cujuſcumque generis peccata, comprehenſis etiam inclinationibus & affectionibus vitioſis, extendendum videtur; quatenùs extendi poteſt ſalvâ aliorum Sacramentorum inſtitutione ac neceſſitate. Quod arbitror, ait *Eſtius*, voluiſſe Patres tam Concilii Florentini quàm Tridentini. Et quidem *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *de Extrem. Unct.* c. 2. hujus Sacramenti ſic proponunt: „ Res enim hæc gratia eſt Spiritûs „ S., cujus unctio delicta ſi quæ ſint adhuc „ expianda ac peccati reliquias abſtergit, & „ ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: quâ infirmus ſublevatus, & morbi „ incommoda ac labores leviùs ferat & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs „ reſiſtat: & ſanitatem corporis interdùm, „ ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur." Sed objiciet adverſarius, effectus hos non unctioni adſcribi, ſed orationi. ℞. *Oratio* quam ſuper infirmum presbyter facit, comprehendit, ut jam dictum eſt, formam hujus Sacramenti; itaque cùm in Sacramentis principalior ſit forma quàm materia, nihil mirùm, ſi potiùs orationem nominavit Apoſtolus, quàm unctionem, ubi Sacramenti effectum exponere voluit: ita *Eſtius*; qui ſimul alia hæreticorum argumenta refellit.

℣. 16. *Confitemini ergò alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.*

Hujus præcepti tres ſunt expoſitiones, omnes aliquo modo probabiles: 1ma de peccatorum confeſſione, quâ culpam agnoſcunt & veniam petunt fideles ab iis quos aliquâ injuriâ affecerunt, juxta *Matth.* 5. ℣. 23. & 24. 2da de confeſſione quâ peccata deteguntur fratribus petendi conſilii & auxilii causâ. 3ia De confeſſione Sacramentali, de qua non pauci Catholici interpretantur hunc locum: quod opportunum hìc putant quia ſtatim de infirmis actum eſt. Favent huic expoſitioni *Orig.*, *Hom.* 2. *in Levit.*, *Chryſt. l.* 3. *de Sacerd.* *Et Beda* qui apertiſſimè confeſſionem peccatorum, quæ Sacerdoti facienda ſit, adſtruit: ſic *Eſtius*, qui pluribus hanc expoſitionem proponit, ſimul tamen admonens propter probabilitatem duarum præcedentium, liberum eſſe eligendi unam ex tribus. Doctrina enim Catholica de uſu ac neceſſitate Sacramenti confeſſionis ſatis & abundè ex aliis locis & potiſſimùm *Joan.* 20. ℣. 23., & ex Apoſtolica traditione confirmatur. *Et orate pro invicem ut ſalvemini*, græcè, *ſanemini.* Qui *ſuperiùs* confeſſionem Sacerdoti faciendam intelligunt, ſic exponunt hanc partem: *orate pro invicem*, id eſt, alii pro aliis, Presbyteri pro infirmis peccata ſua confeſſis, ut ſanitatem recipiant, ita *Beda.* Alii malunt generale eſſe præceptum, quo jubeantur fideles orare pro ſeſe mutuò, maximè firmiores pro infirmioribus, juſti pro peccatoribus; ut à peccatis, quibus implicitos ex ipſorum confeſſione cognoverint, Dei miſericordiâ liberentur. Ita futurum, ut utrique pariter

ad ſalutem perveniant. *Multùm enim valet* &c. non dicit *totum* valet, ſed *multùm*; ad hoc enim, ut oratio ſit efficax, exigitur, ut fiat piè perſeveranter & ad ſalutem & pro ſe. *Juſtus* ergò cùm orat pro alio, non ſemper impetrat; ùt notat *Thom.* Idem de *Juſti* oratione atteſtatur *Joan.* 1. *Ep.* c. 3. ℣. 21. & 22.

℣. 17. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.*

Exemplo confirmat quod dixit de oratione Juſti. *Similis nobis*, græcè, *ſimiliter ùt nos paſſibilis*, id eſt, ſimilibus affectibus obnoxius mentis & carnis; quia timore Jezabel fugit; & quia à vidua ſuſtentari indiguit, ùt 3. *Reg.* 19. Si ergò *Elias* unâ oratione tanta impetravit, quid ergò multi fideles multis orationibus? ita *Gloſ.* Notari tamen oportet, *Eliam*, etſi paſſionibus animi ſubjectum, non ita tamen hâc parte nobis ſimilem fuiſſe, ut non eas habuerit multò magis ratione frænatas, minùſque turbulentas, quàm habeat communis modus Juſtorum: ita *Eſtius.*

℣. 18. *Et rurſum oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.*

Et rurſum oravit, ùt narratur 3. *Reg.* 18. ℣. 42. *Beda* putat, Prophetam unicâ oratione impetraſſe quod petiit: quod etſi de priore oratione verum ſit; de poſteriore tamen non apparet; quin potiùs pro impetranda pluvia ſepties oraſſe videtur. Ex quo intelligendum relinquit Apoſtolus, nobis omni ſtudio orationi incumbendum eſſe, ut fratrum ſalutem à Deo impetremus. Ne tamen quis exiſti-

met ſolâ oratione procurandam eſſe fratrum ſalutem, oſtendit etiam monitis ac correptionibus agendum, ut frater errans in rectam viam revocetur.

℣. 19. *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum :*

Veritatem vocat rectam vivendi regulam, quæ complectitur ſanam fidem & ſanctam converſationem.

℣. 20. *Scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Vita noſtra eſt quaſi quædam via, aut in infernum ſi eſt mala, aut in paradiſum ſi eſt bona. *Salvabit* homo, qui orat & corripit, occaſionaliter, Deus verò cauſaliter. Si magnæ mercedis eſt à morte eripere corpus quandoque moriturum, quanti meriti eſt à morte liberare animam in cœleſti patria ſinè fine victuram? Ait *Thom. Peccatorum* intellige ſuorum, vel potiùs ejus quem converterit, *Prov.* 10. ℣. 12, ubi *Sapiens* loquitur de peccatis alienis, quæ charitas tegit, diſſimulat, & quatenùs poteſt, tollit. Ad quem locum etiam *Petrus* reſpicit 1. *Epiſt. cap.* 4. ℣. 8.; ex *Eſtio.*

Nota, Commentaria illa, quæ ſub nomine *S. Thomæ Aquinatis in Catholicas Apoſtolorum Epiſtolas* aliquando edita ſunt, non videri reverà ipſius; ſed *Thomæ Anglici* : ùt *Eſtius* in fine Comment. *in Epiſt. Judæ* probat, citans *Sixtum Senenſem Bibliot. Sanc. l.* 4. *in Thoma Anglico.*

BEATI PETRI APOSTOLI EPISTOLA CATHOLICA I.

ARGUMENTUM.

PEtrus hoc agit ut Judæos ad Chriſtum converſos, qui Gentium regiones incolebant, in fide Chriſti confirmet: exhortationes & præcepta adhibet de retinenda in adverſis patientia, de ſervanda vitæ innocentia, de obedientia magiſtratibus præſtanda, de honeſtanda conjugum inter ſe converſatione, de vitanda profana Gentium conſuetudine. Tum invitat ad vigilantiam, ſobrietatem, orandi ſtudium, humilitatem, hoſpitalitatem. Epiſcopos hortatur, quomodo in Eccleſiarum ſuarum regimine ſe gerere debeant. Eſt autem in urbe Romana ſcripta ſub Babylonis nomine propter confuſionem idololatriæ quæ tunc Romæ vigebat.

C. I.

CAPUT I.

Deo gratias agit qui nos ad æterna bona per Chriſtum vocaverit : incitat ad mutuam charitatem.

℣. 1. *Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti, electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bythiniæ.*

SCribit *Petrus* Judæis fidelibus, qui ſive ex veteri diſperſione, ſive ex nova (quæ ſub Stephano facta eſt) in diverſas orbis partes ſeſe receperant: undè rectè *advenas ſive incolas* vocat ; qui regione ſuâ pulſi alienam incolebant. *Aſiam* minorem intelligit, ex *Gaig. Electos* dicit, quos, aliis derelictis ac reprobatis, elegit Deus ab æterno ad hereditatem regni cœleſtis, non ex meritis ſed ſecundùm præſcientiam Dei Patris: *Rom.* 8.

℣. 2. *Secundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritûs, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti : Gratia vobis & pax multiplicetur.*

Præſcientiam ſive præcognitionem, græcè πρόγνωσιν, vocat prædilectionem, vel quòd eòdem recidit providentiam ſeu benignam ordi-

nationem. *Lyranus* prædeſtinationem exponit *Auguſtinum* ſecutus, qui *l. de dono perſev. c.* 18. docet præſcientiam Dei, cùm in bonis ponitur, eamdem eſſe cum prædeſtinatione : ita *Petrus infrà* ℣. 20. ; & *Paulus ad Rom.* c. 8. ℣. 29. & c. 11. ℣. 2. *Electi* ergò hìc dicuntur *ſecundùm præſcientiam Dei*, id eſt, electi æternâ Dei præordinatione & prædilectione, ut omnis cogitatio qualiumcumque meritorum hanc electionem prævenientium excludatur : ùt *Paulus* pluribus docet *Rom.* 9. & *Epheſ.* 1. *In ſanctificationem Spiritûs Sancti*, id eſt, per Spiritum ſanctificantem, ut obedirent & crederent, & *Jeſu Chriſti* (non hirci aut vituli ùt olim; *Exod.* 24. & *Heb.* 9.) *ſanguine aſperſi* à peccatis mundarentur. *Obedientiam* vocat, quâ Chriſtus obedivit Patri uſque ad mortem crucis; vel quâ nos Chriſto obedimus : nam rectè *electi* dicimur ad obedientiam Chriſto præſtandam. Hæc obedientia eſt credere & opera fidei conſentanea exercere : ùt *Epheſ.* 2. ℣. 10. Vocatur autem remiſſio peccatorum *aſperſio ſanguinis*, quia nemo per Chriſti ſanguinem mundatur à peccatis, niſi eo fuerit aſperſus, id eſt, niſi applicatum ei fuerit meritum paſſionis Chriſti : quod fit per obedientiam fidei; ùt *ad Rom.* 3. ℣. 25. Manifeſta hìc alluſio eſt ad aſperſiones ſanguinis factas in V. Lege ; præcipuè ad illam *Exod.* 24. ; de qua & ad *Heb.* 9. Deindè *Gratiæ* & *pacis* augmentum precatur, ùt *Rom.* 1. ex Gloſ.

℣. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis,*

Benedictus, id eſt, laudetur à nobis *Deus*

cùm ſit ab æterno *Pater Domini noſtri*
i Chriſti per naturam, nos in tempore fi-
liabere voluit per adoptionem, factâ nobis
iſſimâ ſpe conſequendæ vitæ æternæ ex
niſſione debitæ, *per reſurrectionem* Filii ſui,
m à morte reſuſcitavit ad vitam immorta-
. Vel *per reſurrectionem* refertur ad verbum
neravit, ut ſignificetur, reſurrectionem
iſti à morte cauſam eſſe noſtræ regenera-
is, quâ à morte peccati reſurgimus ad vi-
juſtitiæ: ùt *Rom.* 4. ℣. 25., ubi Chriſtus
tur reſurrexiſſe propter juſtificationem no-
m, id eſt, ut ſuâ reſurrectione typum
mdam nobis præferret reſurgendi ad juſti-
ı ſeu ad novitatem vitæ. Sic etiam loqui-
Petrus hìc c. 3. ℣. 21. Hic ſenſus *Eſtio*
ìs probatur. Vel *per reſurrectionem*, id eſt,
fidem Reſurrectionis; ex *Thoma.*

. 4. *In hereditatem incorruptibilem,*
ncontaminatam, & immarceſſibilem,
ſervatam in cœlis in vobis,

ocet ad quam hereditatem regenerati ſi-
: & ſenſus eſt; regeneravit nos in ſpem
, quæ vita eſt hereditas ad nos ùt filios
entura. Et innuit, non novam eſſe hanc
curam pro ſuis electis, ſed eam jam olim
rigine mundi, ex quo cœlos fecit, hanc
ris filiis ſuis hereditatem *in cœlis* repoſi-
conſervaſſe, quæ eſt omnibus una, & ſin-
s tota; ex *Bern.*

. 5. *Qui in virtute Dei cuſtodimini*
fidem in ſalutem, paratam revelari
tempore noviſſimo.

ommendatio eſt gratiæ Dei, qui, quos
neravit, eoſdem *cuſtodit* & facit perſeve-
: *per fidem*, inquit, quâ creditis *ſalutem*
vitam venturam ita repoſitam in cœlo; ut

jam *parata* ſit, exhibenda tamen ſuo *tempore* videlicet in fine ſeculi: vel regeneravit nos ad hereditatem incorruptibilem, videlicet ad ſalutem *in ultimo tempore revelandam*; ex *Eſtio*.

℣. 6. *In quo exultabitis, modicùm nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus:*

In quo ſcilicet in eo quòd ſpes noſtra conſervata in cœlis & ſalus parata ſit revelari &c. *exultabitis* græcè, *exultatis*. q. d. Eorum quæ dixi conſideratione meritò gaudetis & exultatis: ſunt enim maxima bona, quorum certa ſpes gaudium excitat in animis credentium inter medias tribulationes modicùm ſeu breviter duraturas. *Contriſtari autem in variis tentationibus*, idem hìc eſt quod dolore affici ob varias afflictiones: ùt *Jac*. 1. ℣. 2. Addit autem *ſi oportet*; quia quamvis piè viventibus tribulationes numquam deſinunt; ùt *Act*. 14. ℣. 21.; non tamen ſemper nec omnibus æquè graves incumbunt. Tamen quoties occurrunt, æquo animo ferendæ ſunt. Undè, *ſi oportet* idem eſt, ac ſi ita res ferat: pro quo *infrà* c. 3. dicit, ſi voluntas Dei velit: ex *Eſtio*.

℣. 7. *Ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Jeſu Chriſti:*

Ut probatio &c., id eſt, ipſa fides per tribulationes probata, vel ipſa patientia probans, q. d. Si aurum, quod perit, probatione per ignem redditur hominibus pretioſum & carum: cur non Deus fidei probationem exigat per afflictiones, ut ea coram ipſo reſplendeat, gratiorque fiat? Nam ùt auro non antè ſuus habetur honos quàm purgatum & probatum fue-

ta ſignificat fidem, poſteaquam ritè fuerit
ıinata & probata, gloriâ & honore coro-
am à Deo; id eſt, ipſum hominem me-
idei coronandum: ùt *Jac.* 1. ℣. 12. *In re-*
ione Jeſu Chriſti, quæ erit in die Judicii:
ſtio.

. 8. *Quem cùm non videritis, diligi-*
in quem nunc quoque non videntes
'itis: credentes autem exultabitis
tiâ inenarrabili & glorificatâ:

ıudat hâc parte electòs, quòd Chriſtum
ı nec viſum nec cognitum ita fide recepe-
ut tamen dilexerint, dilectione utique ex
quâ diligendus eſt, qui Deus & homo
idemque hominum ſalvator. Scribit *Pe-*
ad Judæos diſperſos quorum plurimi
ſtum non viderant. *In quem nunc quoque*
videntes creditis: credentes autem &c.
ùs eſt; & cùm ne nunc quidem eum vi-
is; *credentes* tamen in eum *exultatis* ob
ı promiſſæ felicitatis gaudio ineffabili &
ificato, id eſt, glorioſo. Pro *exultabitis*
ndum *exultatis*; pro quo etiam verti
ſt *exultate* ùt citat *Aug. l.* 2. *de ſymb.*
Sed meliùs vertitur *exultatis*: ex *Eſtio.*

. 9. *Reportantes finem fidei veſtræ,*
tem animarum.

lulti de *ſalute* futura interpretantur; quia
mortem corporum ſalutem expectamus
ıarum ac noviſſimè totius hominis. Verùm
dicit *reportantes*, potiùs accipiendum vi-
ır de ſalute in genere cujus initium eſt in
vita, ùt *ad Epheſ.* 2. ℣. 8., *Tit.* 3. ℣. 5.
'uc. c. 5. ℣. 20. Salvamur enim dum juſtifi-
ur: ſed ea ſalus primùm imperfecta, dein
ɔaulatim augetur, ut in futuro ſeculo per-

ficiatur. Porrò fructum *fidei* hìc *finem* ejus vocat; quia fructus cauſæ finalis rationem habet. *Paulus* tamen *ad Rom.* 6. ℣. 22. de utroque diſtinctè loquitur; & finem ultimum intelligit: ex *Eſtio*.

℣. 10. *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:*

Salutis de qua loquitur magnitudinem amplificat à ſtudio veterum prophetarum qui divino ſpiritu moti de ea diligenter inquiſierunt, & *qui de futura in vobis gratia* ſeu ſalute *prophetaverunt*. Salutem quippè gratiam vocat, ut intelligant eſſe beneficium planè gratuitum: ùt notat *Eſtius*.

℣. 11. *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænuncians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias:*

Senſus eſt, Prophetas attentos & auſcultantes ad revelationem Spiritûs ſancti, quo præditi erant, pio ſtudio inquiſiviſſe, quo tempore, poſt quot annos, quo mundi aut rerum Judaïcarum ſtatu venturam ſalutem, gratiam, & Chriſti regnum Spiritus ejus ſignificaret: videtur reſpexiſſe ad *Dan.* 9., ubi legitur quomodo Daniel oratione, jejunio &c. ſe præparaverit ad viſionem quâ ei revelatum fuit poſt quot annorum hebdomadas Chriſtus venturus & paſſurus eſſet. Dicit *Spiritus Chriſti*, ut Chriſti divinitatem innuat, cujus Spiritus per prophetas *paſſiones ejus* teſtatus fuit priuſquam acciderent, *prænuntians* ſeu prædicens *eas* in Chriſtum venturas nec non *gloriam* paſſionibus ſucceſſuram nempè reſurrectionis, aſcenſionis, ſeſſionis ad dexteram Patris; ùt *Luc. ult.* ℣. 26.; ex *Eſtio*.

℣. 12. *Quibus revelatum eſt quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos, qui Evangelizaverunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.*

Quibus quidem prophetis revelationes de his quæ dixi factæ ſunt, non tam ipſorum cauſâ, quàm veſtri, qui eratis ipſorum libros lecturi: non enim *ſibimetipſis*, ſed *vobis miniſtraverunt*, annuntiantes ea futura, *quæ nunc vobis annuntiata ſunt* eſſe completa; ſcilicet ut ex comparatione & conſenſu eorum, quæ prædicta ſunt à prophetis, cum iſtis quæ nos vobis annuntiavimus, fides veſtra confirmetur. *Per eos qui evangelizaverunt*, id eſt, per nos Apoſtolos, alioſve Evangelii miniſtros, *Spiritu Sancto*, græcè, *in Spiritu ſancto*, id eſt, per Spiritum ſanctum, *è cœlo miſſum*, *Act.* 2. *In quem* Spiritum ſanctum, quem cum Patre & Filio unum Deum *Angeli* ſumma cum voluptate intuentur deſiderio videndi numquam ceſſaturo; vel *in quem* Chriſtum etiam ùt hominem, præſertim nunc glorificatum, *Angeli proſpicere* gaudent, quia per Chriſtum inſtaurantur omnia, quæ in cœlis & quæ in terra ſunt, *Epheſ.* 1. ℣. 10. *Greg. Hom.* 8. *ſuper Ezech.* de Deo abſolutè interpretatur. At græca lectio conſtanter habet, *in quæ*; quam *Eſtius* adſtruit hunc ſenſum allegans: *in quæ* ſcilicet ea quæ nuntiata ſunt vobis de ſalute & redemptione à prophetis prædicta, *Angeli* penitiùs *introſpicere deſiderant*. Eſt autem hæc magna Evangelii dignitas, quòd ejus Sacramenta cognita etiam Angelos lætificant, & ad ampliùs cognoſcendum excitant, cœleſtes divitiæ habitæ appetitum excitant: terrenæ faſtidium generant, ait *Greg.*; ex *Eſtio*, quem conſule.

℣. 13. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti:*

Succingit *lumbos* corporis qui per continentiam concupiſcentiam refrænat carnis: *mentis* autem *lumbos* ſuccingit qui à noxiis erroribus intellectum & à vanis illicitiſque cogitationibus & internis deſideriis coërcet affectum. Itaque *ſuccincti* &c. *perfecti ſperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam*, ſive *perfectè ſperate*, ex Græg. *Gratiam* vocat, gratuitum illud beneficium ſalutis de qua ſuperiùs locutus eſt. *In revelationem*, plures ac meliores codices legunt, *in revelatione Jeſu Chriſti:* quod refertur vel ad verbum *offertur*; & ſenſus eſt: *gratiam* ad illos quibus ſcribit deferri, *in revelatione Chriſti*, id eſt, dum Chriſtus eis per Evangelium revelatur ac manifeſtatur. Vel refertur ad verbum *Sperate*; ut ſenſus ſit: in hanc gratiam nunc vobis oblatam conſtanter & perſeveranter ſperate uſque in revelationem Chriſti, id eſt, uſque in diem quo Chriſtus revelabitur ac palàm omnibus apparebit veniens in judicium. Hujus revelationis Chriſti jam egit *ſuprà* ℣. 5; ac rurſum *infrà* c. 4. ℣. 13. Nec aliam *Paulus* intellexit 1. *Cor.* c. 1. ℣. 7. & c. 3. ℣. 13. & 2. *Theſſ.* 1. ℣. 7. Itaque ſenſus hic probabilior eſt: excitat enim Apoſtolus ad perſeverantiam ſpei, propoſitâ gloriâ cujus cum Chriſto participes ſunt futuri: ſic & *Paulus* ad *Coll.* 3. ℣. 4. & *Joannes* 1. *Ep.* 3. ℣. 2.; ex *Eſtio.*

℣. 14. *Quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis:*

Quaſi filii obedientiæ; quod etiam refertur

rbum *Sperate : non configurati*, græcè,
iquam conformati & addicti *prioribus* il-
uæ *ignorantiæ veſtra* tempore fuerunt,
ipiſcentiis, ita *Gaig*. Dum ſcilicet adhuc
remini in tenebris infidelitatis & igno-
e veſtræ, priuſquam affulſiſſet vobis lux
gelii.

15. *Sed ſecundùm eum, qui vocavit Sanctum : & ipſi in omni converſa- ſancti ſitis :*

rtatur ad imitationem ejus, à quo vocati
: quomodo Deus, inquit, *qui vos vocavit*
lduxit ad gratiam ſuam, totus ſanctus eſt
omni coinquinatione purus : ſic & vos
mi *veſtra converſatione* ſanctitatem, id eſt,
litiam ſectamini : ex *Eſtio*.

16. *Quoniam ſcriptum eſt : Sancti s, quoniam ego Sanctus ſum.*

iptum eſt Levit. 11., 19., 20. & 21. q. d.
iam & populus Deo quem colit, & Sa-
otes Deo cui miniſtrant, & filii Patri à
creati & regenerati ſunt, vitæ converſa-
: debent aſſimilari, ùt *Matth*. 5. ℣. 48. Non
n æqualitas præcipitur, ſed ſimilitudo &
cipatio ſanctitatis, quanta per imitationem
ri poteſt. Hinc collige ſanctitatem non
la peccatorum remiſſione conſiſtere, quod
nt ſectarii; ſed præcipuè in ornatu & ope-
ne virtutum : ex *Eſtio*.

17. *Et ſi patrem invocatis eum, qui acceptione perſonarum judicat ſe- dùm uniuſcujuſque opus, in timore latûs veſtri tempore converſamini.*

ortatus eſt ad ſanctitatem vitæ; nunc mo-
ſanctæ converſationis adjungit, ut ſcili-

cet *in timore converſentur* ſuamque ſalutem operentur, ne vanâ ſecuritate ſeipſos fallant. Dicitur Deus *judicare ſinè acceptione perſonarum* tum hoc loco quàm alibi ùt *Deut.* 10., *ad Rom.*2., & *Gal.*2.; quia in exercendo judicio ſolùm reſpicit ad merita cauſæ, non ad perſonæ qualitates à cauſa alienas: atque hoc eſt quod dicit: *ſecundùm uniuſcujuſque opus*, id eſt, pro cujuſque merito: & ſenſus eſt; *ſi tanquam* filii in oratione quotidiana *Patrem invocatis eum*, *qui* citra reſpectum *perſonarum judicat* unumquemque ſecundùm opera: id eſt, qui non tantùm Pater, ſed & judex eſt: igitur cum *timore* ei ſervire debetis tempore *incolatûs*, ſeu peregrinationis veſtræ in mundo; non eſtis enim de hoc mundo, ùt dicitur *Joan.* c.15. ℣. 19. & c. 17. ℣. 14. & *Pſal.* 119. ℣. 5.

℣. 18. *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis:*

q. d. Quantò majus eſt pretium quo redempti eſtis à corruptione vitæ carnalis: tantò ampliùs timere debetis; ne fortè ad corruptelam vitiorum revertendo animum veſtri redemptoris offendatis, ita *Beda.* Similis exhortatio legitur ad *Heb.* 10. ℣. 29. *De vana veſtra converſatione* &c., id eſt, redempti eſtis à *vana converſatione paternæ traditionis*, quâ velut ſub ſervitute tenebamini. Sed quæſtio eſt, quam vocet *converſationem paternæ traditionis*. Omiſſis variis interpretationibus quarum aliquas refellit hìc *Eſtius*, probabilius apparet intelligi *converſationem*, quâ Judæi ſtudiosè retinebant & obſervabant traditiones à Majoribus ſuis inſtitutas, eaſque partim vanas partim noxias; de quibus Judæos Dominus reprehendit *Matth.* 15.

r. Quare & Lex à *Petro* dicta eſt jugum
ortabile *Act.* 15.; ita *Eſtius*.

r. 19. *Sed pretioſo ſanguine quaſi
i immaculati Chriſti, & incontami-
i:*

ocet eos ad quos ſcribit, ita redemptos
Chriſti ſanguine à ſervitute vanæ conver-
nis ſuæ: quomodo patres eorum à ſervi-
Ægypti liberati fuerant & redempti il-
agni ſanguine quo Chriſtus præfigurraba-
qui propter innocentiam & patientiam *ag-*
omparatur. Dicitur *immaculatus & incon-
natus*; quia de Spiritu ſancto conceptus &
irgine natus ſinè macula peccati. Quam-
utem & aliàs ſæpè per agnum Chriſtus
ge fuerit obumbratus; propriè tamen ad
im paſchalem reſpicit *B. Petrus*. Nec du-
i eſt, quin Prophetæ & Apoſtoli quoties
Chriſto ſub nomine *agni* loquuntur, ad
dem præcipuè reſpexerint: ùt *Iſaïæ* 33.
n locum de Chriſto *Philippus* exponit
8.; *Jerem.* 11., *Joan.* 1., 1. *Cor.* 5. &
c. 11. ex *Eſtio*.

. 20. *Præcogniti quidem ante mun-
conſtitutionem, manifeſtati autem
iſſimis temporibus propter vos,*

ræcogniti, id eſt, *præordinati*: ſignificatur
i præſcientia Dei practica, quâ nimirùm ita
piam præcognoſcit, ut idipſum ſuo tem-
: velit exequi. Significatur autem Chriſtus
no Dei conſilio præordinatus ad tantum
rum bonum, ſcilicet ut effuſo ſanguine ſuo
redimeret. *Manifeſtati autem noviſſimis
oribus*. Quamvis, inquit, Chriſtus ab æter-
uerit ad opus redemptionis à Deo præor-
itus; non tamen ab initio mundi ad hoc

miſſus eſt; ſed demùm his *ultimis temporibus* exhibitus, & redemptionis opere peracto per Evangelii prædicationem mundo *manifeſtatus* eſt. Omni quidem tempore ſalus per Chriſtum redemptorem eſt, ſed poſtquàm venit &c., multò copioſior ejus fructus ad homines pervenit: ex *Eſtio*.

℣. 21. *Qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo:*

Fideles eſtis in Deo, græcè, *qui per ipſum creditis in Deum*. Dicit ℣. 20. *propter vos*, quia quiſque fidelis ſic debet affectus eſſe erga beneficium redemptionis, ut quamvis illud, aut omnibus aut multis ſit commune, ſibi tamen propriè præſtitum agnoſcat & pro eo ita gratias agat; de quo affectu *Paulus* loquitur *ad Gal.* 2. ℣. 20. Nam reverà ſic curat unumquemque Deus tamquam ſolum curet: ùt ſcribit *Aug. l.* 3. *Confeſſ.* c. 1. Alii *propter vos*, inquiunt, electos, penes quos, ùt ait *Proſper ad* 1. *reſp. object. Vinc.*, redemptionis eſt proprietas. Verùm, ait *Eſtius*, nec hi nec illi docent, cur dictum ſit; *manifeſtati propter vos*; quod erat explicandum. Pro quo meminiſſe oportet hæc ad Judæos ſcribi, quibus factæ fuerant promiſſiones de Chriſto: ùt dicitur *Rom.* 15. ℣. 8., *Act.* 13. ℣. 46. & *Matth.* 15. ℣. 24. Hoc igitur eſt quod ait, *propter vos* Judæos principaliter venit & mundo *manifeſtatus fuit*. Nam quod addit, *noviſſimis temporibus*, ſignificat eis plùs præſtitum quàm patribus eorum, quibus Chriſti myſterium adhuc obſcurum erat, imò pleriſque incognitum. Porrò quod dicit, *qui per ipſum fideles eſtis*, indicat manifeſtationem Chriſti non omnibus eis prodeſſe, ſed ſolùm credentibus in Deum authorem tanti benefi-

Addit *per ipſum*, id eſt, Chriſtum, ut
nus & ipſam fidem ejuſque initium non
per Chriſti merita haberi poſſe; ùt notat
el. *Qui ſuſcitavit eum à mortuis & dedit
oriam*. Initium enim glorificationis Chriſti
in ejus reſurrectione, progreſſus & aug-
tum in aſcenſione ejus in cœlum & miſ-
e Spiritûs Sancti; deindè in Evangelii per
em prædicatione. Per hæc enim mundo
ifeſtatum eſt Chriſtum eſſe Dei filium ac
um Deum, ipſumque ùt hominem exal-
m eſſe ſuper omnem creaturam uſque
lexteram Dei, ùt *Joan*. c. 5. ℣. 23., c. 12.
3., & c. 17. ℣. 5. *Ut fides veſtra, & ſpes eſſet
eo*. Quod duobus modis exponi poteſt.
s ſenſus eſt: Deus Pater gloriam divini-
dedit Chriſto, ut dum creditis & ſperatis
hriſtum, non ſit ea *fides & ſpes veſtra* in
homine, ſed *in Deo*: Alter ſenſus eſt;
s idcircò Chriſtum à morte ſuſcitavit &
loriam provexit, ut vos in ipſum velut
nplar reſurrectionis & gloriæ aſpicientes,
eretis Dei promiſſis & ab eo ſperaretis,
etiam, ùt illius capitis membra, & reſur-
iros & gloriam adepturos. Hic ſenſus,
Eſtius, meo judicio potior eſt. Nam &
rrectione & gloriâ Chriſtì Apoſtoli potiſ-
m ſuam de Chriſto ſalvatore prædicatio-
confirmabant: ſic *Petrus Act*. c. 2. ℣. 32.;
℣. 31. & c. 4. ℣. 33. Quò pertinet &
17. ℣. 39. Et conſonat cum ℣. 3. *hujus ca-*
: ex *Eſtio*.

. 22. *Animas veſtras caſtificantes in
lientia charitatis, in fraternitatis
re, ſimplici ex corde invicem dili-
attentiùs*:

o *Caſtificantes* in græco eſt participium

præteriti temporis, *qui purificaſtis* vel cùm purificaveritis *animas veſtras in obedientia veritatis:* & ſenſus eſt; cùm per fidem, quâ obeditis & acquieſcitis veritati, purificaveritis, vel ùt Syrus vertit, ſanctificaveritis animas veſtras. Græci addunt *per Spiritum* videlicet ſanctum; quo ſignificatur, neminem credere, nec animam ſuam credendo purificare poſſe, niſi Deo ad hæc efficaciter movente. *In fraternitatis amore ſimplici* &c. græcè, *In fratrum amorem non ſimulatum, ex puro corde alius alium diligite impensè.* Ex quo patet *ſimplici* cum *amore* jungendum eſſe non cum *corde* cui in græco jungitur *puro.* Cùm autem dicat ex *puro corde*, excludit amorem impurum & omnem eum, quo proximus non propter Deum diligitur, q. d. *diligite* vos invicem ex puro corde in fraternam ſocietatem, id eſt, in unum corpus (aut collegium) fraternæ charitatis; ita *Gaig.* & *Eſtius.* Porrò totius exhortationis ſumma eſt: ſicut purificati eſtis fide; ſic etiam puram deinceps exhibete charitatem in veſtra converſatione, ut actiones reſpondeant generationi, tamquam vita ſecunda vitæ primæ: de qua ſequitur.

℣. 23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum:*

Cùm fraternitatis meminerit, oſtendit ex qua nativitate nos fratres dixerit, ſcilicet *ex ſemine incorruptibili, per verbum Dei vivi* &c. græcè, *per verbum Dei vivum & permanens in æternum.* Per quæ docet ſemen incorruptibile, ex quo in ſecunda nativitate renati ſumus, eſſe Dei verbum viventis, & manentis in æternum: ùt *Joan.* 1. ℣. 13.

℣. 24. *Quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit.*

℣. 25. *Verbum autem Domini manet in æternum.........*

Verba hæc deſumpta ſunt ex *Iſaïæ* 40. juxta verſionem LXX.; adducuntur autem ad declarationem utriuſque ſeminis corruptibilis & incorruptibilis. Nam verba in ℣. 24. citata docent, hominem carnaliter natum (qui *carnis* nomine ſignificatur) quamvis ad tempus floreat, caducum & mortalem eſſe, inſtar herbæ creſcentis in agro, quæ pulchritudinem ſuam citò amittit. Ex quo intelligendum relinquit, ſemen ex quo naſcitur, corruptibile & mortale eſſe. Verba autem in ℣. 25. citata indicant, ſemen illud, ex quo renati ſumus, eſſe incorruptibile: nam ſemen illud eſt verbum Dei, quod *Iſaïas* teſtatur *in æternum manere.* Et ſanè ſi Deus vivit & manet in æternum, ſequitur quòd & verbum ejus ſemper maneat. Sed quæres; quod eſt hoc verbum? Sequitur.

℣. 25. ...... *Hoc eſt autem verbum, quod evangelizatum eſt in vos.*

Cajetanus & alii *verbum hoc evangelizatum* interpretantur ipſum Chriſtum Dominum Deum & hominem, qui eſt verbum Dei Patris, manens cum eo in æternum; quem proindè etiam dicunt ſemen incorruptibile ex quo renati ſumus. At alii rectiùs *verbum* intelligunt Evangelicæ prædicationis, de quo & *Paulus* agit *Rom.* 10. ℣. 8. Nam & Chriſtus dicens, *ſemen eſt verbum Dei*; non ſeipſum ſed verbum Evangelii dicere voluit. Quod verbum Dei dicitur; quia Deus illud nobis loquitur per ſuos Apoſtolos. Verbum autem Evangelii idem eſt

quod verbum fidei, quatenùs fide ſuſcipitur. Quare non aliud hujuſmodi ſententiis ſignificatur, quàm renaſci, mundari, juſtificari, ſalvari hominem per fidem, quâ credit Evangelio ſibi annuntiato. De hoc verbo *Paulus* agit *Epheſ.* 5. ℣. 26.; & *Jacobus* c. 1. ℣. 18. *Paulus* quidem hunc ſenſum explicat *ad Rom.* c. 10. ℣. 8. & 9.; & *Aug. tract.* 80. *in Joan.* *Petrus* itaque hìc colligendum relinquit, eos qui renati ſunt ex ſemine incorruptibili, id eſt, ex verbo Dei, incorruptibiles & immortales futuros: ùt & in 1. *Joan.* c. 2. ℣. 17.; ex *Eſtio.*

CAPUT II.

Monet ut ad Chriſtum lapidem electum & angularem accedant: ſanctè inter Gentes converſentur: Principibus pareant, injurias patienter ferant.

℣. 1. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones,*

Ex præmiſſa regeneratione, quâ renati erant & fratres effecti inter ſe, infert hanc exhortationem ad ea vitia fugienda quæ fraternæ dilectioni contrariantur. Enumerat quinque: *malitiam*, cùm quis datâ operâ nocet alteri: quatuor reliqua per ſe nota ſunt. *Deponere* pro relinquere phraſis eſt Apoſtolica, ubi de vitiis agitur: ita & *Paulus* ad *Epheſ.* 4., *Coloſ.* 3. & *Heb.* 12.

℣. 2. *Sicut modò geniti infantes, rationabile, ſinè dolo lac concupiſcite: ut in eo creſcatis in ſalutem:*

Renati eſtis, inquit, ex ſemine verbi Dei,

igitur omni vitiorum vetuſtate depoſitâ, velut *infantes* nuper nati, *lac rationale* & ſincerum appetite. Lactis nomine doctrinam indicat Evangelicam, id eſt, fidei & morum præcepta; quæ cùm ſint pura, ſincera & immaculata lactis candore ſignificantur. Nec pugnat, quòd *Paulus* lactis uſum attribuat imperfectis, 1. *Cor.* 3. & *Heb.* 5.; *Petrus* verò ad lac appetendum hortetur fideles in genere, tam perfectos quàm imperfectos. *Petrus* enim non opponit lac cibo perfectorum ùt *Paulus* facit, ſed vetuſtati vitæ: lac quippè eorum eſt, qui ſunt novi homines. *Rationale lac* vocatur ab Apoſtolo ad ſignificandum agi de lacte non corporis ſed animi: undè & Syrus vertit, *ſpirituale*; & congruit cum *Rom.* 12. ℣. 1. Et ſenſus eſt: lac Evangelicæ doctrinæ quam ſemel accepiſtis, quotidiè adhuc more infantium appetite & ſugite, *ut in eo creſcatis in ſalutem*, hoc eſt, ut per illud adoleſcatis, id eſt, magìs ac magìs in hac vita nova, ad quam eſtis renati, proficiatis, donec virile robur, id eſt, perfectam aſſequamini ſalutem: ex *Eſtio.*

℣. 3. *Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.*

Eſt hìc exhortationis confirmatio à dulcedine lactis priùs perceptâ. q. d: Jam antè percepiſtis (quando ſuſcepiſtis Evangelium) quàm bonus & *ſuavis eſt Dominus*: igitur hujus tam ſalutaris doctrinæ ſuccum ampliùs appetite, quò magìs eo delectati pleniùs aſſequamini perfectionem in Chriſto. Non improbabile eſt, ſub horum verborum velamine participationem ſacræ Euchariſtiæ intelligi, quâ dulcedo bonitatis & gratiæ in ſuo fonte guſtatur. Nam primis Eccleſiæ temporibus ſolebat neophytis ſtatim à baptiſmo dari ſacra Euchariſtia: &

inter ipſas baptiſmi ceremonias lac & mel guſtandum præbebatur, ut veroſimile ſit, *Petrum* ad hæc myſteria reſpexiſſe: quemadmodùm & *Paulus* ad *Heb.* 6. ℣. 4.; ex *Eſtio*.

℣. 4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum:*

Exhortationem confirmat ab excellenti dignitate Chriſtianorum: cui immoratur uſque ad illum locum: *Chariſſimi obſecro vos:* &c. Acceditur ad Chriſtum etiam ab iis qui jam in Chriſto renati ſunt, dum quotidianis virtutum profectibus magìs magiſque ſe ei conjungunt. Chriſtum vocat *lāpidem* propter firmitatem, *vivum* quia non ſolùm in ſe vitam habet, ſed etiam omnes ſibi adhærentes vivificat. Hic autem lapis etſi *reprobatus ab hominibus* tanquam vilis, tamen apud Deum & in oculis Dei valdè pretioſus & honorabilis eſt; ùt quem teſtatus ſit Deus ſuum eſſe filium & regem conſtituerit ſuper omnem creaturam & conſedêre fecerit ad dexteram ſuam & nomen dederit ſuper omne nomen; ex *Eſtio*.

℣. 5. *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.*

Metaphoram de lapide Chriſto etiam ad fideles accommodat, oſtendens quemadmodùm *& ipſi ſint lapides vivi*, Chriſto lapidi coagmentandi: ſenſus autem eſt; meritò vos exhortatus ſum *ut in eo creſcatis* &c.; quia dum ad Chriſtum, qui eſt lapis vivus &c., profectibus quotidianis acceditis; *ipſi quoque tanquam vivi lapides ædificamini*, ſupple, ſuper eo velut

velut lapide fundamentali qui ſuſtinet totam ſpiritualis ædificii molem. Vocat lapides *vivos*, ut inſinuet eos non ita collocari quomodò lapides inſenſibiles, qui ſeipſos movere non poſſunt; ſed ùt vitam in ſe habentes, ipſi ſeſe bonis actionibus ac ſtudiis, adjuvante Deo, promoveant: quod & ſignificatum eſt verbo, *accedentes*. *Domus ſpiritualis*, pro quo in aliquibus codicibus legitur, *ſurſum ædificamini in domum ſpiritualem*: quod *Eſtio* tamquam explicatio veræ lectionis probatur: & ſenſus eſt; fideles ita ædificari, id eſt, componi inſtar lapidum, ſuper Chriſto lapide fundamentali, ut conſtituant unam *domum ſpiritualem*, quæ eſt *Eccleſia* ſic dicta, non quia occulta & inviſibilis eſt, ùt hæretici erroneè interpretantur; ſed tum ad differentiam domûs materialis, tum propter ſignificationem myſterii: Eccleſia enim domus ſpiritualis ſeu myſtica eſt reſpectivè ad tabernaculum Moyſis & templum Salomonis, quæ illam præfigurarunt. Ædificantur autem fideles non ſolùm ùt domus ſpiritualis, ſed ùt *Sacerdotium ſanctum*: quo velut collectivo nomine intelligitur cœtus, collegium & chorus ſacerdotum, ita ut ſinguli ſint ſacerdotes non propriè dicti tamen ſed myſtici: ſicut enim de domo myſtica ſic & de ſacerdotio improprio & generaliter accepto *Petrum* loqui manifeſtè declarant verba ſubjuncta: *Offerre ſpirituales hoſtias*, quæ ſunt proprii actus ſacerdotii ſpiritualis, ſcilicet opera virtutum, ùt eleëmoſynæ, orationes, jejunia, cor purum & contritum &c. Quæ vocantur hoſtiæ ſpirituales ad differentiam carnalium V. Legis; vel generatim ad diſcrimen cultûs externi qui ad interiorem referri debet. *Per Jeſum Chriſtum*, quæ verba aliqui referunt ad omnia præcedentia; alii ad ſolam hanc partem, *acceptabiles Deo*: alii ad

offerre. Offerimus enim hoſtias illas *per Chriſtum* in quantum ille mediator & ſacerdos noſter eas Deo offert atque ita Deo reddit acceptabiles: ita ut ſivè referas ad *acceptabiles* ſivè ad *offerre*, ſenſus fèrè coïncidat: ex *Eſtio*.

℣. 6. *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur.*

Propter quod, græcè, *Ideò & continet Scriptura:* quod quia obſcurum eſt, variè exponitur. *Eraſmus* duas refert conjecturas veriùs quàm expoſitiones. 1ⁱ lapis ille, de quo locutus ſum, *continet* in *Scriptura*, id eſt, Scripturæ teſtimonio deſcribitur continens & connectens in ſe duos populos tamquam duos parietes, dum vocatur lapis angularis. Quia verò græcum verbum περιέχει interdùm *excellere* ſignificat: hinc alteram addit, ſcilicet; Propterea *in Scriptura excellit*, id eſt, excellens iſte lapis declaratur in Scriptura dicente; *Ponam in Sion lapidem* &c. Rem meliùs attigiſſe videtur *Joan. Heſſel.* qui monet verbum illud græcum accipi poſſe ut ſit verbum ſcholaſticum à quo deducitur περιοχὴ, id eſt, ſumma, capitulum, argumentum, ut ſit ſenſus; qua de re locus, ſeu capitulum extat in Scriptura. Nam quia dixerat *Petrus*, Chriſtum lapidem vivum, à Deo electum & honorificatum, ad id probandum adducit ex Scriptura prophetica *Iſaïæ* 28. ℣. 16. teſtimonium, quod citat magìs quoad ſenſum; verbis enim & ordine differt ab eo quod legitur vel in Hebræo vel apud LXX. Senſus autem prophetiæ eſt: Ecce ego, dicit Dominus ad populum Iſraël, faciam in vobis rem novam ac longè præter merita veſtra: nam in Sion, hoc

eſt, in Eccleſia quæ ortum habebit in monte Sion in Jeruſalem, ponam loco fundamenti Chriſtum Salvatorem ùt *lapidem angularem* &c. Angularis vocatur, quia Hebræâ phraſi Principes in populis *anguli* dicebantur: ùt *Jud.* 20. ℣. 2., 1. *Reg.* 14. ℣. 38. & *Iſaïæ* 19. ℣. 13.; præcipuè tamen quia ſicut lapis angularis in ædificio duos inter ſe parietes connectit; ita Chriſtus duos populos Judaïcum & gentilem in ſe conjungit: quam rationem *Paulus* ſpectavit *ad Epheſ.* 2. ℣. 20 & 21. *Electus* eſt hic lapis, hebraïcè, *probatus* ſcilicet præ omnibus aliis, *quia non eſt in alio aliquo Salus*, *Act.*; 4. ideòque & *pretioſus* ac ſummo honore dignus, adeò ut *in nomine ejus omne genu flectatur*, &c. *Philipp.* 2. *Et qui crediderit in eum, non confundetur*, græcè, *nequaquam pudefiet*; hebraïcè, *non feſtinabit*: quomodo plerique Græci tranſtulerunt. Senſus tamen utriuſque verſionis eòdem redit; eſtque hujuſmodi. Qui crediderit quæ dico de lapide in Sion mittendo & ſalute per eum ſperandâ; ne feſtinet ad rem promiſſam, impatiens moræ, quaſi ſtatim debeat exhiberi; neque ſi differatur, ſpem abjiciat; ſed patienter exſpectet. Non enim pudefiet; id eſt, non fruſtrabitur exſpectatâ ſalute. Citat hanc prophetiam *Paulus ad Rom.* c. 9. ℣. 33. & c. 10. ℣. 11.; ita *Eſtius*.

℣. 7. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:*

℣. 8. *Et lapis offenſionis, & petra ſcandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.*

Ex eo quòd dixerat ℣. 6. *Et qui crediderit*

in eum, non confundetur: infert, *igitur vobis credentibus honor & gloria* eſt lapis iſte, ſcilicet in judicio Dei: de quo honore *Paulus* agit *Rom.* 2. ℣. 10. *Non credentibus autem*, id eſt, ex græco, *Nolentibus credere* ſeu fidem repellentibus, *lapis quem reprobaverunt ædificantes*, ſcilicet Judæorum principes, *hic factus eſt in caput anguli*, hoc eſt, eis quantumvis invitis & renitentibus datus eſt Judex & Rex, qui rebelles duro ac juſto imperio coërceat atque puniat. Promotus autem in caput ædificii & regem populi à Patre, nunc regnat donec illos incredulos ſeu inimicos ſuos ponat ſcabellum pedum ſuorum. Quibus interim eſt *lapis offenſionis*, hebraïcè, *percuſſionis & petra ſcandali*, id eſt, lapis in quem ipſi graviter impingant ab eodem collidendi & conterendi; ùt dicitur *Matth.* 21. *His qui offendunt verbo nec credunt*, id eſt; *His* qui impingunt in verbum Evangelii ſibi annuntiati, nolentes illud recipere; ſed eo offenſi, contradicentes & blaſphemantes, ùt de iis dicitur *Act.* 13. *His*, inquam, Chriſtus *factus eſt lapis offenſionis. In quo & poſiti ſunt.* Quæ verba varié exponuntur: ſenſus autem magìs germanus *Eſtio* videtur hujuſmodi. *In quod*, id eſt, ut offendant in verbum & non credant, *poſiti* & ordinati ſunt à Deo, videlicet permittente propter eorum peccata præcedentia & propter gloriam ſuam quam ex juſta eorum punitione ſibi parat: convenit hic ſenſus *Rom.* c. 1. ℣. 24., & c. 9. ℣. 17., 1. *Theſſ.* c. 3. ℣. 3. & c. 5. ℣. 9.; deniquè & præſenti inſtituto quàm maximè: loquitur enim *Petrus* de Judæis reprobatis: quam reprobationem ſenſus jam datus explicat quatenùs illi dicuntur à Deo permiſſi cadere in peccatum infidelitatis: ita *Eſtius*.

℣. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.*

Ad fideles orationem reflectit quorum felicitatem ampliſſimis verbis prædicat, deſumptis à Moyſe qui eadem Populo Iſraëlitico ſpecialiter præ aliis gentibus ad cultum Dei electo attribuit. Multò tamen magìs ac veriùs Chriſtiani ſunt *genus electum*, quia non ad terrenam poſſeſſionem ſed ad cœleſtem ex toto hominum genere gratuitò electi & vocati ſunt à Deo. *Regale Sacerdotium*, quia, ùt inquiunt *Beda* & *Heſſel.*, illius ſcilicet Chriſti corpori uniti ſunt, qui Rex eſt & Sacerdos: undè tamquam ejus membra Apoſtolo dicuntur Sacerdotes, ſed impropriè, ùt jam *ſuprà* dictum eſt ad illud, *offerre hoſtias Spirituales*. Reges verò vel quia Deo ſubditi ſunt, cui ſervire regnare eſt, vel ideò maximè quia prædeſtinatione & vocatione Reges ſunt ſpirituales, utpotè filii & heredes Dei, coheredes autem Chriſti; juxta *Luc.* 22. ℣. 29. Locus hic conferendus eſt cum *Apoc.* 1. & 5. Vide etiam *Aug. de civ. l.* 20. *c.* 10. *Gens Sancta.* Iſraëlitæ quidem tales erant externâ & legali ſanctitate: Chriſtiani verò dicuntur *gens ſancta* & apud *Iſaïam* c. 62. *populus ſanctus* propter internam veramque ſanctitatem, id eſt, puritatem à contaminatione vitiorum; à qua propriè Eccleſia *ſancta* vocatur: juxta *Joan.* 17. ℣. 19., *Epheſ.* c. 1. ℣. 4. & c. 5. ℣. 25. & *ſeqq.* & *Heb.* 13. ℣. 12. *Populus acquiſitionis*, græcè *in acquiſitionem*. Quales erant filii Iſraël quòd Deus eos in manu valida à tyrannide Pharaönis eripuerat: ſed Chriſtiani potiori jure, quos Chriſtus pre-

tioſo ſanguine ſuo è poteſtate Diaboli redemit. *Ut Virtutes annuntietis* &c. Quibus verbis *Petrus* declarat cauſam finalem acquiſitionis prædictæ, nempè gloriam Dei. *Ut* ſcilicet *virtutes* ſeu potentias Dei, in opere redemptionis & ſanctificationis mirabiliter elucentes annuntient. *Qui de tenebris* infidelitatis & ignorantiæ *vos vocavit* gratuitâ prædeſtinatione *ad lumen* fidei *admirabile*, quia ejus myſteria intellectum ſuperant: ex *Eſtio.*

℣. 10. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

Totus hic verſus deſumptus eſt ex *Oſee* c. 2., certè quia vult explicare & commendare, quod dixit, *Populus acquiſitionis.* Hunc locum *Paulus* ad *Rom.* 9. citat ad probandum etiam gentes à Deo vocatas fuiſſe. Senſus eſt. Qui hactenùs fuiſtis *non Dei populus*; quia veram & ſalutarem Dei rerumque divinarum notitiam non habuiſtis, quia mandata Dei propter traditiones paternas irrita feciſtis, inſuper & gentium corruptelis ac ſuperſtitionibus impliciti fuiſtis: *nunc* Chriſto per ſuos Apoſtolos in unam fidèm & Eccleſiam vos colligente facti eſtis *populus Dei. Qui* quondam & antehàc à Deo derelicti fuiſtis in tenebris ignorantiæ veſtræ, *nunc* per ejus miſericordiam & gratiam, non autem veſtris meritis quæ nulla erant, adducti eſtis ad lumen fidei; & aſſumpti ad eam dignitatem, ut ſitis genus electum, &c. ex *Gaig.* & *Eſtio.*

℣. 11. *Chariſſimi, obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam,*

Redit ad exhortationem, admonens, ut tantæ dignitati vocationis ſuæ ſanctâ converſatione reſpondeant, q. d. *Vos* qui eſtis *advenæ* diſperſionis, extorres è terra patrum veſtrorum, exhortor & *obſecro tanquam* ſpiritualiter *advenas & peregrinos*, id eſt, hujus mundi hoſpites, qui debetis cogitare nihil vobis, etſi inter homines ſeculo deditos agentibus, commune eſſe debere cum deſideriis & vanitatibus ſeculi: ſed animis & ſtudiis ſemper tendere ad cœleſtem patriam, exemplo ſanctorum Patriarcharum qui confitentes ſe peregrinos & hoſpites eſſe ſuper terram, ſignificabant ſe *patriam inquirere* utique cœleſtem, *Heb.* 11. Et ùt peregrinos ab omnibus abſtinere oportet quæ nimiùm gravant, ita nos orbis hujus incolas & peregrinos, qui meliorem patriam & manentem ſubſtantiam inquirimus, *à carnalibus deſideriis*, quæ animam gravant, & *adversùs illam militant*, abſtinere oportet; ait *Gaig.*

℣. 12. ***Converſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.***

In eo quòd detrectant, ſeu potiùs detractant, græcè, *obloquuntur, detrahunt.* Quidam iſtas *detractiones* interpretantur, quòd dicerentur Chriſtiani humanas carnes edere, videlicet occaſione ſumptâ ex myſtica participatione corporis & ſanguinis Domini: cujus calumniæ

meminerunt *Juſtinus Martyr in* 1. *Apol.*, *Euſeb. l.* 5. *hiſt. Eccl.* c. 1. & *O cum.* Rurſus quòd dicerentur in myſteriis uti promiſcuâ venere, ex *Juſtin. in* 2. *Apol.*, cui calumniæ materiam præbuerant Gnoſtici hæretici turpia exercentes in ſuis conventiculis. Alii quòd malefici & publicæ tranquillitatis perturbatores: alii referunt ad alias calumnias paganorum adversùs Chriſtianos, de quibus *Tertul. in Apol.* & *Heſſel.* Sed cùm *Petrus* ſcribat ad fideles qui ſunt ex circumciſione, veriſimiliùs eſt detractiones intelligi quibus obnoxii erant Judæi, de eo maximè quòd Religionis & libertatis prætextu Principibus & Magiſtratibus ethnicis minùs eſſent obedientes, & minùs civiliter iis inter quos vivebant ſeſe accommodarent: atque huc *Petrum* reſpicere, ſatis probant ſequentia. *Ex bonis operibus* &c. Senſus eſt: Benè & honeſtè inter gentes converſamini: ut qui malè de vobis loquuntur, opera veſtra bona *conſiderantes*, *glorificent* & laudent *Deum*, qui tales habet cultores: hic enim ſcopus eſſe debet bonarum actionum, ùt docet Chriſtus *Matth.* 5. ℣. 16. *In die viſitationis*, quam aliqui exponunt inquiſitionem hominum mundanorum, qui malè de Chriſtianis loquebantur. Alii *viſitationem* intelligunt divinam quâ ſcilicet Deus viſitat homines. Quidam de die judicii interpretantur, quando impii conſpectâ juſtorum gloriâ Dei juſtitiam agnoſcent vel inviti, ùt c. 5. Alii rectiùs *diem* intelligunt *viſitationis* in hoc ſeculo, cùm ſcilicet Deus per ſuam gratiam obtrectatores illos viſitare dignatur, convertens eorum corda à detractione & odio ad benevolentiam; ex *Eſtio.*

℣. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive regi quaſi præcellenti:*

Senſus eſt: *ſubditi eſtote*, cuicumque homini ſuperiori, ſive Judæus ille ſit ſive Gentilis, & ſive Chriſtianus ſive infidelis; deniquè ſeu bonus, ſeu malus. Notat *Eſtius*, hæc intelligi de legitima poteſtate quamvis ea fortè, ut ſæpè fit à tyrannide & malis artibus initium duxerit; nec non de juſtis legibus, ex *Heſſel*. Quo tempore hæc ſcripta fuit Epiſtola, princeps Imperii Romani erat Domitius Nero Chriſtianorum perſecutor, ſub quo *Petrus* ipſe qui hæc ſcribit & *Paulus* martyrium ſubierunt: liquet ergò ex doctrina Apoſtolica, principibus etiam infidelibus & valdè malis obediendum eſſe. *Propter Deum*, cujus vices gerunt Reges &c. ut *Rom.* 13. ℣. 5. Græci legunt, *propter Dominum*, ſcilicet Chriſtum, qui hoc præcepit, *Matth.* 22. ℣. 21.; ex *Eſtio*.

℣. 14. *Sive ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

Sunt qui præſides interpretantur; cujuſmodi in Judæa fuerunt *Pilatus*, *Felix*, *Feſtus* &c. alii quoſlibet magiſtratus Rege inferiores: qui à Deo *miſſi* ſunt ad tuendam reipublicæ pacem, ut malefacta ſuppliciis, benefacta præmiis proſequantur; ex *Eſtio*.

℣. 15. *Quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:*

q. d. Hoc vult & præcipit Deus, ut ſitis ſubditi regibus & magiſtratibus, ita namque futurum, ut *obmuteſcere* cogantur increduli, qui

ſolent de vobis malè loqui, quamvis vera ſint hæc: vel meliùs voluntas Dei eſt vos benefaciendo cohibere maledicentiam infidelium; ùt *Tit.* 2. ℣. 8.; *ex Eſtio.*

℣. 16. *Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.*

Senſus eſt: ſubjecti eſtote *tanquam liberi*, id eſt, liberaliter & non ſerviliter legibus principum parentes: vel *tanquam liberi*, id eſt, à peccatis per Chriſtum liberati, qui proindè juſtitiam colere debetis & facere quod *Paulus* præcipit, *Reddite omnibus debita. Rom.* 13.; & in hoc quod principibus obeditis, *Deo ſervitis*, qui id præcipit; ſervitus autem Dei humilitatem requirit, ait *Gloſ.*

℣. 17. *Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.*

Senſus eſt: *Omnes* honorandos *honorate* etiamſi Gentiles aut infideles; ùt *Rom.* 13. ℣. 7. Omnes qui fratres ſeu Chriſtiani eſtis, mutuo amore complectimini; ſic ut neque divites deſpiciant pauperes, nec Judæi Gentiles dedignentur habere in ſacramentis & converſatione ſocios. *Deum timete:* quod præceptum interſerit, ut ſi quod homines præcipiunt aut volunt, quod Dei voluntati contrarium ſit, ab eo revocemur timore Dei. Rex ſeu princeps honoratur, cùm ejus excellentia quam inter homines habet, agnoſcitur obſervatione legum; ex *Eſtio.*

℣. 18. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

Servis neceſſaria fuit hæc admonitio; ne

propter eos, ſi prætextu libertatis Chriſtianæ ſervitia detrectarent aut minùs eſſent obſequentes, malè audiret apud ethnicos Chriſtiana religio. Quæ cauſa fuit ut & *Paulus* ſæpiùs hoc præceptum inculcaret: ut *Epheſ.6.,Col.3*, 1.*Tim.* 6. & ad *Tit.* 2. *In omni timore*, id eſt, cum omni reverentia: *etiam diſcolis*, græcè, *pravis* ſeu *moroſis*: ex *Eſtio*.

℣. 19. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè.*

Conſolatio eſt ſervorum qui pravos & injuſtos patiebantur Dominos. Verba autem, *propter Dei conſcientiam*, variè exponuntur: rectiùs autem, *conſcientia Dei* dicitur conſcientia de Deo: ut ſenſus ſit: Hoc eſt enim opus Deo valdè gratum & ſingulari laude dignum, ſi quis Dei reſpectu, id eſt, ut Deo placeat quem animo gerit, triſtia & moleſta patienter ferat; dum injuſtè & præter meritum affligitur: ex *Eſtio*.

℣. 20. *Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſufferitis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum.*

Id eſt; quid magnum aut ſingulare, ut de eo laudem quis expectet aut gloriam, ſi propter delictum quis cæditur? *Sed ſi benefaciens*, ac nihilominùs patiens ſuſtineat, *hæc eſt gratia apud Deum*, id eſt, opus hujuſmodi vehementer gratum eſt Deo, vobiſque laudem & gloriam pariet: ex *Eſtio*.

℣. 21. *In hoc enim vocati eſtis : quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.*

In hoc. id eſt, hâc enim lege vocati eſtis, ita ſe habet profeſſio veſtra : ut benefacientes mala patiamini & patienter ſuſtineatis, ùt *Act.* 14. ℣. 21. Quoniam etiam pro vobis, inquam, ſervis, non minùs quàm pro liberis *Chriſtus paſſus eſt*, eâdemque ſuâ paſſione etiam *vobis exemplum reliquit* quod imitemini, *inſequentes veſtigia* humanitatis non divinitatis.

℣. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus :*

Sumptum hoc eſt ex *Iſaïæ* c. 53. quod totum de Chriſti paſſione eſt : & ſenſus eſt : tanta eſt Chriſti innocentia, ut nec facto, nec verbo peccaverit. Si autem planè innocens paſſus eſt, quid grave, ſi vos quorum nemo ſinè peccato eſt, patiamini? Et ſi innocens paſſus eſt pro vobis ut exemplum patientiæ vobis relinqueret; debetis & vos, peccatores, pati, ut ejus veſtigia ſequamini; nempè ſpontaneam paupertatem, cumulatam utilitatem, tam aſſumptam quàm illatam pœnalitatem, ait *Bern.*

℣. 23. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat : cùm pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti ſe injuſtè :*

Non maledicebat, græcè, *non regerebat maledicta* : ùt patet ex hiſtoria Evangelica. *Non comminabatur*, id eſt, non regerebat minas in eos qui plagis aut malis ipſum affligebant : non enim minatus eſt Chriſtus *dum pateretur*; ſed Judæis anteà vitia & incredulitatem aliquando meritò exprobravit. *Tradebat autem judicanti ſe injuſtè*

ſcilicet Pilato; ſicut ait *Iſaïas* c. 53. ℣. 7. *oblatus eſt quia ipſe voluit.* At græca lectio habet, *judicanti juſtè*; cujus ſenſus eſt: Chriſtus non ſe ipſum vindicabat, ſed tradebat ſeu committebat cauſam ſuam Deo, qui juſtè judicat, judicandam & vindicandam: juxta illud *Deut.* 32. à *Paulo* repetitum *Rom.* 12. & *Heb.* 10. *Mihi vindicta, ego retribuam.* Videtur autem *Petrus* reſpexiſſe ad id quod *Jeremias* c. 11. ℣. 20. & *David Pſal.* 42. ℣. 1., in perſona Chriſti dixit. *Aug. tract.* 21. *in Joan.* cum Græcis legit, ùt & *Fulgent. ad Traſim.* Et hæc lectio *Eſtio* germana videtur.

℣. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis.*

Reſpicit ad *Iſaïam* c. 53. ℣. 4; & ſenſus eſt: *qui* ipſe per ſe *peccata*, non ſua ſed *noſtra*, tanquam pondus grave, ſuſtulit ac portavit *in ſuo corpore ſuper lignum* crucis cui erat affixus, ut ad vitam juſtitiæ & ſanctæ converſationis nos reformaret. q. d. Meminiſſe vos volo, dum injuſtè cædimini à Dominis veſtris, quæ Chriſtus pro vobis paſſus ſit: qui etiam non ſinè graviſſima ignominia ſervorum more flagris cæſus fuit non ob ullum ſuum meritum, ſed veſtri causâ. Nam per ejus *livores*, plagas, & vulnera vos ſanati eſtis à plagis peccatorum veſtrorum; ex *Eſtio*.

℣. 25. *Eratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem, & epiſcopum animarum veſtrarum.*

Hic rursùs reſpicit ad *Iſaïæ* 53. ℣. 6. & ſenſus eſt: *Eratis enim* præcipuè vos de indigentibus orti, *ſicut oves* ſinè Paſtore *errantes*, per diverſa abrupta vitiorum vagantes, morſibus

luporum expoſiti, ſæpiùs in pœnam puniti & dilacerati, *ſed converſi eſtis nunc* tempore gratiæ & paſſionis Chriſti gratuitæ *ad paſtorem, & epiſcopum* ſcilicet Chriſtum : qui *Paſtor* eſt, quia paſcit, regit & fovet nos doctrinâ, ſacramentis, ſanctiſſimæ vitæ ſuæ exemplis ; potiſſimùm autem internâ ſuæ gratiæ inſpiratione : *Epiſcopus* verò quia vigilans ſuper nos, & infirmitates atque neceſſitates noſtras conſiderans ſalutis noſtræ curam aſſiduè gerit. Et in his reſpicit ad *Iſaïæ* 40. ỳ. 11. & *ad Ezech.* 34. ỳ. 23. ex *Eſtio.*

CAPUT III.

Sui officii viros & mulieres admonet : hortatur ad virtutum opera. Deinde Arcam Noë baptiſmi figuram fuiſſe docet.

ỳ. 1. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis : ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſinè verbo lucrifiant,*

UXores vult ſubeſſe viris ſuis etiam infidelibus : *ut* etiam illi, *ſi qui non credunt verbo*, id eſt, prædicationi Evangelicæ, Chriſto *lucrifiant*, & ad credendum inducantur per ſolam *mulierum converſationem* honeſtam & obedientiam, idque *ſinè verbo*, id eſt, jam ceſſante verbo prædicationis, quia illud repulerunt : ex *Eſtio.*

ỳ. 2. *Conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.*

Quod ait *caſtam* intellige non ſolùm abhorrentem ab adulterio, ſed etiam à corruptelis

libidinum, quæ ſint præter naturam aut honeſtatem, *in timore*, quia anchora cordis timor, ait *Greg.* ex *Eccl.* 27. ℣. 4.

℣. 3. *Quarum non ſit extrinſecùs capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus :*

Græcè, *quarum ſit non externus in capillorum plicatura, aut in appoſitione auri, ac veſtium amictu, cultus & ornatus.* Quibus verbis etſi non vetet Apoſtolus ornatum corporis exteriorem, obliquè tamen notat immodicum luxum muliebrem, ſpecies quaſdam vanitatis deſignans : quarum 1a Capillos arte criſpare, aut in cincinnos componere. 2a Reticula auro intexta capillis aut capiti apponere. 3tia Corpus pallio pretioſiore ac ſplendidiore veſtire ; ut 1. *Tim.* 2. ; ex *Eſtio.*

℣. 4. *Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritûs, qui eſt in conſpectu Dei locuples.*

Quarum ornatus ſit non ille exterior qui adhibetur homini exteriori & corruptibili, ſed qui verſatur circa hominem interiore & fit in virtutibus non perituris, manſuetudine & quiete animi. In quibus obſervanda eſt antitheſis inter hominem exteriorem & interiorem, & inter ornatum utriuſque illum corruptibilem & foris conſpicuum, iſtum incorruptibile & hominibus occultum, ſed Deo manifeſtum, & *qui eſt in conſpectu Dei locuples*, græcè, *quod eſt*, refertur enim ad *Spiritum* quæ vox græcè neutrius generis eſt : & ſenſus eſt : qui ſpiritus ſive animus, ejuſmodi virtutibus ornatus, res eſt in conſpectu Dei pretioſa, id eſt, valdè grata : ex *Eſtio.*

℣. 5. *Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris.*

Exemplis ſanctarum mulierum V. Teſtamenti exhortationem ſuam confirmat. q. d. Ita demùm reputabant ſe mulieres progenitores veſtræ, quarum ſpes erat in Deo & cura Deo placere, pulchrè comptas & ornatas ſi viris ſuis ſubditas & obedientes ſemetipſas exhiberent, affectantes moribus placere non veſtibus, ait *Aug.*

℣. 6. *Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus eſtis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.*

Ex omnibus *Saram* nominat ùt totius generis parentem cujus exemplum meritò attendere debeant, ac ſi verbis *Iſaïæ* 51. dicat: *Attendite ad Saram quæ peperit vos.* Obedientia Saræ commendatur, quòd virum ad remotas regiones proficiſcentem, locaque ſubinde mutantem, ſemper ſecuta ſit; quòd eo jubente ſe ejus ſororem dixerit; quòd imperante *Gen.* 18. *Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce*, ſtatim obtemperaverit: deindè ſubjectionem viro ſuo oſtendit, *Dominum eum vocans* *Gen.* 18. ℣. 12. *Cujus* Saræ *eſtis filiæ* non ſolùm carne ſed & ſpiritu ſeu imitatione dum *benefacitis*, dum bonas ejus actiones ac virtutes præſertim obedientiæ promptitudinem, *Gen.* 18., moribus veſtris exprimere ſtudetis. Quod dum facitis, non eſt quòd metuatis quidquam mali, velut ne maritis veſtris diſpliceatis ſi minùs comptæ incedatis, aut ne ſerviliter vos tractent ſi faciles ad obſequium vos præbeatis, ùt ſolent de rebus nihili conſter-

nari mulieres: ſed & ſi fortè nacti eſtis maritos iniquiores, ſilentio potiùs ac patientiâ quàm multis verbis ſtudete eorum animos lenire, ex *Eſtio*. Alii intelligendum putant de *perturbatione* & pavore ob ſupervenientes afflictiones & tentationes quales multæ in primitiva Eccleſia; q. d. tantùm benefacere ſtudeatis & ob nullam rem paveatis, quia ad nullam rem pavet mens ſibi conſcia recti, ita *Gaig.*

℣. 7. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.*

Vult viros moderatè ac temperanter ſe habere erga uxores: *cohabitare enim ſecundùm ſcientiam* eſt converſari ſeu convivere prudenter & cum ratione. *Impertientes honorem tamquam coheredibus gratiæ. Hieronymus* interpretatur *honorem* abſtinentiam à coïtu nimio, ne paſſim tamquam pecus ignorans vir illam cognoſcat, ſed cum ſcientia & diſcretione ne per immoderatam libidinem interrumpantur *orationes*, ùt 1. *Cor.* 7. ℣. 5. & *Eccl.* 3. ℣. 5. Sic *Aug. in Pſ.* 146. & *Oecum. Impertientes*, inquit, *honorem tamquam coheredibus gratiæ vitæ*, id eſt, conſiderantes quòd non modò compares & conſortes ſunt in conjugio, ſed in *gratia*; quia ad eandem gratiam vocati eſtis cum illis. *Gratiæ vitæ*, hoc eſt, vivæ gratiæ phraſi Hebraïcâ. Dicit autem, quaſi *infirmiori vaſculo muliebri*, per vaſculum more Scripturæ (ùt 1. *Reg.* 21. ℣. 5., 2. *Cor.* 4. ℣. 7. & 1. *Theſſ.* 4. ℣. 4.) intelligens corpus; quod infirmius dicit, quia ſexus muliebris & corpore & mente infirmior eſſe ſolet.

℣. 8. *In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles:*

Quidam legunt *in fide*; meliùs *in fine*, hoc eſt, deniquè, in ſumma *omnes unanimes* ſitis, id eſt, idem ſentite, idem ſapite, ſit vobis cor unum & anima una; condoleſcentes & *compatientes* invicem, ùt *Rom.* 12. *Fraternæ* unitatis & concordiæ conſervatores: bona veſtra pauperibus communicantes, ſervantes modum in omnibus, ſic ut his ne ſuperbiatis, ex *Gloſ.*

℣. 9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrariò benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hereditate poſſideatis.*

Sed è contrà benedicentes: quod eſt perfectæ & abundantis patientiæ, ùt *Rom.* 12. q. d. Benè juſtum eſt, ut qui æternam expectant *benedictionem*, ſemper in ore eorum reſonet benedictio non maledictio, *Gloſ.* Quod quiſque in futuro invenire deſiderat, hoc in præſenti meditari & agere ſatagat, ex *Gloſ.*

℣. 10. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam ſuam à malo, & labia ejus ne loquantur dolum:*

Quod ſtatim propoſito præmio benedictionis cœleſtis ad benedicendum proximis hortatus eſt, confirmat *Pſal.* 33. ℣. 13. juxta verſionem LXX. Senſus eſt: *qui vult* & *diligit vitam*, aut qui diligendo diligit, id eſt, vehementer diligit vitam, cohibeat *linguam ſuam* à maledictis ſeu conviciis, & *labia* ſua cohibeat ne per ea proximo ſuo *loquatur cum dolo*;

ùt *Pſal.* 33. ℣. 14. Porrò quòd *David* ſecundùm litteram dixiſſe videri poteſt de longævitate & felicitate temporali, quam ſervantibus legem promittebat V. Teſt., à *Petro* juxtà ſenſum ſpiritualem tranſl.tum, ſeu ſi mavis, extenſum eſt ad felicitatem vitæ æternæ quam promittit N. Teſt. Qui ſenſus etiam & quidem principaliter à Spiritu S. & Davide fuit intentus: ex *Eſtio.*

℣. 11. *Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam:*

Quia non ſatìs eſt *declinare à malo*, ſed oportet etiam quod *bonum eſt facere*, ùt *Matth.* c. 3. ℣. 10. & c. 7. ℣. 19. *Inquirat pacem* &c., id eſt, paci ſtudeat: ùt *Jerem.* c. 29. ℣. 7., & c. 38. ℣. 4.

℣. 12. *Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini ſuper facientes mala.*

q. d. Qui fecerit quæ dicta ſunt, vitam conſequetur & dies bonos, id eſt, felicitatem; is enim juſtus eſt: *Dominus* autem juſtitiam colentes benignis oculis reſpicit, id eſt, promptus eſt ad exaudiendum & præſtandam vitam quam petunt & dies bonos quos diligunt. *Vultus autem Domini* &c. id eſt, Dominus etiam quidem reſpicit eos qui faciunt mala, ſed torvo ſuæ indignationis reſpectu: non ut ſervet, ſed ut aliquando perdat &c.; ex *Eſtio.*

℣. 13. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?*

Nemo vobis verum inferet nocumentum, ſi ſectemini quod bonum eſt, ùt *Rom.* 8. ℣. 28. & 31.: ex *Beda.*

℣. 14. *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.*

Quòd ſi etiam contingat vos affligi *propter juſtitiam* & pietatem; non ideò minuetur vobis felicitas promiſſa à *Davide*; imò ſic quàm maximè eritis *Beati*, videlicet ſpe certiſſimâ regni cœleſtis; ùt *Matth.* 5. ℣. 10. *Timorem autem eorum* &c., id eſt, ne timeatis perſecutores veſtros, terrorem vobis immittentes propoſitis ſuppliciis & damnis temporalibus. *Timere timorem* Hebraïſmus eſt.

℣. 15. *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.*

Chriſtum, græcè, *Deum*: apud *Iſaïam*, *Dominum exercituum ipſum Sanctificate.* Fortè *Petrus Chriſtum* nominavit, ut innueret ejus Divinitatem; cùm ille ſit *Dominus exercituum*, de quo Propheta. Senſus eſt. Ex intimo corde *Chriſtum Dominum ſanctificate*, id eſt, ſanctum ac metuendum agnoſcite. Et talem, ut ab omnibus agnoſcatur, prædicate, non ſermone tantùm, ſed rebus ipſis; ùt *Matt.* 6. ℣. 9. *Parati ſemper* &c. Senſus eſt: & quoniam infideles ſpem veſtram, quam in Chriſto habetis de vita & gloria futura, jactitant inanem eſſe: propterea, inquit, moneo, ut ſemper habeatis in promptu, velut ex meditato, reſponſionem, quâ ſpem veſtram ſeu fidem gloriæ ſperatæ rationabilem oſtendatis, ſive ſit adverſarius ſive quiſpiam diſcendi cupidus, qui rationem à vobis exigat, cur in præſenti vita tam dura patiamini contemnentes bona vitæ hujus: ita *Eſtius*, qui monet, Apo-

ſtolum his verbis unicè velle ut unuſquiſque fidelis ſecundum ſtatum & capacitatem ſuam conetur *ad ſatisfactionem* illam paratus eſſe.

℣. 16. *Sed cum modeſtia & timore, conſcientiam habentes bonam : ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem.*

Præcipit fideles interrogatos de fide, non contentiosè nec arroganter, aut protervè reſpondere ; ſed cùm manſuetudine & *modeſtia*; deindè & cum timore ſeu reverentia prout ea cuique perſonæ debetur : ita enim fiet, ut qui malè de illis loquuntur tamquam de maleficis & ſceleratis hominibus, ipſi viciſſim tanquam calumniatores ſanctæ veſtræ converſationis malè audiant & erubeſcant ; ùt *cap. præc.* ℣. 12.

℣. 17. *Melius eſt enim benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.*

Addit, *ſi Deus velit*, ut intelligamus nullam afflictionem nobis inferri ab hominibus, ne quidem à diabolo niſi Deo volente, & non tantùm permittente. Et in his verbis conſolatio eſt, ab eo quod magis optabile eſt, ſimul & à voluntate Dei, cui acquieſcendum eſt : ex *Eſtio.*

℣. 18. *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.*

Quod dixerat Apoſtolus, *melius eſt benefacientes pati*, nunc confirmat exemplo Chriſti, qui cùm ipſa juſtitia eſſet, paſſus & *mortuus eſt, juſtus pro injuſtis. Pro peccatis* ſcilicet to-

tius generis humani ſed ſpecialiter electorum; idque ſemel tantùm: Mors enim Chriſti una eaque numquam iteranda valet ad omnium ſeculorum peccata delenda. *Ut nos offerret*, græcè, *adduceret* ad Deum, à quo erraveramus, ut dixit *cap. præc.* ℣. 25. *Mortificatus quidem carne*, id eſt, mortuus ſecundùm carnem, *vivificatus autem ſpiritu* ſcilicet per reſurrectionem. Verus horum verborum ſenſus pendet ab intellectu vocabuli *Spiritu*. Quidam ſpiritum interpretantur vel divinitatem vel Spiritum S., & aſſignant hunc ſenſum: qui Chriſtus, dum pateretur, carne quidem, quam mortalem & infirmam gerebat, occiſus eſt & mortuus; ſed virtute divinitatis quæ per mortem ab eo non fuit ſeparata, vel virtute ſpiritûs S. *vivificatus eſt*, id eſt, ad vitam reſuſcitatus; ita *Oecum.*, *Aug.* & *Athan.* Qui ſenſus convenit cum 2. *Cor.* 13. ℣. 4. Alii verò interpretantur animam Chriſti, de qua moriens dixit Patri: *In manus tuas commendo Spiritum meum. Luc.* 23; ita *Eſtius* allegans hunc ſenſum: *vivificatus Spiritu*, id eſt, animâ, quia per reſurrectionem factus eſt in ſpiritum ſeu animam vivificantem; quatenùs tunc anima ejus cæpit perpetuam & immortalem vitam corpori ipſius ſubminiſtrare. Similis ferè locus eſt 1. *Cor.* 15. ℣. 45. Confirmatur hic commentarius per antitheſim quam facit Apoſtolus *carnis & ſpiritûs*: ita *Eſtius* qui citat *Epiph. hær.* 51.

℣. 19. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit:*

℣. 20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.*

Locus hic omnium penè interpretum judicio difficillimus variè exponitur, & variè à pluribus legitur: ſed lectio vulgatæ germana eſt, excepto quòd in græco habeatur; *quando exſpectabat Dei patientia:* & ſic legitur *in Miſſali Romano per Clem. VIII.* correcto; ſic & legunt *Hieron. Aug.* & alii: hinc veriſimile putat *Eſtius*, irrepſiſſe mendum in vulgatam verſionem. Omnes ferè etiam Sectarii conſentiunt, per *Spiritus* in ℣. 19. intelligi *ſpiritus humanos*, id eſt, animas hominum mortuorum; Chriſtumque *iis in carcere*, id eſt, in inferno conſtitutis prædicaſſe. Præcipua quæſtio eſt, quibus & quid Chriſtus *in ſpiritu* ſeu ſecundùm animam *veniens*, græcè, *profectus* ad eos, *prædicaverit*: Illud enim, *In quo*, exponitur *in ſpiritu*, conſequenter ei quod præceſſit, *vivificatus autem ſpiritu*. Sunt autem de ea quæſtione tres generatim opiniones. Quidam enim ſolos bonos ſpiritus intelligunt, quibus prædicata & præſtita ſit ex inferioribus locis liberatio; alii ſolos malos, quibus denuntiata & confirmata damnatio: alii deniquè tam bonos quàm malos, quorum aliis liberationis ſententia, aliis damnationis annuntiata fuit. *Eſtio* prima plus ceteris habere videtur probabilitatis; ita tamen ut ex parte totum intelligatur, id eſt, quod dicitur prædicatum fuiſſe *ſpiritibus qui fuerant olim increduli*, extendatur ad omnes ſpiritus ſalutis capaces in inferno poſitos, quando Chriſtus illuc advenit; tam eos qui erant tunc in ſinu Abraham (ſeu in limbo

Patrum) quàm qui pœnis adhuc detinebantur purgatoriis: inter quos erant aliqui ex iis *qui increduli fuerant in diebus Noë*. Etenim valdè credibile eſt juxta *Pſal.* 77. ℣. 34., multos ex iis qui prædicationem Noë contempſerant aut neglexerant (quos proptereà *Petrus* hìc *incredulos* vocat) ſuperveniente diluvio pœnitentiam occaſione hujus timoris concepiſſe veram & juſtificantem, ſed non ab omni pœna. Quorum proindè ſpiritus in carcerem apud inferos detruſi detinebantur donec Chriſto ad ea loca deſcendente liberarentur. Itaque hic locus ita conſtruendus & explicandus videtur. Chriſtus, qui homo hominibus in carne evangelizavit, idem carne mortuus *in ſpiritu*, id eſt, ſecundùm animam profectus ad inferos *prædicavit*, & ùt infrà dicitur, *evangelizavit*, id eſt, lætum attulit nuntium *ſpiritibus* ſeu animabus quæ apud inferos in carcere, velut pœnarum loco, concluſæ detinebantur: *Qui* quidem ſpiritus, olim carne induti, *increduli fuerant*, tunc nimirùm *quando Deus patienter* ac longanimiter (centum annos) eos *exſpectabat*, quo tempore *Noë* juſſu Dei *fabricabat arcam*, in qua ipſe cum ſua familia, quæ in octo hominibus conſiſtebat, ſervatus fuit ab aquis diluvii. Chriſtus autem evangelizavit, ſe eſſe redemptorem, & ad hoc veniſſe ut eos è carcere liberatos unà ſecum & cum S. Patrum ſpiritibus eveheret ad cœleſtia: juxta *Iſaïæ* 61. ℣. 1. & *Luc.* 4. ℣. 18. *Petrus* hujus prædicationis mentionem fecit, ut oſtenderet virtutem paſſionis Chriſti, de qua loquebatur, non ſolùm ad vivos ſed & ad inferos pertinere, juxta *cap. ſeq.* ℣. 5. & 6. Et quidem ſpeciatim eorum, qui diluvio perierunt, meminit; quia numquam tanta hominum multitudo ſimul periit, ut meritò ex notabili parte totum intelligatur; deindè

quia viam ſibi facere voluit ad digreſſionem quam mox ſubjungit de Sacramento Baptiſmi, cujus inſignis figura in diluvio & arca præceſſit: ita *Eſtius*, qui breviter Calvini ejuſque ſequacium hujus loci commentarium rejicit.

℣. 21. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti.*

Similis formæ, græcè, ἀντίτυπον; id eſt, typo reſpondens exemplar. Sentit enim, in arca & diluvio typum extitiſſe baptiſmi tamquam antitypi, id eſt, rei per typum illum ſignificatæ. *Quod* refertur ad aquam, græcè ὕδωρ neutrius generis: & ſenſus eſt: Quæ aqua in re illo typo ſignificata; hoc eſt, ipſum hujus aquæ antitypon, quod eſt *baptiſma*, nunc tempore Novi Teſtamenti *nos ſalvos facit* ſalute ſpirituali, quemadmodùm illa aqua ab interitu corporali ſervabat eos qui in arca erant. Aquæ diluvii baptiſmum ſignificant, arca Eccleſiam, vel crucem Chriſti: nam ùt arca fabricata ex ligno; ita crux ex ligno, & per utrumque ſalus. Rursùs familia Noë arcæ incluſa ſignificat eos qui ſunt in Eccleſia. Qui extra arcam eos qui extra Eccleſiam: ùt enim extra arcam nemo ſalvatus fuit, ita nec ſalus eſt extra Eccleſiam; & tamen etiam ſubmerſio eorum qui erant extra arcam bonæ ſignificationis myſterio non caret: ſignificat enim peccatorum omnium in baptiſmo extinctionem atque interitum, ùt *Rom.* 6. Item ſicut per aquam Noë cum ſuis in ſublime eſt elevatus, ita per baptiſmum ſursùm ferimur & cives efficimur regni cœleſtis. Poſtremò ſicut illic per aquam pauci ſervati fuerunt, id eſt, ſoli illi quos arca continebat:

ita ex toto genere humano pauci ſalvi fiunt, nec quidem omnes ii qui aquâ tinguntur baptiſmatis, ſed ii ſoli qui ſeſe intra Eccleſiam continent: ita *Aug. l.* 12. *cont. Fauſ. c.* 14., & *l.* 15. *de Civit. Dei c.* 26. *Non carnis depoſitio ſordium &c.*; quibus verbis Apoſtolus explicat quod dicit, *baptiſma nos ſalvos facere*; & docet in Baptiſmo non tam externam ablutionem (quæ per ſe tantùm valet ad ſordes corporis auferendas) ſpectandam eſſe quàm *conſcientiæ bonæ in Deum interrogationem*. Non dicit, Baptiſmum eſſe bonæ conſcientiæ interrogationem, ſicut hoc nonnulli intellexerunt; ſed cùm in Baptiſmo benè & Chriſtianè ſuſcepto, duo ſint externa ablutio & conſcientiæ bonæ interrogatio, declarat utri potiores partes ad ſalutem ſint tribuendæ, nempè *interrogationi bonæ conſcientiæ*. Sed hanc interrogationem non uno modo omnes exponunt. Multi ſimpliciter intelligunt animum benè conſcium, ùt qui, facto ſui ipſius examine, nihil in ſe reperiat quod indignum reddat fructu Baptiſmi. Alii effectum Baptiſmi ſignificari putant, qui eſt aſperſio ſeu mundatio ſordium à conſcientia mala: ùt ad *Heb.* c. 10. ℣. 22. Nobis, ait *Eſtius*, verus ac germanus ſenſus eſſe videtur, quem tradit *Beda*, Apoſtolum loqui de interrogatione, quæ fit in cæremoniis baptiſmi, dum interogatus is qui baptizari vult, an credat in Chriſtum & renunciet ſatanæ: bonâ conſcientiâ, id eſt, ſeriò & ex animo reſpondet ſe credere & abrenunciare. Quam *interrogationem B. Petrus* appoſitè vocat ἐπερώτημα, id eſt, ſtipulationem quâ inter duos, uno interrogante & alio reſpondente, contractus fieri ſolet. Additur *in Deum*, vel *ad Deum*; vel quia res agitur coram Deo, id eſt, Deo teſte: vel quia an conſcientia bona ſit, ſolus Deus videt. *Per reſurrectionem*, co-

hæret cum parte illa *ſalvos nos facit baptiſma*: ut ſit ſenſus; Baptiſma nos ſalvos facere per Chriſti reſurrectionem: eò quòd Chriſti reſurrectio quandam formam nobis exhibeat reſurgendi ad juſtitiam ac vitæ novitatem, ad quam regeneramur in Sacramento Baptiſmi: juxta *Rom.* 6. ℣. 4. Similis hic locus eſt cum eo quod *Paulus* ad *Rom.* 4. dicit, *Chriſtum reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram*: ita *Eſtius.*

℣. 22. *Qui eſt in dextera, Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum ſubjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus.*

Qui eſt in dextera Dei, hoc eſt, *ad dexteram Dei*: quo non negat, Chriſtum Deum; ſed indicat de eo ſe loqui ſecundùm naturam humanam. *Ad dexteram* enim dicitur quatenùs poſt Deum ſupremam in regno Dei poteſtatem gloriam & dignitatem obtinet, tamquam à Deo ſecundus. *Diglutiens mortem* &c. Præſens ponitur pro præterito: ut ſenſus ſit; Chriſtum ad illam gloriam, quam habet ad dexteram Dei ſedens, evectum fuiſſe poſteà quàm morte & paſſione ſuâ velut causâ meritoriâ; deindè & reſurrectione ad vitam immortalem, velut exemplari causâ, mortem noſtram deglutivit, abſumpſit, ac penitùs ſuſtulit, ut *vitæ æternæ* nos faceret *heredes*: ùt *Iſaïæ* 25. ℣. 8. & 1. *Cor.* 15. ℣. 26. & 54. *Profectus in cælum*: hæc pars aptè connectitur cum illa, *qui eſt in dextera Dei*; hoc modo: *Qui profectus in cælum eſt in dextera Dei. Subjectis ſibi Angelis* &c. quæ verba quoque cohærent primæ parti; hoc ſenſu: Cùm ei ſubjecti eſſent Angeli ſcilicet à Deo Patre. Non

enim ſenſus eſt, cùm ipſe ſibi ſubjeciſſet Angelos. Loquitur enim de Chriſto ſecundùm naturam humanam, cui, ùt in Chriſto erat, Deus Pater omnem ſubjecit creaturam, ut ipſe Chriſtus homo omnibus ſuperior in dextera Dei ſederet. Ita *Paulus* paſſim docet Deum Patrem omnia Filio ſubjeciſſe, etiam Angelicos Spiritus: ùt 1. *Cor.* 15., *Epheſ.*, 1. & *Heb.* 2. referens illud *Pſal.* 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Iſta ſubjectio, de qua *Petrus* loquitur, facta quidem eſt quantùm attinet ad poteſtatem Chriſto homini datâm, quando Verbum caro factum eſt. Nam & Angeli miniſtrabant ei, *Matth.* 4. Sed in ejus poteſtatis plenum quodammodò uſum introductus fuit, poſtquam aſcendit in cœlum, ſeſſurus ad dexteram Patris, & cum eo in æternum regnaturus: ex *Eſtio.* Nota nomine trium ordinum Angelorum reliquos comprehendi, ùt *Epheſ.* 1.; & per *ordinem* hìc intelligi Hierarchiam, ex *Dion.*

CAPUT IV.

Ceſſandum à veteribus delictis, & charitati ſtudendum. Non dolendum ob afflictiones pro Chriſto.

℣. 1. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis:*

SEnſus eſt, cùm igitur ſecundùm carnem *paſſus ſit Chriſtus, & vos eâdem*, id eſt, ſimili *cogitatione armamini*; id eſt, ſic deliberate & conſtituite apud vos, ut quemadmodùm ille pro vobis paſſus & crucifixus eſt carne, ita & vos pro eo patiamini & carnem

veſtram crucifigatis. *Quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis.* Hâc, inquam, cogitatione vos armate; quòd qui, conformatus ſimilitudini paſſionis & mortis Chriſti, ipſe quoque carne mortificatus eſt, jam deſtitit à peccatis velut actionibus vitæ carnalis: Mors enim actiones vitæ excludit ejus cui quis mortuus eſt, ùt *Rom.* 6. ℣. 7. Sentit enim uterque Apoſtolus, ex quo mortui ſumus carne, nihil ampliùs cum ea nobis eſſe negotii. Notandum *carnem* hìc non eodem modo ſumi quo in prima parte: nam illic ſubſtantiam carnis ſignificat; hìc carnalem concupiſcentiam. In eo autem conſiſtit conformatio ad quam hortatur Apoſtolus, ùt ſicut in Chriſto patiente caro mortua fuit, ita in nobis vitia carnis mortificentur: ùt *Rom.* 6. ℣. 11. & 12. Totumque ratiocinium *B. Pauli* quaſi commentarius eſt hujus loci: cui comparari etiam poteſt *Gal.* 5. ℣. 24., *Coloſſ.* c. 2. ℣. 13. & 20., & c. 3. ℣. 3. & 5.

℣. 2. *Ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis.*

Modum explicat deſiſtendi à peccatis, ut ſcilicet omne tempus, quod nobis in carne hac mortali *reliquum eſt* (nam caro rursùs hìc pro ſubſtantia carnis accipitur) vivamus & impendamus non implendis aut ſectandis *cupiditatibus hominum*, id eſt, quas homines ſectari ſolent, *ſed* implendæ *voluntati Dei.*

℣. 3. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis, idolorum cultibus.*

Dicit Apoſtolus, *Sufficit enim*; ut mitiget

exprobrationem anteactæ vitæ; cùm omninò nullum tempus dari potuerit *conſummandæ voluntati Gentium*; quam exponit enumeratione aliquot ejus partium, ſeu vitiorum quæ ab ea procedunt. Ex eo autem quòd dicit *ad voluntatem Gentium conſummandam*, intelligitur *Petrum* hæc ad Judæos ſcribere quibus exprobrat quòd Gentilium voluntati ac moribus ſe accommodaſſent. Et Judæis per orbem diſperſis exprobrat quod *in illicitis idolorum cultibus ambulaverint*, etiamſi idola non adorarent; eò quòd conviviis gentilium in quibus immolatitiæ carnes apponebantur ſeſe miſcerent, ac fortè etiam ſacris intereſſent. Hæc enim ad idololatriam imputari nobis inſinuant Apoſtolorum præcepta: *Pauli* 1. *Cor.* 10. ℣. 7. & 14., & *Joannis* 1. *Ep.* c. 5. ℣. 21.; ex *Eſtio*.

℣. 4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes.*

In quo ſive de quo *admirantur* gentiles tamquam de re nova & extraordinaria quòd non unà cum illis curratis *in eamdem luxuriæ* vel luxûs (ùt omnium rerum immoderatum abuſum intelligas) *confuſionem*; id eſt, ad epulas & ſympoſia luxu confuſa: nec id ſinè maledictis quæ jactant in vos tanquam homines à communi humanitate alienos, *blaſphemantes*, id eſt, maledicentes; vel *in quo* blaſphemant & Deo ac religioni maledicunt; ex *Eſtio*.

℣. 5. *Qui reddent rationem ei, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos.*

Admonet ne frangantur animo dum talia audiunt, ſed cum patientia cauſam ſuam Deo, juſtè judicaturo malos & infideles, committant. *Vivos* intellige quos judex adveniens

vivos reperiet; *mortuos* autem, quicumque jam antè mortui fuerant, morte videlicet corporis, ut 2.*Tim.*4. Alii, ſed minùs litteraliter, intelligunt *vivos* qui in gratia degunt, *mortuos* verò in libidinibus agentes.

℣. 6. Propter hoc enim & mortuis evangelizatum eſt: ut judicentur quidem ſecundùm homines in carne, vivant autem ſecundùm Deum in ſpiritu.

Propter hoc, græcè, *in hoc*, ſive *ad hoc*, ut ad ſequentia referatur. *Et mortuis evangelizatum eſt*; mortuis ſcilicet de quibus egit *cap.* 3. ℣. 19. & 20., cum quo ut hic locus conveniat; exponendus videtur hoc modo: cogentur impii illi & maledici rationem reddere Chriſto Domino, qui veniet judicaturus vivos & mortuos. Nam ut & intelligatis non ſolùm vivos, ſed & mortuos judicaturum; non vivis tantùm ab eo prædicatum eſt evangelium, ſed etiam mortuis; tunc nimirùm quando mortuus ad mortuorum loca deſcendit. Quodnam Evangelium mortuis prædicaverit, ſi quæras: ℟. In genere quidem prædicaſſe idem quod vivis, nempè ſe Meſſiam eſſe & filium Dei qui ſuâ paſſione & morte genus humanum redemerit; ſpeciatim verò, ſe ad ea loca deſcendiſſe, ut, tanquam mortis & inferni victor, ipſos è carcere quo tenebantur eriperet, atque unà ſecum ad cœlos ſubveheret. *Ad hoc* autem, inquit *Petrus*, etiam mortuis evangelizavit Chriſtus, *ut* quamvis *judicati fuerint*, id eſt, puniti carne ſeu corpore quando aquæ diluvii eos ſuffocarunt; & id *ſecundùm homines*, hoc eſt, publicè & in hominum notitia (fuit enim illa punitio manifeſta, nec diſcernebat electos à reprobis) *vivant* tamen feliciter & beati per Chriſti redemptionem in *ſpiritu*, id eſt, animâ, quam

Chriſtus, annuntiato ipſis evangelio, gloriæ ſuæ participem fecit etſi carne adhuc corruptionem patiente: & id *ſecundùm Deum*, id eſt, coram Deo, licèt mundus eos apud Deum vivere neſciat aut non credat. Hunc ſenſum de judicio ſeu punitione jam facta, confirmat verbum græcum κρίνεται quod non futuri ſed potiùs præteriti temporis ſignificationem habet: ita *Eſtius*.

℣. 7. *Omnium autem finis appropinquavit. Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.*

Finem omnium Oecumenius interpretatur, in quo omnium prophetarum vaticinia complentur, ùt *Rom.* 10. ℣. 4. Rectiùs alii mundi conſummationem eſſe in propinquo, quod quo modo intelligatur, vide quæ diximus, *Jac.* 5. ℣. 8. Sobrietatem autem colendam eſſe, ait, ut vigiles & apti ſimus ad frequenter orandum etiam horis nocturnis, ad quod valere ait conſiderationem finis mundi appropinquantis.

℣. 8. *Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Senſus eſt: *ante omnia charitatem*, quam *mutuam* inter vos habetis, *habete continuam*, fovete eam & conſervate; cavete ne diſſidiis ullis interrumpatur. Dicit *ante omnia*, quia nec abſtinentiæ, nec vigiliæ, nec orationes, nec alia quæ putantur pietatis opera ſinè charitate placent & ut placeant, à charitate habent, ùt *Col.* 3. ℣. 14. *Quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Sumpta eſt hæc ſententia ex *Prov.* 10. Ubi in hebræo legitur: *Odium ſuſcitat rixas; & univerſa delicta operit charitas.* Ex quo patet

agi præcipuè de charitate inter homines ; item ſermonem eſſe de delictis proximorum, non autem ejus cujus charitas commendatur. *Operit* autem illa delicta charitas, non ſolùm quòd rixas non ſuſcitet, ſed etiam quòd ſuſcitata componat, atque offenſiones, rixarum cauſas, tollerando diſſimulando atque excuſando, operiat : deniquè quòd quidquid in ſe peccatum eſt, condonet & ut Deus condonet, intercedat & impetret. Hinc illa charitatis epitheta 1.*Cor*.13. ℣. 4. & 5. Ex his autem conſequens eſt, talem charitatem eò magis impetrare ac mereri apud Deum, ut propria peccata remittantur : idque juxta pactum orationis Dominicæ.

℣. 9. *Hoſpitales invicem ſinè murmuratione :*

Charitatis opus inter cetera eſt, hoſpitalem eſſe erga peregrinos & egentes; quod maximè in Scriptura commendatur : ùt *Gen*. 18. & 19., *Iſaïæ* 58., *Matth*. 25., *Rom*. 12., *Heb*. 13. & 3. *Epiſt*. *Joan*. Dicit *invicem*, ſeu alii erga alios, id eſt, divites in pauperes : non enim requirit viciſſitudinem beneficii, niſi intelligas *retributionem in reſurrectione juſtorum Luc*. 14. Addit, *ſinè murmuratione*, eâ ratione quâ *Paulus* vult miſericordiæ opera exerceri *in hilaritate*, *Rom*. 12. & 2. *Cor*. 9., ex *Greg*. *hom*. 7. in *Ezech*.

℣. 10. *Unuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.*

Id eſt ; prout quiſque præditus eſt aliquâ facultate quâ utilis eſſe poſſit aliis ; ita alius in alium, qui opus habeat, illam *adminiſtret*, cum humilitate ſcilicet & modeſtia : & quia *Dei gratia* & donum eſt, ideò aliis libenter illud communicare & tamquam fideles ac boni

L 15

diſpenſatores ſeu Dei miniſtri, ad ejus arbitrium erogare debemus, atque in alios qui non habent & indigent, libenter expendere: ùt docent parabolæ *Matth.* 25. & *Luc.* 19.

℣. 11. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tamquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum: Cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum: Amen.*

Ad ſpecies donorum deſcendit, non omnes ſed duo velut genera proferens: quæ ſunt, alterum *ſermonis*, aliud *miniſterii*. Porrò *ſermones* ſive *eloquia* Dei variè exponunt: vel *Dei* ùt objecti, id eſt, ut ſermones ſint de Deo ac rebus divinis, non de negotiis terrenis: vel *Dei*, ùt authoris ac donantis ipſos ſermones, ùt *Pſal.* 67. ℣. 12. vel *Dei*, ùt loquentis, id eſt, ſermones quos Deus loquitur aut locutus eſt, quomodo paſſim in Scripturis accipiuntur. Hic tertius ſenſus à *B. Petro* ſpectatus videtur: & explicatur hoc modo. *Si quis* accepit à Deo gratiam elocutionis ſive ſermonis, & ad hujuſmodi munus aliquis in Eccleſia vocatur: is loquatur, tanquam Dei ſermones cujus in ea functione miniſter eſt & vicarius: nihil proferat quod verbo Dei vel ſcripto vel tradito non ſit conforme: ùt *Rom.* 12. ℣. 6. & 7. *Si quis miniſtrat* &c., quod *Beda* generatim exponit: tantò humiliùs impendat quiſque proximo omne bonum quod poteſt, quantò certius novit quòd à ſeipſo non poſſit habere quod impendat. *Oecum.* interpretatur de alimentis aliiſque ſubſidiis in fratres pauperes erogandis pro modo facultatum quas Deus dedit. *Eſtius* autem accipiendum putat de miniſteriis quæ in Eccleſia geruntur, cujuſmodi ſunt Epiſcopo-

rum, Presbyterorum &c.; ut ſenſus ſit: Si cui miniſterium in Eccleſia commiſſum eſt, exequatur illud *tamquam ex virtute*, græcè, *robore*, *quod Deus adminiſtrat*, græcè *ſuppeditat*: hoc eſt, ita ſanctè & fideliter exerceat, ut appareat Deum in ſuo miniſterio potenter operari; & ut ita fiat, *ut in omnibus*, quæ agitis, *honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum*, per cujus merita non ſolùm bona agimus, ſed & bona quæ agimus, ad Dei gloriam dirigimus: ex *Eſtio*.

℣. 12. *Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat:*

Senſus eſt: *Nolite peregrinari*, pro quo ex græco ùt *ſuprà* ℣. 4. melius vertitur *admirari* ſeu percelli, tamquam *re novâ* & inſolitâ in probatione & exploratione quæ tanquam per *fervorem* & ignem fit, dum interdùm excitatur adversùs vos incendium perſecutionis ab adverſariis Chriſtianæ religionis; id enim fit, Deo ſic ordinante, tentandi ac probandi veſtri causâ, ſic enim patientia veſtra illuſtrior redditur: ita *Græci*, *Gaig*. & *Eſtius*.

℣. 13. *Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.*

Id eſt; *Sed* ob id *gaudete* quòd *communicantis Chriſti paſſionibus*, hoc eſt, quòd vobis datum ſit pro eo affligi. Excitat verò ad patientiam propoſitâ ſpe ingentis præmii quod futurum eſt in fine ſeculi *in manifeſtatione* gloriæ *Chriſti*, ùt *Matth*. 16. ℣. 27. Similes exhortationes ſunt *Rom*. 8. ℣. 17. & 2. *Tim*. 2. ℣. 11.

℣. 14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.*

Si exprobramini in nomine Chriſti, id eſt, ſi probro vobis vertitur *Chriſti nomen*, in hoc quòd Chriſti nomen profitemini, aut quòd Chriſtiani dicimini, *Beati eritis*, vel potiùs, *beati eſtis* ob ſpem certiſſimam mercedis in cœlo vobis repoſitæ, ut *Matt.* 5. ℣. 11. & 12. Cauſam hujus reddit, *Quoniam*, inquit, *quod eſt honoris* &c., id eſt, *honor gloria & virtus Dei*, imò & *Spiritus ejus ſuper vos* qui talia patimini *requieſcit*: vel meliùs, quia *Spiritus gloriæ* &c. qui idem eſt *Spiritus Dei ſuper vos* talia patientes *requieſcit*. Nam pati pro Chriſto certum eſt ſignum Spiritûs S. habitantis in homine. Dicitur autem *Spiritus gloriæ*, id eſt, ſpiritus glorioſus Dei: vel *ſpiritus gloriæ*, quòd ſit author gloriæ ſeu glorificationis noſtræ. Per hoc enim innuit, eos qui ſpiritûs Chriſti fuerint participes in paſſionibus, in gloria quoque per eundem ſpiritum cum Chriſto communicaturos; ita *Cypr.* & *Oecum.*; ex *Eſtio*.

℣. 15. *Nemo autem veſtrûm patiatur ùt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

Nemo autem &c. græcè, *Ne quis veſtrûm*, ſyriacè, *tantummodò ne quis ex vobis*; & eodem ſenſu venit quod *Tertul.* legit: *Dum ne quis veſtrûm* &c. ſcilicet committat & ſic patiatur pœnas homicidii, furti, aut alterius peccati nomine.

℣. 16. *Si autem ùt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.*

Id eſt, *Si autem* quis ob Chriſti nomen, & quia Chriſtianus eſt patiatur: non reputet ſibi pudori: imò non ſolùm gaudeat, verùm inſuper & glorioſum ducat quòd ùt Chriſtianus patiatur, ùt *Phil.* 1. ℣. 29.

℣. 17. *Quoniam tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?*

A domo Dei, id eſt, ab Eccleſia, ſeu à Chriſtianis bonis, Deique familiaribus & domeſticis, ut eorum quæ in vita geſſerunt rationem reddant, q. d. Si Deus primùm filios & domeſticos ſuos flagellat, utique ad emendationem, quid tandem futurum eſt alienis, incredulis, & inimicis quorum juſtam punitionem interim differt, ut in fine totam ſuper eos iram ſuam effundat, ùt *Jerem.* 25. & 49.

℣. 18. *Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?*

Senſus eſt: *Si juſtus vix*, id eſt, niſi per ſeverum Dei judicium caſtigantis ejus peccata ad ſalutem pervenit, *impius & peccator ubi parebunt*, ſeu *comparebunt*? Id eſt, quomodo ſtare ac ſubſiſtere poterit in Dei judicio, ut non condemnetur & æternis addicatur ſuppliciis. Minùs rectè aliqui difficultatem ſalutis juſtorum referunt ad diem extremi judicii contra *Sap.* 5. ℣. 1. & *Apoc.* 2. ℣. 10. Nam particula *vix* exponenda eſt, per multas difficultates, afflictiones, perſecutiones &c. ùt *Act.* 14. ℣. 21. Quare autem, ait *Eſtius*, *juſtus vix ſalvabitur*, niſi quia vix eſt juſtus, cùm delinquat in multis,

quæ igne tribulationis purganda ſunt. Hinc igitur etiam ſtatui poteſt purgatoria pœna poſt hanc vitam. Nam juſtus non ſalvatur niſi per ſeverum judicium Dei punientis & purgantis ejus peccata; conſequens eſt, iis qui minùs purgati fuerint in hac vita, judicium illud reſtare ſubeundum poſt mortem quo ſatisfiat juſtitiæ divinæ; ex *Eſtio.*

℣. 19. *Itaque & hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.*

Senſus eſt; proindè moneo vos in diſperſione poſitos, ùt non ſolùm bona reddatis pro bonis, ſed & ii, quibus afflictiones etiam uſque ad mortem contingit inferri, deponant *animas ſuas* apud Deum earum creatorem tamquàm fidelem earum cuſtodem, idque cum *beneficentia*, quâ proſequantur etiam perſecutores ſuos reddendo eis bona pro malis.

CAPUT. V.

Præpoſitos inſtituit quo modo paſcere debeant gregem, hortatur ad humilitatem, ad vigilantiam: & gratiam Dei illis prêcatur.

℣. 1. *Seniores ergò, qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator:*

S*Eniores* non ætate ſenes, ſed Preſbyteros quos Sacerdotes vocamus intelligit, ſeu Epiſcopos, ex *Oecum. Et teſtem* ſe vocat *paſſionum Chriſti*, non ideò ſolùm quòd Chriſti paſſiones, id eſt, afflictiones, crucem & mor-

tem verbo prædicaret; ſed quòd Chriſtum patientem opere etiam ipſo teſtificaretur, multis pro eo toleratis afflictionibus. Et dicit ſe *gloria ejus* ſeu Chriſti *communicatorem*, quæ revelabitur in adventu Domini. Aliqui dicunt hanc *gloriæ* communicationem *Petro* contigiſſe in transfiguratione Domini; alii in reſurrectione. Sed probabiliùs eſt, *Petrum* dicere ſe *gloriæ* in adventu Domini *revelandæ communicatorem* ſeu participem ac ſocium futurum: de qua gloria *Paulus* ad *Rom.* 8. ℣. 18. Hujus autem gloriæ ſe conſortem prædicit, vel ex ſpeciali revelatione, cujus meminit *cap.* 2., vel ex bona ac Chriſtiana tantùm ſpe & fiducia: ex *Eſtio.*

℣. 2. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè:

Opponit hæc duo, *coactè* & *turpis lucri gratiâ*, ei quod eſt *ſpontaneè* ſeu voluntariè *ſecundùm Deum*: nam & qui *coactè*, id eſt, inopiâ compulſus, ut habeat undè vivat, & qui *turpis lucri gratiâ* ut dives evadat, paſtorale munus exercet; non *ſecundùm Deum* & ex animo id facit quo curet ovium ſalutem, ſed privati commodi causâ, quo ceſſante nollet inutilem ſubire laborem.

℣. 3. Neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Per *cleros* multi interpretantur Clericos, id eſt, Eccleſiaſticis miniſteriis deputatos, ut ſunt Presbyteri, Diaconi, &c. Alii meliùs intelligunt gregis Dominici portiones, quæ ſingulis Epiſcopis paſcendæ ac regendæ velut ſortito obtigerunt. Sic partes quæ ſingulis in

terra promiſſa ſorte obvenerant, κλῆροι, id eſt, Sortes vocabantur. Undè & *Pſal.* 67. *Si dormiatis inter medios cleros*, ſenſum habet, in medio ſortium veſtrarum. Ita hunc locum explicant *Cypr. Cyril. l.* 1. *ſuper Iſaïam orat.* 3., *Beda* &c. Prohibet igitur *Petrus* id quod Dominum ſuum prohibentem audiverat *Matth.* 20. ℣. 25.; vultque à Paſtoribus &c. non ſolùm abeſſe animum, ſed omnem ſpeciem dominandi in plebem ſubjectam, & potiùs ſeſe Paſtores per humilitatem gerere ùt miniſtros, atque utilitatem ſuorum ſpiritualem omni ſtudio procurare juxta *Matth.* 20. ℣. 26. & *ſeqq.* Quod quidem miniſterium conſiſtit non ſolùm in docendo ac præcipiendo, verùm etiam in exhibendis ſanctæ converſationis exemplis: ùt ſequitur: *Sed forma facti gregis ex animo:* cujus ſenſus eſt, ut ſe ipſos ſuo gregi velut typos, formas ac exemplaria exhibeant vitæ Chriſtianæ quâ inſpectâ ad ſimilia provocentur: ita & *Paulus* 1. *ad Tim.* c. 4., *ad Tit.* c. 4., *ad Phil.* 2. & 2. *ad Theſſ.* 3.; ex *Eſtio.*

℣. 4. *Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Chriſtum *principem paſtorum* vocat, qualis quidem erat & *Petrus* qui hæc ſcribit, ſed ſecundarius atque vicarius; *cùm apparuerit*, intellige, veniens glorioſus ad judicium, ùt 1. *Joan.* 3. ℣. 2. Per *coronam Hugo & Thomas* interpretantur aureolam, quæ Doctoribus attribuitur: alii meliùs præmium principale, ùt *Jac.* 1. ℣. 12., *immarceſſibilem* vocat, ad diſcrimen coronarum quæ apud nos dantur victoribus.

℣. 5. *Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem invicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Plerique ætate *juniores* & *ſeniores* intelligunt. Alii volunt, hoc præceptum reſpondere ſuperiori; ut ſicut jubentur *ſeniores*, id eſt, Epiſcopi paſcere gregem Dei, id eſt, populum ſibi ſubjectum, ita nunc viciſſim junioribus ſive minoribus, id eſt, plebi ſubjectæ præcipiatur erga ſuos paſtores obedientia: ita *Beda* & *Cajet.*, ùt *Luc.* 22. ℣. 26. *Omnes autem invicem* &c. græcè, *Omnes invicem ſubjecti humilitatem induite.* Non eſt autem ſenſus: Omnes omnibus ſubditos eſſe debere, ſed alios aliis; inferiores ſuperioribus, uxores viris, filios parentibus, ſervos dominis, ùt *Epheſ.* 5. Præceptum verò de humilitate induenda omnibus commune & neceſſarium eſt: ſenſus eſt; omnes humilitatem animi induant & inſtar veſtis intimè cuſtodiant; quia Deus, inquit, deludet illuſores & manſuetis dabit gratiam: ùt ex hebræo legit *Hieronymus*, ùt jam dictum eſt *Jac.* 4. Deludit autem Deus dum humiliat, fruſtrando eorum conatus quibus ſuam quærunt excellentiam, quod eſt ſuperbis reſiſtere: ex *Eſtio.*

℣. 6. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis:*

Humiliter ergò vos ſubjicite Deo & hominibus propter Deum qui potens eſt dejicere ſuperbos & extollere humiles: ita futurum ut vos exaltet & glorioſos faciat *tempore* ſui adventûs ad judicium.

℣. 7. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.*

Non vetat Apoſtolus ne ullius rei curam aut ſolicitudinem habeamus; ſed præcipit ut eam totam conjiciamus in Deum: id eſt, ut in omni cura noſtra de rebus neceſſariis & curam noſtram poſtulantibus toti pendeamus à providentia Dei. Quod fit dum à Deo tanquam univerſali proviſore, per ordinata media quæcumque petimus, expectamus. Conſtat autem inter media divinitùs ordinata eſſe operam & induſtriam humanam, quemadmodùm & preces ad Deum. Et hoc modo conciliandi ſunt loci Scripturæ in ſpeciem pugnantes, quorum alii prohibere, alii præcipere videntur ſolicitudinem humanam de rebus quibuſcumque; prohibetur enim inordinata ſolicitudo: ex *Eſtio*.

℣. 8. *Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:*

Hæc, inquit, cauſa eſt cur *ſobrios & vigilantes* vos eſſe velim, quia perpetuum nobis bellum eſt cum adverſario vigilantiſſimo ad nocendum, id eſt, diabolo. Cui reſiſtere non poteritis ſi crapulâ & ſomno oppreſſos inveniat; comparat eum leoni præ fame rugienti.

℣. 9. *Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eandem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.*

Docet diaboli tentationibus ſive apertis ſive occultis reſiſtendum eſſe firmitate fidei, quâ credamus promiſſionibus Dei & fiduciam excitemus in nobis eas conſequendi; propoſitâ ante oculos Dei potentiâ & veritate & miſe-

ricordiâ per Chriſtum. *Scientes*, inquit, ſimiles afflictiones & moleſtias veſtris fratribus per mundum univerſum diſperſis apparari & exhiberi. Conſolatur ergò eos quia non ſoli patiuntur: tum quia ſic tolerantibus aderit Deus; ex *Gaig*. Eccleſiam vocat *fraternitatem*, quia fideles omnes fratres ſunt, ùt *Matth*. 23. ℣. 8. Ex his patet, Apoſtolum reſpicere potiſſimùm ad tentationes quas diabolus ingerit, apertas adversùs Eccleſiam commovendo perſecutiones: ex *Eſtio*.

℣. 10. ***Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicùm paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.***

Initium hoc eſt epilogi totius epiſtolæ quo fidelibus afflictis à Deo precatur perſeverantiæ donum: nomine *gratiæ* omne bonum ſalutare intelligit expectandum à Deo, *qui vocavit* nos, utique vocatione gratuitâ ut *æternæ gloriæ* nos participes efficeret *in Chriſto Jeſu*, id eſt, per meritum Chriſti filii ſui pro nobis paſſi. Quod ait, *modicum paſſos*, non tam indicat levitatem paſſionum hujus vitæ quàm durationis brevitatem; ùt 2. *Cor*. 4. ℣. 17. Hæc autem, *perficiet*, *confirmabit* &c. metaphoricè ſignificant fidelium in virtutibus inſtaurationem & confirmationem uſque in finem: ex *Eſtio*.

℣. 11. ***Ipſi gloria, & imperium in ſecula ſeculorum: Amen.***

Habetur eadem precatio. c. 4. ℣. 11.

℣. 12. ***Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ùt arbitror, breviter ſcripſi: obſecrans & conteſtans, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis.***

Per Silvanum ſcripſi: quod quidam ſic acci-

P[illegible]. quaſi *Petrus* Silvano fuerit uſus amanuenſi in hac Epiſtola. At veriſimilius eſt ſenſum eſſe; ſcripſi mittendam per *Silvanum*. Et continet hæc pars commendationem Silvani tamquam fidelis in Evangelio miniſtri; nec non commendationem epiſtolæ quòd eam per talem virum mittat. *Obſecrans & conteſtans* &c. Quibus verbis breviter *Petrus* colligit inſtitutum totius epiſtolæ. Hæc, inquit, ſcripſi, quò vos adhortarer ut maneatis in fide ſuſcepta, teſtificans vobis tamquam teſtis & Apoſtolus Chriſti, hanc quam nobis prædicantibus accepiſtis fidei gratiam, *in qua & ſtatis* & permanetis, veram eſſe gratiam Dei per quam verè Deo grati ſitis ad vitam æternam; ex *Eſtio*.

℣. 13. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.*

Coëlecta, id eſt, quæ cum aliis Eccleſiis electa eſt ad fidem & vocata *in Babylone*; quam græca ſcholia & omnes Romam interpretantur: quo nomine etiam in *Apoc.* c. 17. & 18. Roma ſignificata eſt: utique propter idolorum confuſionem; ita *Gaig.* poſt *Hier.*, *Bedam* & *Oecum.* Quamquàm poſteà Apoſtolicâ prædicatione & inſtitutione effectum eſt tandem, ut ex Babylone in ſanctam Jeruſalem & novam Sion converteretur, qualis permanet in hodiernum diem; ex *Ruper. l.* 8. *de glorif. Trin. c.*5. Ex hoc colligitur, *Petrum* Romæ fuiſſe atque ſediſſe, quod impudenter negant hæretici. *Marcum*, qui Evangelium ſcripſit, vocat *filium ſuum*, quòd propter ſedulam in Evangelio coöperationem charum haberet; ex *Hier.*; & quia in baptiſmo genuerat; ex *Baron. an.* 45.

℣. 14. *Salutate invicem in oſculo ſancto: gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.*

De oſculo ſancto ut opponitur impuro diximus, *Rom.* 16. & de ſalutandi formula, *Rom.* 1.

BEATI PETRI APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

AD eoſdem ſcripta eſt ad quos Prior, ùt conſtat ex c. 3. ℣. 1., ſed cùm jam morti eſſet proximus fideles inſtruere volens, ut in ſana doctrina & ſtudio bonorum operum permanerent, & impoſtores caverent, quorum ingenia deſcribit.

CAPUT I.

Precatur gratiam & pacem, admonet bonis operibus vacare, doctrinæ ſuæ memores eſſe & prophetarum ſcriptis attendere.

℣. 1. *Simon Petrus, ſervus, & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.*

GRæci habent *Simeon*, quidam *Simon*; quod nomen ei à Parentibus inditum permanſit uſque ad finem vitæ: nam non ſic à Chriſto dictus eſt *Cephas*, ut priori nomine vocari deſineret. *Servum Chriſti* ſe vocat propter miniſterium Evangelii docendi & propagandi, in quo ſerviebat Chriſto Domino. Quod ſpecialiùs explicat addito nomine *Apoſtoli.* Iis, ſupple *ſcribit*, *qui coæqualem*, græcè, *æquè pretioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem:* non quòd fides omnium Chriſtianorum æquè magna ſit ac paris meriti; nam in Evangelio alibi dicitur: *Magna eſt fides tua.* Alibi; *Modicæ fidei.* Et Diſcipuli *Luc.* 17. rogant: *Adauge nobis fidem.* Sed æquè pretioſam dicit ratione objecti, quòd eadem promiſſa & eadem myſteria per fidem omnibus ſint propoſita. Quo ſenſu ſcriptum eſt: *Una fides*, *Epheſ.* 4. & *Eamdem gratiam*, *Act.* 11. ℣. 17. Quod ait, *ſortiti ſunt*, indicat gra-

tuitum & ſinè debito eſſe Dei beneficium, ùt *Epheſ.* 1. ℣. 11., *Col.* 1. ℣. 12. & *Act.* 1. ℣. 17. *In juſtitia*, id eſt, per juſtitiam, ut ſenſus ſit; fidem electis contigiſſe per juſtitiam, id eſt, per merita *Jeſu Chriſti*, qui idem Deus noſter eſt & Salvator. Vel *in juſtitia* idem eſt ac cum juſtitia, ut ſenſus ſit fidem dari cum juſtitia, id eſt, comitante juſtitiâ (quia per fidem juſtificamur, *Rom.* 1.) quæ juſtitia Dei eſt tanquam authoris, & Jeſu Chriſti tamquam eam nobis promerentis; propter quod & Salvator noſter dicitur. Qui ſenſus conſentaneus Evangelicæ & Apoſtolicæ Doctrinæ; quæ docet nos ex fide juſtificari, ſcilicet tanquam ad juſtitiam nos diſponente eamque nobis impetrante; quæ juſtitia Dei vocatur quia nobis à Deo eſt: ita *Eſtius*.

℣. 2. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri:*

Adimpleatur, græcè, *augeatur*: eſt enim ſalutis imprecatio, ùt in 1. *Epiſt.* Quod ait, *in cognitione*, ferè ſimiliter ùt illud *in juſtitia* bifariàm exponitur: uno modo; unà cum cognitione, hoc eſt, ut creſcente indies cognitione ſeu fide veſtrâ ſimul cum ea creſcant cetera Dei dona. Aliter, *per cognitionem*; hoc ſenſu: gratia & pax vobis multiplicetur per fidem quâ agnoviſtis Deum Patrem & quem ille miſit Jeſum redemptorem ac Dominum noſtrum. Hic ſenſus plenior eſt, ait *Eſtius*, quia præter concomitantiam etiam cauſalitatis ordinem declarat.

℣. 3. *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propriâ gloriâ, & virtute,*

Conſtructio latina non parùm involuta vide-

tur : ſed græca planiorem hunc ſenſum habent : *Quandoquidem omnia nobis divina illius virtus, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donavit per cognitionem* &c. Dubium autem eſt, an poſt ſalutationem, quæ eſt in 1. & 2. *verſu*, hic novus ſenſus incipiat (ùt *Eſtius* putat, dicens *hunc verſum* initium eſſe Epiſtolæ :) an verò ſit continuatio *verſûs præced.*, quod *Mauduit* ſuſtinet & probat *Diſſert. XXI.*; qui hunc ſenſum aſſignat : Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei & Chriſti Jeſu Domini noſtri ; quandoquidem per ipſam cognitionem omnia, quæ ad vitam & pietatem ſpectant, nobis à divina potentia conceſſa ſunt. *Ad vitam* ſcilicet æternam, *pietatem* verò, id eſt, ſpiritualem vitam quæ in Dei cognitione & cultu conſiſtit. Senſus eſt : Deum Patrem nobis omnia, quæ ad ſalutem pertinent, donaſſe per agnitionem Filii ſui, id eſt, per fidem quâ in eum credimus *qui vocavit nos* (utique efficaci vocatione) per glorioſam ſuam virtutem, id eſt, bonitatem, benignitatem, miſericordiam, & ùt *Paulus* appellat *Tit.* 3. *humani generis amorem :* hoc enim loco *virtus* non potentiam ; ſed virtutem vitio oppoſitam ſignificat : ex *Eſtio.*

℣. 4. *Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ : fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.*

Græci legunt *Per quæ* ſcilicet virtutem & gloriam. *Beda* legit, *Per quam* ſcilicet cognitionem. Sed lectio vulgatæ, *Per quem* in Latinis Codicibus communior eſt, & ſenſum præbet maximè Evangelicum & obvium : nempè Deum Patrem per Chriſtum Filium ſuum qui nos bonitate ſuâ vocavit ad ſalutem, donaſſe

naſſe *nobis pretioſa & maxima* beneficia, quæ per Prophetas olim ſe daturum promiſerat. Ea ſunt fides, pœnitentia, juſtitia, peccatorum remiſſio, filiorum adoptio, vita æterna. Conſonat huic loco quod *Paulus* dicit ad *Rom.* c. 8. ℣. 32. *Ut per hæc efficiamini* &c. Mira commendatio eſt beneficiorum Dei quæ per Chriſtum nobis donavit, ut meritò *B. Petrus* ea nominet *pretioſa & maxima*: inter quæ certò præſtantiſſimum eſt, quòd ſimus filii Dei per gratiam quidem ſed tamen quæ Deiformes nos efficiat; de quo plura *Dion. lib. de Eccl. Hier.* c. 1. Perfectiùs verò hæc noſtra Divinæ naturæ conformitas obtinetur in futuro. Rectè *Cyril. Jeroſ. in catech. myſtog.* 4. hanc Scripturam accommodat ad Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ. *Fugientes ejus quæ in mundo* &c. Sentit Apoſtolus, eos demùm effici divinæ conſortes naturæ qui ſeſe abſtraxerint à corruptione carnalium cupiditatum, quæ paſſim *in mundo*, id eſt, inter homines dominatur. Dicit *fugientes*, quia victoria in fuga ſita eſt; ùt 1. *Cor.* 6. ℣. 18.; ex *Eſtio.*

℣. 5. *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam,*

q. d. Quomodo ſeu ſicut Deus in vos maxima contulit beneficia, adeò ut evexerit ad conſortium quoddam ſuæ naturæ: ita viciſſim & *vos* ad hoc ipſum, nempè ut accepta Dei dona per ejus gratiam in vobis permaneant, multiplicentur & creſcant, *omni curâ adhibitâ* facere debetis quæ ſequuntur. *Miniſtrate in fide veſtra*, ſeu cum fide veſtra *virtutem*: id eſt, ſimul cum fide ſubminiſtrate virtutem & virtutum opera, ne fides ſit inanis, informis & mortua. *In virtute autem ſcientiam*. Hoc eſt,

virtutum ſtudio conjungite ſcientiam, vel eam quæ eſt myſteriorum fidei, ut hæc non tantùm nudè credatis, verùmetiam aliquatenùs intelligentiâ aſſequamini, ita *Oecum*; vel meliùs eam ſcientiam quæ opera virtutum dirigat & ratione moderetur, ne quid in illis ſit plùs aut minùs: ut hâc parte ſignificet in quo virtus prudentiæ ſita ſit: ſicut *Paulus ad Rom.* 10. ſcribit de Judæis quòd zelum Dei habeant, ſed non *ſecundùm ſcientiam:* ex *Eſtio.*

℣. 6. *In ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.*

Abſtinentiam, pro qua Græci legunt *temperantiam*, quæ in frænandis voluptatibus verſatur: & per *patientiam* intelligunt ſuſtinentiam rerum adverſarum, cui conjungit Apoſtolus ſtudium *pietatis*, ſcilicet in Deum.

℣. 7. *In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.*

Amorem fraternitatis, græcè, *fraternum* quem pietati adjungi imperat quia ſinè illo non datur vera pietas: ùt 1. *Joan.* 4. ℣. 20. *In amore autem fraterno charitatem:* nam vult fratres diligi non carnali, aut ſeculari amore, ſed ſpirituali, ſcilicet propter Deum ſuper omnia dilectum. Quem amorem ſcriptura paſſim *charitatem* vocat; ùt 1. *Cor.* 13., & *Joannes* penè totâ ſuâ primâ Epiſtolâ: ex *Eſtio.*

℣. 8. *Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos, nec ſinè fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.*

Ab hoc loco uſque ad verſum 12. oſtendit utilitatem virtutum ac bonorum operum, q.d.

Si hæc enumerata, ſcilicet virtus, ſcientia, abſtinentia, &c., *vobis adſint* nequaquam otioſos, infructuoſos aut inutiles vos conſtituent aut efficient in fide Chriſti. Ac ſi dicat, harum virtutum exercitio fiet, ut fides veſtra coram Deo non ſit inanis & mortua. *Cognitionem* ponit pro fide. Nota contra ſectarios, fidem ſinè operibus eſſe poſſe, ſed non prodeſſe.

℣. 9. *Cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.*

Id eſt, *Cui hæc* non adſunt, is tanquam *cæcus* in tenebris errat manu palpans ac viam quærens: neſcit ènim quò iter ſuum dirigat; neſcit, inquam, practicè quia fidem ſuam operando non exercet. Dicit autem *oblitum purgationis peccatorum*, quia cùm ad hoc à peccatis purgemur in baptiſmo, ut deinceps in ſanctitate & juſtitia vivamus; hoc qui non præſtat, ingratitudinis arguitur tanquam oblitus beneficii prioris: arguitur etiam ignorantiæ quaſi oblitus quorsùm factus ſit Chriſtianus: ex *Eſtio.*

℣. 10. *Quapropter fratres magìs ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

Illatio eſt exhortatoria, quâ indicatur nova ratio, cur incumbere debeant bonis operibus, ſumpta à certitudine vocationis & electionis. *Ut* non cauſam, ſed quid ſatagendum ſit, determinat: ut ſenſus ſit; Itaque fratres ampliùs operam date, ut vocationem veſtram quâ per gratiam Dei in tempore vocati eſtis, & electionem quâ ab æterno electi & prædeſtinati eſtis ad hereditatem regni cœleſtis, certam fir-

mamque reddatis. Reddatis, inquam, per opera virtutum, quas recenſui, & ad quas ego nunc ex profeſſo exhortor; quibus ſi ſeduò exercendis inſiſtatis, non excidetis à via vocationis; vel non excidetis ab eo ad quod vocati eſtis.

℣. 11. *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introïtus in æternum regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.*

Senſus eſt, ſi vos ſubminiſtraveritis in fide virtutum & cetera priùs *enumerata*; ſicque per ea confirmaveritis electionem veſtram: fiet ut viciſſim vobis abundè ſubminiſtretur *introïtus in regnum* Chriſti, q. d. Si divites fueritis bonorum operum, divites & abundantes eritis præmiorum, ùt 2. *Cor.* 9. ℣. 6. Significant hæc proportionem meritorum & præmiorum apud Deum; & notanda ſunt contra hæreticos: ex *Eſtio.*

℣. 12. *Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his: & quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate.*

Incipiam, Græci legunt, *non negligam* ſive curabo *commonere vos de his* quæ ſuprà ſcripſi vobis, ut ampla præmia recipiatis à Deo. *Et quidem ſcientes* &c., græcè *Etſi ſcientes*: quod addit ut mitiget moleſtiam admonitionis ad eos. q. d. Non negligam vos ad bona opera adhortari, quamvis ſatis inſtructi ſitis & virtutum exercitatione confirmati, ùt 1. *Joan.* 2. ℣. 21. Similis etiam mitigatio eſt *in Epiſt. Judæ* ℣. 5.; ex *Eſtio.*

℣. 13. *Juſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione:*

Juſtum eſt ut hoc faciam, id eſt, excitem vos per commonitionem: quia etſi ſubditi ſint

benè inſtituti in doctrina ſana: non tamen licet paſtori prætermittere ſuum officium debitè illos admonendi, ùt notat *Cajet.*; quia nunquam deeſt in grege quod ſanetur, foveatur, conſolidetur, & cuſtodiatur, *Ezech* 34. ℣. 4.

℣. 14. *Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei ſecundùm quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.*

Hæc altera ratio eſt priorem confirmans. *Certus*, græcè, *Sciens* ſcilicet *ſecundùm quod*, græcè, *quemadmodùm & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.* Dixerat quidem Chriſtus *Joan.* 21. ℣. 18. *Cùm ſeneri* &c. ubi adjungit Evangeliſta, Dominum per ea ſignificaſſe, *quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Verùm non illuc ſed ad novam revelationem reſpexiſſè videtur *Petrus* hoc loco. Dicit enim ſibi ſignificatum, *quòd velox*, id eſt, breviatura ſit *tabernaculi ſui depoſitio.* Ex quo conſtat, *Petrum* jam ſenem ac morti vicinum hanc Epiſtolam ſcripſiſſe; & quidem veriſimiliter poſt illud tempus quo audierat à Chriſto: *Vado Romam iterùm crucifigi:* quod de ſe *Petrus* interpretatus, pro revelatione vicinæ mortis per crucem inferendæ accepit: ex *Hegeſip. l.* 3. *de exc. Jeroſ.* c. 2., & *Amb. Ep.* 33. ; ita *Eſtius.*

℣. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.*

Dabo ſemper *operam* ut poſt exitum meum horum memoriam facere poſſitis, vel horum memoriam habeatis ſeu faciatis. Vel *dabo operam*, ut poſt obitum meum veſtri ſim memor; ex quo Græci aliqui colligunt interceſſionem Sanctorum pro vivis, ex *Gaig.* & *Eſtio.* Qui tamen priorem ſenſum magìs germanum & com-

munem dicit. *Petrus* enim maximâ ſollicitudine ſatagit, ut etiam ſe mortuo recta doctrina maneat apud fideles & ad poſteros tranſmittatur. Quæ eadem & *Paulo* fuit 2. *ad Tim.* 2. ℣. 2.

℣. 16. *Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem, & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.*

Non enim doctas, id eſt, artificiosè compoſitas *fabulas ſecuti*: quod Apoſtolus dicit ut affirmet non ſua aut aliorum figmenta ſe tradidiſſe, ſed oracula cælitùs accepta. *Notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam* ſive adventum. Adventum intellige vel primum quo per incarnationem venit in hunc mundum: vel quod magis placet, ſecundum qui erit in majeſtate ac virtute. Idcircò enim adjungit *virtutem* ſeu potentiam; ubi primus fuit in infirmitate & humilitate. *Sed ſpeculatores facti illius*, ſcilicet Chriſti, *magnitudinis* ſeu majeſtatis: per quam *Petrus* intelligit illam ejus glorioſam ſpeciem quam ſuis oculis ipſe cum *Jacobo* & *Joanne* conſpexerat in transfiguratione. Cujus inter tot alia, quæ viderat Chriſti miracula, meminit propter eos qui apud fideles ſuſpecta reddebant quæ ab Apoſtolis de futuro Chriſti adventu ejuſque regno ac gloria prædicata fuerant. Hoc totum oſtendit narratio ſequens.

℣. 17. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsâ ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.*

Accipiens, id eſt, cùm accepiſſet, ut ſenſus ſit; Jeſum Chriſtum manifeſto Dei Patris

teſtimonio fuiſſe honoratum & glorificatum *voce* Patris, miniſterio Angelico in aëre formatâ delata è nube lucida, in qua magnificè & gloriosè apparuit, id eſt, ſuam exhibuit præſentiam, *Hic eſt filius meus dilectus* &c. Quod Patris de Jeſu teſtimonium tanti momenti eſt, ut non ſolùm à *Matthæo*, 17., *Marco* 9., & *Luca* 9. narratum ſit, ſed etiam hìc à *Petro* repetitum. Cui adde quòd non ſemel ſed tertiò Pater illud Filio perhibuerit: primùm, quando baptizatus fuit à Joanne; deindè in monte; tertiò inſtante ejus paſſione, *Joan.* 12. Notat *Eſtius*, inculcationem articuli in græco, ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, id eſt, *ille filius meus ille dilectus*, habere emphaſim quamdam ad ſignificandum filium naturalem ac propriè ex ipſo genitum. *In quo mihi benè complacui*, ſive in quo oblector & acquieſco; ut ſit explicatio ejus quod ſtatim dixit, *dilectus*. Quod ſequitur, *Ipſum audite*, in græco non habetur: conſtat tamen ex Evangeliſtis à Patre dictum fuiſſe; & in omnibus Latinis vulgatæ editionis legitur. Eſt autem hoc in confirmationem teſtimonii Moyſis *Deut.* 18. ℣. 15. & ſignificat, Chriſto tamquam redemptori, præceptori ac legiſlatori obediendum eſſe: nam *audire* pro *obedire* frequens eſt in ſcripturis; ùt *Luc.* 10. ℣. 16. Et directè eſt contra hæreticos quos *Conc. Trid.* condemnat *Seſſ.* 6. *Can.* 21.; ex *Eſtio.*

℣. 18. *Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.*

Hic ſe ipſum cum aliis duobus Apoſtolis teſtes adducit: ùt & fecit *Joannes* 1. *Ep.* c. 1. ℣. 1. *Cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto*, quem *Matthæus & Marcus* excelſum dicunt; qui paſſim creditur fuiſſe montem Thabor.

Sanctum appellat propter ea quæ in illo exhibita ſunt, *plena numinis ac majeſtatis*, ait Sasboldus. Quâ ratione *terra ſancta* dicitur *Exod.* 3. ℣. 5., & Jeruſalem *civitas ſancta* 2. *Mach.* 3., quia cultui divino ſpecialiter deputata; & ùt Dominus loquitur *Matth.* 5. *Quia civitas eſt magni regis.*

℣. 19. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris:*

Hæc dicuntur in perſona fidelium: ſed difficultatem habent ex eo quòd teſtimonium Dei Patris de Chriſto ſtatim attulerit, & nunc dicat: *Et habemus firmiorem* &c. Omiſſis variis commentariis, primò notandum eſt. comparativum *firmiorem* non referri ad illam *vocem Patris*, ſed ad teſtimonium Apoſtolicum: *Et hanc vocem nos audivimus.* Deindè *firmiorem* dicit, non quòd firmius, id eſt, verius ſit in ſe, ſed quòd firmius ſit reſpectu noſtri. Hoc igitur modo *ſermo propheticus* Judæis ad Chriſtum converſis erat *firmior* Apoſtolicâ iſtâ atteſtatione &c. Et ſenſus eſt: ſi quis nobis non credit divinitatem ejus aſſerentibus ex eo quòd majeſtatis ejus ſpectatores fuimus, & vocis cœlo delapſæ auditores: *habemus propheticum ſermonem firmiorem*, (non quidem veriorem, ſed firmiorem) quem negare non poteſtis, ſicut noſtrum teſtimonium poteſtis refellere Hic autem ſermo propheticus eſt *Davidis: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Cui prophetico ſermoni dum *attenditis* legendo Prophetarum libros, & ex eis ſcrutando veritatem, *benefacitis* & ſaluti veſtræ conſulitis: quia Scriptura pro-

phetica more *lucernæ* in tenebris accenſæ tenuem & reſtrictam lucem exhibet; quâ tamen utendum eſt, *donec dies eluceſcat* ſeu adveniat, clarum & latè diffuſum lumen præbitura; id eſt, donec adveniat paulatim certior, purior ac ſincerior, magìſque explicata de Chriſti myſteriis cognitio, velut die illuſceſcente; ſeu donec depulſis tenebris clarius lumen velut *exorientis luciferi cordibus* & mentibus *veſtris* infulgeat, id eſt, donec ita ſitis illuſtrati lumine fidei, ut nullis dubitationum ſcrupulis animi veſtri inquietentur; ad hanc enim fidei perfectionem multi Judæorum qui crediderant, nondùm pervenerant; nominatim illi de quibus *Act.* 17. ℣. 11. Utuntur hoc locò Sectarii ut exhortentur fideles ad lectionem & ſtudium Scripturæ Sacræ: quod nos Orthodoxi non negamus iis quibus id expedire Paſtores & Prælati judicaverint: conſtat tamen plures eſſe quibus id non expediat, ex *Eſtio*.

℣. 20. *Hoc primùm intelligentes quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.*

q. d. Benefacitis attendentes Scripturæ Prophetarum, ſi tamen illud *primùm* noveritis, *quòd omnis prophetia Scripturæ* propriæ expoſitionis non eſt. Flagellat hæc ſententia Hæreticos, qui contempto ſenſu Eccleſiæ, privatos ſenſus vel ſuos, vel ſuorum magiſtrorum ad ſcripturas interpretandas afferunt. Sed notandum, nomen prophetiæ in Sacris Litteris non tam ſignificare Scripturam propheticam; quàm potiùs ipſam propheticam prædictionem vel etiam Scripturæ propheticæ & omninò verbi divini ſacram expoſitionem: ut accipitur *Rom.* 12., 1. *Cor.* 12. 13. & 14., 1. *Theſſ.* 5., & *Apoc.* 11. Atque ita ſenſus eſt:

omnis Scripturarum expoſitio, quæ prophetia dici meretur, propriâ interpretatione non fit: ex *Eſtio.*

℣. 21. *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Neque enim voluntate & inſtitutione hominis alicujus olim introducta eſt Scriptura prophetica; ſeu potiùs uſus & fructus prophetandi, id eſt, prædicendi futura & proferendi ad homines arcana Dei; vel breviùs: Prophetia non eſt inventum hominum: ex quo infert, non eſſe privato ſenſu interpretandam, ſed in earum interpretatione reſpiciendum ad ſenſum Eccleſiæ, quæ ſpiritum Dei habet. *Sed Spiritu Sancto inflati*, græcè, *acti* ſeu *impulſi locuti ſunt* divina myſteria, id eſt, prophetaverunt *ſancti Dei homines*; qui ſic vocantur ratione officii quo particularem cum Deo habent conjunctionem, maximè ſi mores & actiones officio reſpondeant: quales ſunt Prophetæ, Sacerdotes, Epiſcopi: ſic *Paulus* 1. *ad Tim.* 6. ℣. 11., & 2. *ad Tim.* c. 3. ℣. 17. Addit autem hoc, ne dubitemus, quin illi, per quos miniſtratæ ſunt nobis Scripturæ tam Novi quàm Veteris Teſtamenti, ſancti fuerint quando eas vel dictando vel ſcribendo tradiderunt. Deindè ex *hoc verſu* ſequitur, Scripturam totam eſſe verbum Dei: quod & vult *Paulus* 2. *Tim.* 3. ℣. 16.; ex *Eſtio.*

CAPUT II.

Falſorum Doctorum depingit ingenia, & quæ eos manent ſupplicia.

℣. 1. *Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant: ſuperducentes ſibi celerem perditionem.*

PRædicit fore in Lege Evangelica falſos Doctores ſicut in Lege Moſaïca *Pſeudoprophetæ fuerunt*, quorum ad vivum depingit ingenia: *qui introducent*, ait, *ſectas perditionis*, id eſt, perditas, & *eum, qui emit* ſeu redemit eos ſuo ſanguine, id eſt, Chriſtum *Dominum negant*, potiùs negabunt, ſi non verbis, certè factis & pravitate doctrinæ; qui enim vel humanitati vel divinitati Chriſti vel potentiæ aut ſapientiæ quidquam detrahunt, eum negant, quia non qualem veritas oſtendit, ſed qualem ipſi ſibi fingunt, prædicant ut *Judæ* ℣. 4. Neque verò impune id futurum eſt illis, quia *celerem perditionem ſuperinducunt*, id eſt, ipſi ſibi ſubitum exitium adſciſcunt, ita *Gaig.*

℣. 2. *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur:*

Græci aliqui legunt: & *multi ſequuntur*

eorum perditionem, hoc eſt, ſicut ipſi ſubitum ſibi exitium pariunt, ita pleriquè in idem cum illis exitium currunt, eorum ſectantes ingenia & mores. Alii legunt, ùt habet textus noſter, quæ lectio probabilior eſt: veruntamen utraque lectio faciiè ſimul conjungi poteſt, hoc modo: Multi ſequuntur eorum laſcivias, & impuram doctrinam, ſicque in idem exitium current. *Per quos*, id eſt, quorum causâ Chriſtianiſmus malè audiet apud infideles: ex *Eſtio*.

℣. 3. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non ceſſat: & perditio eorum non dormitat.*

Notat falſorum magiſtrorum avaritiam, quâ inquit, eos impellente quæſtum ex vobis facient vel ad ſuum quæſtum vobis abutentur, idque artificioſo ſermone. *Quibus jam olim* ab æterno deſtinata & in ſcripturis prædicta damnatio *non ceſſat* ſeu non tardat; ſed opinione & exſpectatione citiùs eos opprimet. *Et perditio eorum non dormitat.* q. d. Quamvis ipſi more dormientium in utramque aurem ſecuri ſint, dicentes; *Ubi eſt adventus ejus*? Ubi judicium? ùt *infrà* c. 3. Tamen *perditio* eis à Deo deſtinata atque prædicta *non dormit*, ſed vigilat certiſſimè eos comprehenſura ſuo tempore; ùt *Jerem.* 1. ℣. 12.; ex *Eſtio*.

℣. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.*

Oſtendit deinceps Apoſtolus, adductis ex antiquitate exemplis, non poſſe eos effugere Dei judicium qui pravorum dogmatum authores ſunt ac magiſtri. Addit autem tria exem-

pla horrenda de Angelis, de Mundo originali, & de Sodomis; quorum primum & tertium adferuntur etiam à *Juda* Apoſtolo. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit:* peccatum eorum deſcribitur *Judæ* ℣.6. *Sed rudentibus inferni*, græcè, *catenis caliginis:* vocabulum autem *rudentibus* multi faciunt ablativum inſtrumenti, referentes ad participium *detractos*, q. d Angelos tranſgreſſores validis funibus ſive catenis detractos fuiſſe *in tartarum.* Alii meliùs dativum, ut regatur à verbo *tradidit*; ſicut dicimus tradi cuſtodiæ, miniſtro, tortoribus, ùt *Matth.* 5. & 18.; ut ſit ſenſus: Deus Angelis prævaricatoribus non pepercit, ſed mox in barathrum ſeu infernum eos præcipitavit & vinculis caliginoſis *eos tradidit cruciandos, & ſervandos ad judicium magni illius diei*; ùt loquitur *Judas*: quando nimirùm & Angelos & homines judicaturus eſt Dominus. Pœnas quidem interim ſive in tartaro detenti ſive in aëre vagantes ſemper ſuſtinebunt; ſed in illo die publicè coram toto mundo condemnabuntur: ex *Eſtio.*

℣. 5. *Et originali mundo non pepercit, ſed octavum Noë juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens.*

Alterum hoc eſt exemplum, ex *Gen.* 6. & 7., quo utì & ſequenti exemplo oſtendit, juſtos eripi malis pereuntibus. *Originalem mundum* dixit interpres pro priſco, antiquo mundo qui fuit ab initio hominis creati uſque ad diluvium: & *mundi* nomine genus humanum intelligitur. *Noë octavum* vocat, non ab Adam, à quo decimus eſt; ſed quia *octo* tantùm in arca animæ fuerunt conſervatæ. *Præconem* ſeu prædicatorem *juſtitiæ*, non humanæ, ſed quâ

Deo placetur & quæ coram Deo talis eſt: ſicut de *Noë Paulus* dicit *Heb.* 11. ℣. 7.; & cujus juſtitia commendatur *Gen.* 6. ℣. 9. Hanc juſtitiam prædicavit *Noë* exemplo, etiam certè verbo, & præcipuè facto, ſcilicet ipsâ per tot annos arcæ fabricatione. Quamquam ſpecialiter juſtitia hìc accipi poſſit pro juſtitia Dei vindice ſcelerum & peccatorum: quod congruit cum eo, quod de *Noë Heb.* 11. dicitur: *Per quam* (arcam) *damnavit mundum.* In ea porrò cuſtodivit Deus, id eſt, à diluvio ſervavit *Noë* octavum cum ſeptem aliis. *Diluvium mundo impiorùm*; id eſt, generi humano illius temporis quod totum, paucis exceptis, à vera pietate receſſerat; *inducens*: ex *Eſtio*.

℣. 6. Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens:

Tertium exemplum eſt ex *Gen.* 19. Sentit *Petrus*, Deum ſtatuiſſe civitates illas non in exemplum vulgare; quomodo, qui publicis ſuppliciis afficiuntur, ſtatuuntur exempla ne ceteri ſimilia committant; ſed *in exemplùm typicum*; ſecundùm quod ait *Paulus* 1. *Cor.* 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Nam per illam punitionem horribilem, ſed temporalem per typicum quoddam exemplum ſignificata fuit æterna pœna, longè formidabilior quæ manet impios, præſertim impietatis magiſtros: ex *Eſtio*.

℣. 7. Et juſtum Lot oppreſſum à nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit.

Senſus eſt; *Lot* virum *juſtum*, quem illi nefarii per libidinoſam ſuam converſationem

graviter affligebant ac velut labore enectum fatigabant, miſſis ad eum Angelis ſuis Deus *eripuit*, ne cum illis involveretur incendio. Juſtitiam *Lot* ſatis commendat quòd cum *Abraham* egreſſus ſit terrâ nativitatis ſuæ *Gen.* 13., *quòd ſolus* cum parva familia de incendio liberatus ſit, & *Segòr* propter eum ſervata, *Gen.* 19., tum quòd ab hoſpitalitate ſit laudatus: *ibidem* & *Heb.* 11.; ex *Eſtio.*

℣. 8. ***Aſpectu enim, & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.***

Declaratio eſt *verſûs præcedentis:* & quidem juxta hanc noſtram lectionem, Apoſtolus laudat *Lot* quòd inter peſſimos, cum quibus ei converſandum erat, nec oculis nec auribus hauſerit contagium ſcelerum. Sed in Græco totus hic verſus ſic legitur: *Aſpectu enim & auditu juſtus inhabitans inter eos diem ex die animam juſtam iniquis operibus cruciabat.* Cujus germanior ſenſus ob articulum vocabulo δίκαιος appoſitum hic eſt. Juſtus enim ille, cùm verſaretur inter illos nefarios homines quotidiè *juſtam animam* ſuam (id eſt ſeipſum) pravis eorum actionibus excruciabat, videndo eas & audiendo: de quo & *David* conqueritur *Pſal.* 118. ℣. 158.; &c. Ceterùm hebraiſmus eſt animam ſuam cruciare, pro animo diſcruciari: ex *Eſtio.*

℣. 9. ***Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reſervare cruciandos:***

Orationem huc uſque pendentem à ℣. 4. *Si enim Deus* &c. nunc claudit, alteram partem ei reddens, in hunc modum: Si Deus Ange-

lis & hominibus peccantibus non pepercit; ſi juſtos *Noë & Lot* è malis eripuit; igitur *Novit Dominus pios è tentatione eripere* &c. Sic poſt *Bedam Cajet.* Sed græca ſcholia hunc verſum à præcedentibus ſeparant, & orationem imperfectam abſolvunt hoc ſupplemento: *igitur & ipſos Magiſtros mendaces condigno tradet exitio: vos autem ſervabit & ſalvos faciet.* Ita ſupplet *Hyginus Papa.* Et hoc ſenſu id, quod *Petrus* dicit *hoc verſu*, non eſt illatio ſed confirmatio dictorum: ac ſi dicat: ita omninò facturus eſt Dominus; quia *novit Dominus* &c.; id eſt, opus Domino placitum eſt & familiare, veros ſui cultores ex anguſtiis & perſecutionibus, quibus tentantur & probantur, educere & liberare: quemadmodùm & novit *iniquos in diem judicii reſervare cruciandos.* Novit autem hoc notitiâ decreti & approbationis: quia licèt non gaudeat in pœnis impiorum, vult tamen & probat opus ſuæ juſtitiæ. *Diem judicii* intellige extremi; non quòd antè pœnas non luant, ſed quòd tunc aſſumpto corpore graviores pendeant: ex *Gaign. & Eſtio.*

℣. 10. *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes:*

Redit ad deſcriptionem falſorum magiſtrorum qui partim jam tum exorti erant, partim non multò pòſt exorituri, ex *Oecum.*; & ſenſus eſt: omnes quidem impios & peccatores ſervari in diem judicii puniendos, *magis* tamen puniendos *eos qui carnem*, id eſt, carnalia deſideria ſequentes vitam exigunt in omni genere turpium voluptatum. *Dominationemque contemnunt:* in *Epiſt. Judæ* ℣. 8. legitur: *Domi-*

nationem autem ſpernunt. Quam verò dominationem uterque Apoſtolus intelligat non liquet. Multi de politico magiſtratu interpretantur, id eſt, de regibus & ceteris in ſublimitate poſitis: ùt 1. *Tim.* 2. ℣. 2. Alii de ſuprema Chriſti dominatione quam *contemnunt*, qui pro Chriſto Angelos ad Deum mediatores ſubſtituerunt; quam *Paulus Col.* 2. vocat Religionem *Angelorum.* Alii univerſalem Dei dominationem quâ mundum inſtituit & gubernat, quâ mendaces illi magiſtri, quorum meminit *Irenæus*, per ſuas de mundi creatione & gubernatione confictas fabulas, ſpretâ atque repulsâ, averſis quaſi oculis à Deo omnium Dominatore, converterunt ſe in omnem carnalem impudicitiam: ita *Oecum.* Qui commentarius magis reſpondet erroribus hæreticorum Apoſtolici temporis. *Audaces* ad aggrediendum ea quibus ſuum inſtitutum promoveant, vel ad maledicendum; *ſi i pla entes*, græcè, *præfracti*, id eſt, homines ſui sensûs, ſuperbi qui *non verentur* nova dogmata excitare, & ſpargere, & *ſectas* facere. Senſus jam datus promptus quidem eſt ſecundùm lectionem receptam noſtræ vulgatæ; ſed in Codicibus græcis ùt & in quibuſdam Latinis manuſcriptis non habetur verbum *introducere*: & græca lectio propriè ſic habet: *Glorias non verentur blaſphemare*, ſeu convitiis inceſſere: pro quo in *Epiſt. Judæ* legitur: *Glorias autem blaſphemant.* Porrò *Glorias* Eraſmus & multi alii interpretantur viros gloriâ præcellentes ſeu præditos, quales ſunt Reges &c. *Oecumenius* duplicem adfert expoſitionem, dum *glorias* eſſe dicit, vel Eccleſiaſticos principatus, id eſt, Epiſcopos ceteroſque Prælatos, quos calumniis hæreticorum obnoxios eſſe, experientia quotidiana docet; vel Divinas virtutes per quas eum intelligere

arbitror (ait *Eſtius*) Angelos. Quam interpretationem etiam plures ſequuntur, & *Eſtius* ceteris præponit; tum quia favet iis quæ leguntur *in epiſt. Judæ*, tum quia conformior eſt *verſui ſequenti*. Et putant hi authores, *Petrum* hæc ſcripſiſſe contra errores Simonis & Gnoſticorum, quos mirabilia de Angelis finxiſſe & indigna prorsùs excogitaſſe, conſtat ex *Iren.*, *Epiph.* & *Theod.*

℣. 11. *Ubi Angeli fortitudine, & virtute cùm ſint majores, non portant adversùm ſe execrabile judicium.*

Senſus eſt, iſti Simonis diſcipuli non verentur cœleſtibus ac glorioſis virtutibus, id eſt, Angelis glorioſis maledicere, cùm ipſi Angeli, robore ac virtute eis *majores*, non inferant ſibi mutuò, id eſt, alii aliis, boni malis *judicium blaſphemum*, id eſt, non impingant eis notam maledicti; non eos cum maledictis execrantur; ſi quando diſceptationem cum eis habent *apud Dominum*, vel coram Domino, ùt in græco additur: ex *Eſtio*.

℣. 12. *Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione ſua peribunt,*

Id eſt, *naturaliter* producta ad capturam & perniciem, ut ab hominibus capta cedant in eorum uſum: vel quæ naturali impetu feruntur non ratione. Sentit Apoſtolus eos adversùs quos ſcribit, more brutorum quæ ſenſu non ratione ducuntur, & in hoc nata ſunt ut capta ab hominibus occidantur, cùm & ipſi ſenſuum voluptatibus totos ſe dedant, tandem judicii die tanquam laqueo captos ad interitum trahendos. *In his quæ ignorant* &c. pro quo *B. Judas*

dicit: *quæcumque ignorant blaſphemant*. Ita ut *Petri* phraſis, alioqui inſolita, ſic exponi poſſit. In iis quæ ignorant, ſuam exercent maledicentiam; vel dici poteſt quòd ſit hebraiſmus, & idem ſit ac ſi diceret; ea quæ ignorant, blaſphemantes. Sicut *invocare in nomine Domini*, idem eſt ac *invocare nomen Domini*. ùt *Pſal.* 19. ℣. 8., & *Pſal.* 72. ℣. 17. Ex ſupradictis autem colligi debet quò reſpiciat blaſphemia: ſcilicet vel homines dignitate prædictos; vel juxta *Eſtium*, Angelicas virtutes. *In corruptione ſua peribunt*. Senſus eſt: illos peſſimos magiſtros, inſtar brutorum animantium, myſteria quæ non intelligunt dentibus maledicentiæ lacerantes, dum ſe totos voluptatibus ſenſuum, etiam contra naturam tradunt & per hoc naturam ſuam corrumpunt, tandem in æternam corruptionem & interitum præcipitandos eſſe: ex *Eſtio*.

℣. 13. *Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum,*

Senſus eſt: iſtos magiſtros eam pœnam, id eſt, corruptionem æternam recepturos eſſe pro mercede ſuarum corruptelarum; felicitatem ſtatuentes in præſentibus hujus ſeculi deliciis. *Coinquinationes & maculæ*, quo nomine à *Petro* vocantur quia in epulis ſuis turpia & omni vituperatione digna exercebant: qualia *Epiphanius* refert *in hær. Gnoſt.* Erant igitur *labes* & *maculæ*, ſeu vituperia, quia toti & animo & corpore polluti erant. Toti *deliciis* ac luxu *diffluentes* in agapis illis ſuis, id eſt, in conviviis, ſpecioſo agaparum nomine obvelatis, quæ vobiſcum exercent. Quod enim legimus *luxuriantes*, meliùs *convivantes vobiſcum* verti poteſt: vel ùt legit *Aug. l. de fide & oper.* c. 25. *Cōëpulantes*: ex *Eſtio*.

℣. 14. *Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii:*

Adulterii, græcè *adulteræ*: q. d. In ipſis oculis adulteram geſtantes. *Et inceſſabilis*, græcè, *& inceſſabiles delicti*: ut ad oculos pertineat, qui à peccando ceſſare neſciunt, ſed indeſinenter & continuò intenti ſunt ad peccandum. *Pellicientes*, græcè, *Ineſcantes*, nimirùm per voluptates carnis quas promittit eorum doctrina, & quas affatim exercent. *Animas inſtabiles* vocat eorum qui nondùm firmi ſunt in fide: tametſi *Hieron.* de charitatis infirmitate exponit hâc paraphraſi: *decipientes animas necdum Chriſti charitate robuſtas. Cor exercitatum avaritiâ habentes*, id eſt, tenentes artes acquirendi per fas & nefas ab iis quibus ſe magiſtros ingerunt, ùt *ſuprà* ℣. 3. *Maledictionis filii*, id eſt, homines maledicti, omnium execratione digni, vel quibus mors, ira, gehenna debeatur ac præparata ſit: ex *Eſtio.*

℣. 15. *Derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit:*

Falſos doctores aſſerit, cùm quæſtûs & avaritiæ gratiâ prædicarent adversùs veritatem relictâ *viâ rectâ*, id eſt, verâ ac ſanâ doctrinâ, *aberraſſe, ſecutos viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit*; quia ſicut *Num.* 21. legitur, Balac miſit oves & boves & munera, ut *Balaam* contra veritatem prophetaret ac filiis Iſraël malediceret: hæc eſt enim *merces iniquitatis* munera pro celanda veritate aut prædicanda falſitate capere; ita *Gaign. Ex Boſor*, magis parentem deſignat quàm locum nativitatis: ita *Cajet.* & *Gaign.*

℣. 16. *Correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ: ſubjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam.*

Correptionem ſcilicet ſibi ab angelo factam, quam Balaam *habuit*, dum aſinus alioquì mutus *voce hominis loquens cohibuit prophetæ inſaniam*, quâ contra Dei voluntatem avaritiâ ſtimulante proficiſcebatur ad maledicendum Iſraëli: *Num.* c. 23., & 24. Balaam prophetam Dei fuiſſe, putat *Eſtius* ſatìs probari ex *Num.* c. 22. ℣. 8. & c. 23. ℣. 5. & 16., item c. 24. ℣. 13. & 17. Nec facit quòd à Moyſe & Joſue vocetur *Ariolus*; quia vox in hebræo correſpondens ſe extendit ad diverſas divinandi ſpecies etiam licitas: ſic *Eſtius*.

℣. 17. *Hi ſunt fontes ſinè aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur.*

Metaphoris hæreticorum naturam depingit; eos vocans *fontes ſinè aqua*, quippè qui aquam vitæ perdiderunt, & ideò quam promittunt ſcaturire non poſſunt aquam: *nebulas turbinibus agitatas*, quippè qui variis & peregrinis doctrinis ad omnem ventum agitentur: *quibus caligo tenebrarum reſervatur*, per quam inferni ſupplicium intelligitur; quod Dominus *tenebras exteriores* vocat *Matth.* 8., 22., & 25.; ex *Eſtio.*

℣. 18. *Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululùm effugiunt, qui in errore converſantur:*

Id eſt, *ſuperba* & faſtuoſa *in vanitate loquentes pelliciunt* & ineſcant *deſideriis luxuriæ carnis*, vel *carnis* laſcivientis *eos qui paululum effugiunt*, ſubaudi *illos*, *qui in errore converſan-*

tur: id eſt, *eos* qui volunt ſe paulatim à ſeductoribus abducere, *pelliciunt* & ineſcant deſideriis & per concupiſcentias luxuriæ carnis: vel *eos* qui feriò pœnitentiam profeſſi verè effugerant atque reliquerant errorem priſtinæ converſationis, novo erroris genere decipiunt, ita *Gaig.* & *Eſtius.*

℣. 19. *Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis: à quo enim quis ſuperatus eſt, bujus & ſervus eſt.*

Significat quâ potiſſimùm arte pelliciant alios ad ſuam doctrinam nimirùm promiſsâ libertate, quâ nihil optabilius & ſuavius audiri ſolet. Undè ſolemne eſt hæreticis libertatem ſuis ſectatoribus polliceri. Erat autem libertas carnis de qua *in* 1. *ep. c.* 2. ℣. 16., *B. Judas* ℣. 4., & *Paulus ad Gal.* 5. ℣. 13. Quomodo autem *libertatem* hanc promiſerint Apoſtolicorum temporum hæretici, nempè Simoniani, Nicolaïtæ & horum ſucceſſores Gnoſtici, laxantes carni habenas ad omne genus turpium voluptatum, tradit *Epiphanius.* Notantur & hæretici noſtri temporis qui ex ſola fide promittunt hominibus ſalutem, eamque certiſſimè conſequendam, nullis obſtantibus peccatis, quæ quis poſt fidem ſemel ſuſceptam patraverit. Oſtendit autem falsò eos promittere libertatem quoniam *ipſi ſunt ſervi* peſſimâ ſervitute; *ſervi* inquam, *corruptionis*, id eſt, peccati in genere, vel concupiſcentiæ ſeu fomitis peccati, de qua *Paulus Rom.* 6.; vel potiùs libidinum quibus ſeſe velut in ſervitutem addixerant: nam *qui* in bello *ſuperatus* eſt, is victori jure cedit in ſervitutem: ſic qui ſe patitur ſuperari à corruptione, is jure quodam ſervus efficitur corruptionis; ùt *Joan.* c. 8. ℣. 34. & *Rom.* 6. ℣. 16., ex *Eſtio.*

℣. 20. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rursùs implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.*

Id eſt, qui enim *effugerunt coinquinationes mundi* hujus *in cognitione*, id eſt, per cognitionem & apprehenſionem *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & *iis rursùm implicati ſuperantur*, *facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus*; ùt *Matth.* 12. ℣. 45.

℣. 21. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.*

Melius, id eſt, minùs malum *erat* &c. Comparantur enim duo mala quorum hoc illo pejus eſt: 1° quia qui viam veritatis agnitam deſerit, jam ſciens peccat, ùt dicitur *Luc.* 12. ℣. 47., & *Jac.* 4. ℣. 17.; 2° quia peccat per ingratitudinem abjiciens dona à Deo accepta, fidem ſeu veritatis notitiam, juſtitiam, ſanctitatem ac cetera chariſmata Spiritûs Sancti, quod peccatum *Paulus* vehementer exaggerat, *Heb.* 6. & 10; & etiam hìc à *Petro* inſinuatur his verbis: *ab eo quod illis traditum eſt*, &c. 3° quia peccat graviſſimo peccato vel hæreſis vel apoſtaſiæ, nam etſi non omnes qui poſt baptiſmum relabuntur ad hujus mundi coinquinationes, in hæreſim vel apoſtaſiam incidant: proclivè tamen eſt, ut qui *bonam conſcientiam* repellunt, *circa fidem* naufragium faciant: ùt dicitur 1. *Tim.* 1. Patet ex his verbis poſſe viam veritatis cognitam deſeri, ac proindè fidem & charitatem ſemel habitam amitti (quod negant ſectarii) ſic ut *fiant noviſſima illius pejora*

prioribus, *Matth.* 12. Hinc & illud conſequens eſt, hominem fide & charitate imbutum non eſſe certum de ſua ſalute: ita *Eſtius*.

℣. 22. *Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.*

Contigit enim eis illud veri proverbii, ſeu illud quod vero proverbio dici ſolet: legitur autem *Prov.* 26. ℣. 11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum; ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.* Sicut etiam fruſtrà *lota eſt ſus* quæ ſe ſtatim rursùs *cæno involvit*: ita fruſtrà Chriſti cognitionem accepit, qui confeſtim ad priſtina delicta redit; ex *Gaign.*

CAPUT III.

Monet ut in adventu Domini ſe præparent: Pauli doctrinam eis commendat.

℣. 1. *Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem:*

d. Tales hæretici venturi ſunt, & ideò q. *ecce* pro eadem cauſa *hanc ſecundam Epiſtolam vobis ſcribo, in quibus*, duabus epiſtolis *per commonitionem excito* & exſtimulo *veſtram ſinceram mentem*, id eſt, ſinè ſimulatione, & eatenùs hujuſmodi commonitionis capaciorem: ex *Eſtio*.

℣ 2. *Ut memores ſitis eorum, quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.*

Ut memores ſitis verborum quæ prædicta ſunt

à ſanctis prophetis : priùs ad Prophetarum, deindè ad Apoſtolorum verba animo recolenda fideles excitat : *Et Apoſtolorum veſtrorum &c.* Hujus partis ſenſus variè redditur; aptior hic videtur : ut memores ſitis etiam mandati ſeu mandatorum quæ accepiſtis à nobis Apoſtolis Chriſti Domini & Salvatoris. Magìs enim convenit lectioni græcæ, & priori parti congruenter reſpondet, utì & ei quod in ſimili commonitione dicit *B. Judas* ℣. 17.; ex *Eſtio.*

℣. 3. *Hoc primùm ſciéntes, quòd venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes,*

Hìc jam oſtendit Apoſtolus neceſſitatem commonitionis; undé dicit, *primùm*, tanquam de re præcipua quam ſcire eos oporteat ob cautelam futurorum. *Venient*, non dicit quòd mittentur, quia non authoritate divinâ, ſed uſurpatione propriâ *venient in noviſſimis diebus*; pro quo *B. Judas* ℣. 18. dicit : *in noviſſimo tempore :* quod hebræâ conſuetudine ſignificat tempus futurum ſive in longinquum ſive etiam proximè; ùt 1.*Tim.* 4., & 2.*Tim.* 3. Hìc autem conſtat, *Petrum* primariò loqui de ſeductoribus paulò pòſt exorituris, præſertim ex Simonis ſchola. *Illuſores* autem dicuntur, vel quia illudunt præcipua Religionis Chriſtianæ puncta, reſurrectionis imprimìs & extremi judicii : vel quia quos decipiunt, exponunt aliorum ludibriis, & ipſimet eos in corde derident tamquam ignaros doli & ſimplices. *Juxta proprias concupiſcentias ambulantes :* id eſt, obſequentes carnalibus ſuis deſideriis, gulæ & libidini ſervientes : ita *Eſtius.*

℣. 4. *Dicentes: Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.*

Verba ſunt impiorum illorum Illuſorum: ſed dubium occurrit, quid voluerint dicendo: *Ubi eſt promiſſio?* &c. *Beda* quem nonnulli ſequuntur, hæc ab iis dicta putat ad ſignificandum tarditatem adventûs Domini: quomodo dicebat ſervus malus *Matth.* 24. ℣. 48. & 49., & *Luc.* 12. ℣. 45. Alii hâc interrogatione ſimpliciter negari putant futurum Chriſti adventum: ut hæc reſponſio ſit. Vana eſt promiſſio: numquam veniet Dominus; ita *Liran.* & multi recentiores, idque rectiùs ait *Eſtius.* *Ex quo enim Patres dormierunt* &c. His verbis Illuſores illi argumentum erroris proponunt deſumptum à perpetuo & ſtabili naturæ curſu quem promiſſionibus Chriſti opponunt. Senſus autem hujus partis eſt: *Ex quo* tempore (inquiunt) antiqui *Patres*, id eſt, Patriarchæ & Prophetæ, quos dicitis crediſiſſe & annuntiaſſe ſecundum, eundemque glorioſum Chriſti adventum, *obdormierunt*, id eſt, mortui ſunt, quamvis tot ſecula jam præterierint, nihil tamen hujus mundi mutatum vidimus, ſed manet eadem facies cœli & terræ & aliarum mundi pártium, quæ fuit ab initio quo mundus cœpit. Hinc colligi volebant eundem mundi ſtatum ſemper duraturum, quaſi qui author eſt naturæ nihil in ea mutare poſſit, aut quaſi diuturnitas præſcribat mutationi: *Ubi eſt*, inquiunt, promiſſus ejus *adventus*? Hæc ab eis dicta ſunt non tam ad eximendum metum futuri judicii, quàm ad ſpem adimendam futuræ remunerationis & gloriæ, ut eorum ſectatores de futuris & ſpe vacui & metu

liberi, totos ſe præcipitarent in voluptates vitæ præſentis: tamquam dicentes; ùt illi 1. *Cor.* 15. ℣. 32. *Edamus & bibamus : cras enim moriemur.* Item *Epheſ.* 4. ℣. 19. Fuit hæc, teſte *Epiphanio*, doctrina Gnoſticorum & quorumdam aliorum : ex *Eſtio.*

℣. 5. *Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo :*

Apoſtolus prædictum impiorum argumentum refutans incipit primò à refutatione illius quod dixerunt : manere eamdem faciem cœli & terræ, & aliarum mundi partium quæ fuit ab initio *quo mundus cœpit.* Quod negat dicens : eos ſpontè ac datâ operâ, id eſt, craſsâ & affectatâ ignorantiâ neſcire, quod facilè ex ipſa Scriptura, ſcilicet ex hiſtoria creationis Mundi *verbo Dei* facta, & diluvii ac mutationis tunc in mundo factæ, diſcere poterant. Ex quo colligendum relinquit Apoſtolus, nulli incredibile videri debere, ſi dicatur aliquando futuram mutationem cœli & terræ tantam quæ mundi conſummationem indicat : quando & Chriſtus venturus eſt & promiſſa completurus. Reſtat nunc explicare ſingula verba Apoſtoli. *Latet enim eos volentes*, id eſt, ſpontè ſeu voluntariè ignorant *hoc quòd cœli erant priùs*, græcè, *jam olim*, id eſt, ab ipſo mundi initio *verbo* ſive imperio ſeu voluntate *Dei* conditi. *Terra* quoque eodem *Dei verbo* ab initio fuit *de*, ſeu *ex aqua* exſtans ſcilicet & veluti emergens. Fuitque *per aquam conſiſtens* compacta & ſolidata, ne diffluat in pulverem & ut apta ſit productioni & conſervationi corporum mixtorum ; omnia hæc *verbo Dei* facta ſunt in ipſa mundi creatione : ex *Eſtio & Mauduit.*

℣. 6. *Per quæ, ille tunc mundus aquâ inundatus periit.*

Per quæ ille tunc mundus, id eſt, qui tunc erat mundus *aquâ inundatus periit.* (Mundum autem, ùt græca ſcholia intelligunt, non materialem & inſenſibilem hanc materiam intelligere debemus, ſed quæ tunc erant viventia præter ea quæ in arca Noë ſervata ſunt; cùm inanimata cetera ne mundi quidem nomen habere debeant.) *Per quæ*, aliqui referunt ad tria præcedentia, cœlos, terram & aquam: nam è cœlis, id eſt, aëre pluit 40. diebus & 40. noctibus: & aquæ è viſceribus terræ erupe-runt & exundarunt. *Eſtius* tamen ex græco dicit verti debere *per quos* nempè cœlos: ut ſenſus ſit; per imbres cœlitùs effuſos genus humanum, quod *tunc* erat, aquis ſubmerſum periiſſe. Qui ſenſus conformis *Gen.* 7. ℣. 11. clarus & perſpicuus eſt, ait dictus author.

℣. 7. *Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt igni reſervati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.*

Refutato antecedente Apoſtolus nunc refutat conſequentiam ſcilicet, *eumdem ſemper duraturum mundi ſtatum* &c.; & aſſerit à contrario, illum ſicut ſemel jam aquâ periit, ſecundò perdendum igne: cui cœlum & terra, quæ nunc ſunt, *eodem* Dei *verbo repoſiti*, græcè, *theſaurizati ſunt*, ac ſi dicas in theſauro verbi Dei repoſiti & reconditi ſunt. *Igni reſervati in diem judicii*, id eſt, in illud tempus quo exercebitur univerſale judicium generis humani, & in interitum mittentur *homines impii*: quorum *perditionis* meminit, ut uſum illius ignis præcipuum oſtendat, qui eſt

iniquos in æternum cruciare : ſimul ut impios dicentes : *Ubi eſt promiſſio ?* &c. ſalubriter perterrefaciat. Sic *Eſtius.*

℣. 8. *Unum verò hoc non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.*

Reſpondet nunc cavillo & illuſionibus impiorum deſumptis à retardato adventûs Domini : quamvis, inquit, lateat quando venturus ſit Dominus, *unum* tamen *hoc latere vos* non debet ; ſed volo ut, quoties animum ſubit ſcrupulus de tarditate adventûs Domini, hoc cogitetis, ſcilicet, *quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni* &c. ; id eſt, in oculis atque æſtimatione Dei æterni & immutabilis *unus dies & mille anni* non differunt, quoad proportionem menſuræ cum tempore infinito : nam utrumque comparatione æternitatis eſt velut punctum comparatione temporis : ex *Eſtio.*

℣. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant : ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Videtur hìc ſubaudiri conjunctio illativa, *ergò* : hoc ſenſu. *Non* ergò *tardat Dominus promiſſionem ſuam* : vel ùt Græci legunt, *Non ergò Dominus qui promiſit, tardat*, id eſt, ultrà quàm oporteat, differt præſtare quod promiſit. *Sed patienter agit propter vos*, græcè, *ſed longanimis eſt erga nos* : quibus inſinuat hoc quod dilationem vocant, non eſſe niſi patientiam & longanimitatem Domini qui differt ultionem, *nolens aliquos perire* &c. Hæc autem quæ hìc Chriſto Domino attribuuntur,

Deo ſoli competunt, atque ita ſimul divinitatem Chriſti indicant. Sed quæſtio eſt, quo ſenſu jam dicta vera ſint, cùm conſtet, non *omnes* homines *ad pœnitentiam* converti. Quidam interpretantur hæc verba de voluntate conditionata, Deum velle omnes ad pœnitentiam venire, modò ipſi velint : alii Deum id velle quantùm in ipſo eſt. Verùm hujuſmodi ſenſum jam excluſimus & improbavimus ex *Aug*. &c. ad 1. *Tim*. 2. ℣. 4. Undè probabiliores ſunt ſequentes : ut dicatur Dominus velle omnes ad pœnitentiam venire, vel quatenùs humano generi in univerſum media quædam & auxilia generalia providit & contulit, per quæ poſſent homines ad Deum converti, licèt ea ad hominum converſionem & ſalutem abſque ſpecialibus auxiliis, quæ non omnibus dantur, minimè ſufficiant : vel quatenùs vult & facit pios homines nolle quempiam perire, ſed velle & deſiderare ut omnes à Deo averſi ad ipſum per veram pœnitentiam convertantur & ad ſalutem perveniant. Verumtamen ſenſus ſequens huic loco accommodatior eſt : ut Dei voluntas hìc intelligatur abſoluta & propriè dicta; non tamen de omnibus hominibus, ſed de ſolis electis; dicit enim *Petrus propter vos* utique electos : ſcribit enim ad eoſdem ad quos *primam Epiſtolam* ſcripſit, cujus inſcriptio eſt ad *electos*, c. 1. ℣. 1. Similis eſt locutio *Pauli* 2. *Tim*. 2. ℣. 10. Et convenit hic ſenſus cum *Matth*. c. 18. ℣. 14. & c. 24. ℣. 22., & *Apoc*. 6. ℣. 11.; ex *Eſtio*.

℣. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur*.

Sicut enim, imprudentibus domeſticis, in do-

mum fur irrepit, ſic ignorantibus nobis & nec opinantibus *ſuperveniet dies adventûs Domini in quo* die *cœli magno impetu tranſient:* ſenſus eſt, cœlos aëreos cum procelloſa ac horribili commotione prævia tranſituros eſſe, ſeu perituros (quemadmodùm *ſuprà* dixit mundum aquâ inundatum periiſſe) hoc eſt, ingentem mutationem paſſuros, videlicet per ignem. *Elementa verò calore ſolventur:* quod *Beda* de quatuor elementis, igne, aëre, aqua & terra intelligit; *quæ cuncta*, inquit, *ignis ille maximus abſumet.* Nec tamen in tantum conſumet, ut non ſint, ſed duo ex toto conſumet, duo verò in meliorem reſtituet faciem: vel omnia quatuor manebunt ſecundùm ſubſtantiam, non ſecundùm ſtatum generationis & corruptionis mundanum, ſecundùm quod dicitur *infrà* ℣. 13. Hæc *Bedæ* explicatio plures ob cauſas non placet *Eſtio:* qui dicit, rectiùs alios exiſtimare, terram & aquam ſolas hâc parte nomine elementorum comprehendi. Porrò *diſſolutionem* intellige non quâ ſubſtantialiter immutantur, ſed per quam, ablatâ ac velut excoctâ omni impuritate, reddantur omninò pura & veluti per ignem examinata & probata. *Terra autem & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Terra*, non totus terræ globus, ſed partes exteriores, uſibus humanis ſervientes, & peccatis hominum quodammodò infectæ. *Opera* verò intelligunt plerique quæ ex primæva Dei inſtitutione in terra ortum habent: id eſt, corpora mixta ùt beſtias, arbores, aurum, argentum, &c. quæ omnia *exurenda* ſunt, non ut purgentur, ſed ut penitùs tollantur reſolutione factâ in ipſa elementa. Vel intelligi poſſunt *opera* hominum arte facta ùt ædificia, civitates, &c. *Eſtio* tamen magìs probabile apparet per *opera quæ in terra ſunt*, *Petrum* intellexiſſe actus

terrenos, id eſt, ópera peccatorum: qui commentarius conſonat 1. *Cor.* 3. ℣. 13. *& ſeqq.* & cohæret cum *Verſu ſequenti.*

℣. 11. *Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus, & pietatibus,*

q. d. Mundus qui noſtri causâ conditus eſt, incendio ſolvetur, purgabitur, innovabitur; ut noſtrûm, id eſt, electorum atque juſtorum fiat receptaculum: quantùm igitur nos ipſos, ut in habitaculum illud recipiamur puros & ſanctos eſſe convenit? Erimus autem tales, ſi per omnia ſanctè & piè converſemur. Senſui jam dato reſpondent quæ ſequuntur uſque ad *verſum* 15.; ita *Eſtius.*

℣. 12. *Expectantes & properantes in adventum diei Dominì, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent?*

Senſus eſt. Nos diligenti ſtudio bonarum actionum id agere debemus ut acceleretur adventus Dei; ſit enim eo pacto ut citiùs compleatur numerus electorum ac deſinat querela dicentium: *Ubi eſt promiſſio aut adventus ejus?* Vel meliùs ſecundùm *Eſtium*, legitur hoc modo: *Expectantes adventum diei Domini* & ad eundem *properantes*; q. d. Non ſolùm volo ut diem illum expectetis, vigiles ſemper & parati ſuſcipere dominum quando venerit, quod bonorum ſervorum eſt, de quibus *Luc.* 12. ℣. 37.; ſed inſuper exhortor ut in occurſum Domini venturi properetis; quò magìs ardens veſtrum deſiderium adventûs illius teſtemini: huc pertinet parabola virginum *Matth.* 25. *Per quem*, ſcilicet adventum, id eſt, in quo *cœli ardentes ſolventur*, &c. Ne verò quis putaret, interituram eorum ſubſtantiam; ſubdit.

℣. 13. *Novos verò cœlos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat.*

Hieronimus ſic recitat hunc locum in commentario *Iſaïæ* 65. *Novos autem cælos, & novam terram videbimus*, & *repromiſſionem ejus*: ubi & ſubjungit pro commentario: *Non dixit alios cælos, & aliam terram videbimus, ſed veteres in melius commutatas. Novos* ergò intellige repurgatos & renovatos & melioribus qualitatibus affectos, remanente ſubſtantiâ. Quo ſenſu & accipiendum quod dicitur *Apoc.* 21. ℣. 1. & *Matth.* 24. ℣. 25.; ita ut fiat illud quod ſcribit *Iſaïas* c. 30. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis: & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.* Porrò Apoſtolus dicens, *novam terram* ſimul aquam vult intelligi. Addit *ſecundùm promiſſa ipſius* ſcilicet Chriſti Dei ac Domini, facta ſcilicet *Iſaïæ* c. 65. ℣. 17. & c. 66. ℣. 22. Si cui placet, ait *Eſtius*, illa quorumdam codicum lectio: *& promiſſa ipſius*, exponi poterit de bonis quæ Chriſtus paſſim ſuis electis promiſit, gloriam reſurrectionis, immortalitatem, regni ſui ſocietatem &c. *In quibus* ſcilicet cœlis & terra renovatis *juſtitia habitat* perfecta ſcilicet; vel intelligit homines perfectè juſtos, quorum habitaculum, regnum & palatium erit integer mundus: *Apoc.* 5. ℣. 10.; ex *Eſtio*.

℣. 14. *Propter quod chariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati, & inviolati ei inveniri in pace.*

Id eſt, cùm promiſſa certò expectent ii, in quibus juſtitia habitat, vos qui eadem promiſſa expectatis, date operam *immaculati & inviolati*, vel inculpati, aut incontaminati *inveniri ei*, id eſt, *apud* Dominum *in pace*, ſic *Guig.*

℣. 15. *Et Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis,*

Id eſt, quòd *Dominus* longanimis vos ad pœnitentiam tamdiu ſuſtinet, nolite exiſtimare eſſe promiſſionis tardationem; ſed *ſalutem arbitremini*; id eſt, exiſtimate ob veſtram eum ſalutem id facere. *Sicut* &c. *Paulus ſcripſit vobis*, ſcilicet ad *Rom.* 2. ℣. 4. *Eſtius* tamen probabiliùs putat *epiſtolam ad Hebræos* à *Petro* ſignificatam: non enim aliam, inquit, ſpecialiter ad Judæos ſcripſit *Paulus*: & dicit, hæc à *Petro* citata haberi c. 10. & *ſeqq. uſque ad finem*: & quidem præcipuè c. 10. ℣. 36. & 37.

℣. 16. *Sicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.*

Sic ordinanda lectio: *ſicut* ſcripſit vobis *in omnibus epiſtolis loquens in eis de his*, ſcilicet de adventu Domini & longanimitate ipſius. *In quibus*, refertur non ad epiſtolas; ſed ſenſus eſt; inter quæ verba *Pauli ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles*, ſcilicet hæretici, *depravant vel* detorquent *ad ſuam ipſorum perditionem*; *Sicut & ceteras ſcripturas*: quâ parte *Petrus* in canonem ſacrarum ſcripturarum adſcribit *Pauli* epiſtolas. Et locus hic evidens eſt contra ſectarios, facilitatem Scripturæ S. ſemper extollentes & ideò ejus lectionem omnibus indiſcriminatim injungentes. Patet etiam non novum eſſe hæreticis, quòd abutantur *Pauli* verbis malè intellectis: ex *Eſtio*, & *Gaign.*

℣. 17. *Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.*

Concludit Epiſtolam monens ut ab impoſtoribus, de quibus multa ſuperiùs, ſibi caveant: *Ne* iniquorum & nefandorum *errore* abducti, *excidant à propria firmitate*, id eſt, à firma fide veſtra. Oſtendit hic locus fidem Chriſtianam amitti poſſe contra *Calvinum.*

℣. 18. *Creſcite verò in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.*

Id eſt, operam date, ut *creſcatis in gratia*, &c. quod fit ſtudio bonorum operum; per hæc enim tam gratiæ quàm fidei comparatur augmentum. *Gratia Chriſti* intelligitur ea, quâ nos Patri & ſibi gratos efficit, & *in cognitione*, quâ eum & ejus myſteria cognoſcimus. *Ipſi gloria nunc* ſcilicet per fidem, in cœlo per ſpeciem: *in diem æternitatis*, id eſt, nunc & in futuro, ex *Eſtio.*

IN PRIMAM B. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM CATHOLICAM.

ARGUMENTUM.

VErſatur hæc Epiſtola potiſſimùm in aſtruenda Chriſti Domini vera œconomia, ad quam pertinent imprimis hæc fidei noſtræ myſteria: Jeſum Chriſtum verum Deum ac Dei filium, eumdemque eſſe verum hominem ac verâ carne præditum: item eum eſſe advocatum noſtrum ad Patrem *& propitiatorem pro peccatis noſtris &c. Quâ doctrinâ retundit hæreſes Ebionis & Cerinthi Chriſti divinitatem negantium, & Baſilidis ejuſque ſequacium negantium eum in vera carne veniſſe, ideòque nec verè paſſum &c. item Arii, Neſtorii, Eutychetis & Pelagii: quos uno nomine Antichriſtos, id eſt, Chriſti adverſarios vocat. Deindè hortatur fideles ut in luce cum Chriſto ambulent, peccatores ſe agnoſcant, ubi peccaverimus Chriſto fidant: charitatem invicem ſervent, ſpiritu probent, in Chriſtum credant & confidant. Etiam hìc reflectendum eſt quod ſcribit* S. Aug. l. de fide & oper. c. 14., *Apoſtolos, qui Catholicas ſcripſerunt Epiſtolas, intentionem direxiſſe contra pernitioſam hanc opinionem, fidem ſinè operibus ad ſalutem ſufficere. Contra quam non ſegniter agit* Joannes, *idque per ſingula capita: & quidem c.* 1. ℣. 6., *c.* 2. ℣. 4., *c.* 3. ℣. 7., *c.* 4. ℣. 20., *& c.* 5. ℣. 3.

CAPUT I.

Dei verbum ab æterno fuiſſe, in tempore apparuiſſe, Deum lucem eſſe, neminem eſſe ſinè peccato.

℣. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ:*

IDem ferè eſt exordium hujus epiſtolæ cum Evangelio; nam ùt ibi dixit *Joannes: In principio erat verbum*, ita de eodem verbo loquens hic incipit: *Quod fuit*, græcè, *erat in principio*: quod utrumque initium ad divinitatem Chriſti proculdubiò referendum eſt. *Quod audivimus*. Hoc & ſequentia in perſona ſua & ceterorum Apoſtolorum dicit, ùt in Evangelio: *Vidimus gloriam ejus* &c. *Quod audivimus*, id eſt, quem Dei Filium ore ſuo benedicto loquentem ac docentem auſcultavimus. *Quod vidimus* &c. gradum facit ad ſenſum certiorem: addit, *oculis noſtris* ſcilicet corporis, majoris expreſſionis gratiâ: *Vidimus*, inquit, in humana carne converſantem, edentem &c. in monte transfiguratum, cruci affixum &c. *Quod perſpeximus* viſione ſcilicet intentâ & curioſâ. *Et manus noſtræ contrectaverunt*, id eſt, *palpaverunt* ſcilicet ipſe *Joannes* recumbens in ſinu Jeſu, *Joan.* 13., *Petrus Matth.* 14. ℣. 31., omnes diſcipuli *Joan.* 13. ℣. 5. & *ſeqq.* & *Thomas Joan.* 20. ℣. 27. Undè clarum eſt, hæc reſpicere humanam Chriſti naturam:

atque ita ex ſolo hoc verſu rectè ſtatuitur unitas Perſonæ in verbo incarnato, id eſt, utramque naturam habente, divinam & humanam. *De verbo vitæ*, ſcilicet de Dei filio verbo Patris, quod *vitæ* vocatur, tum quia eſt vivens imò ipſa vita eſſentialiter: tum quia vivificum eſt, id eſt, vita cauſaliter ſeu vitam ac ſalutem adferens hominibus. In eo, autem quod ait *de verbo vitæ*, locutio videtur tranſitiva, hoc modo in recto exponenda: Ipſum *verbum vitæ quod erat ab initio, quod audivimus* &c. *annuntiamus vobis:* ita *Auguſt. in Expoſ. hujus epiſt.*, *Lorinus* & alii; ex *Eſtio.*

℣. 2. *Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:*

Vita vocatur verbum vitæ Jeſus Chriſtus Dei Filius, ùt *Joan.* c. 1. ℣. 4., c. 11. ℣. 25. & c. 14. ℣. 6. *Manifeſtata eſt* autem *vita*, Dei Filius per incarnationem & cum hominibus converſationem, doctrinam & miracula. *Et vidimus* &c. planior fiet contextus ſi ſuppleatur hoc modo: *Quam & vidimus, de qua proindè & teſtificamur, & quam vobis annuntiamus, vitam, inquam, æternam.* Quomodo vidiſſe dicat, explicatum eſt *ſuprà*. Et quia *Joannes* & ceteri Apoſtoli tot modis viderant, teſtes erant idonei qui *vitam* illam annuntiarent *æternam*, quam meruit nobis ùt homo, præſtat ùt Deus, qui per eſſentiam eſt vita: *quæ erat apud Patrem*, tanquam perſona ab eo diſtincta, ſed unum cum eo in eſſentia; quippè particula *apud* & propinquitatem & differentiam denotat. *Apparuit* autem *nobis* hominibus vita, quando Verbum caro factum cœpit habitare & converſari cum hominibus. Totus hic verſus parentheſi incluſus legi debet: ex *Eſtio.*

℣. 3. *Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto.*

Repetit ex ſuperioribus, *quod vidimus*, ut orationem quam reliquit ſuſpenſam, abſolvat. q. d. *Quod*, inquam, *vidimus* nos Apoſtoli idipſum, tamquam certiſſimi teſtes, *vobis annuntiamus*, nam probatiſſimi teſtes ſunt oculati & auriti. *Ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum*: per hæc deſignat cauſam finalem ſeu fructum annuntiati per Apoſtolos Evangelii de verbo incarnato, qui eſt, ut eorumdem *nobiſcum* bonorum efficiamini participes, *utque ſocietas noſtra*, id eſt, veſtra nobiſcum adunata *ſit cum Deo Patre & Filio*. Hæc pars in græco ſic legitur: *Et ſocietas autem noſtra cum Patre* &c.; in ſyriaco verò: *Eſt autem ſocietas* &c. Juxta quas lectiones ſenſus eſt: Noſtra autem ſocietas nobis communis eſt cum Patre & Filio ejus Jeſu Chriſto: quæ profectò omnibus vobis exoptanda eſt. Quare ſi nobiſcum inieritis ſocietatem; conſequenter eritis unà nobiſcum ſocii Patris & Filii: quæ, ut omnes intelligant quanta ſit & quàm optabilis ſocietas, exprimitur nomine amicitiæ: ſicut alibi eam ſcripturæ exprimunt: ùt *Sap.* 7. ℣. 27., *Luc.* 12. ℣. 4., *Joan.* c. 11. ℣. 11., & c. 15. ℣. 14. & 15. Hoc autem nomen tantum & tale eſt, ut tamquam maximum elogium referatur: ut *Jac.* 2. ℣. 23., & *Luc.* 1. ℣. 29. Præclarè meminit hujus noſtræ cum Deo ſocietatis *Paulus* 1. *Cor.* 1. ℣. 9. Ex his prætereà collige, neminem cum Deo ſocietatem habere qui talem cum Eccleſia Catholica & Apoſtolica non habet: qua de re *Cyprianus l. de unitate Eccl.*; non poteſt habere Deum Patrem qui Eccleſiam noluerit

habere matrem. Eadem eſt ſententia *Aug. in enarr. Pſal.* 88. *in fine*; ex *Eſtio.*

℣. 4. *Et hæc ſcribimus vobis ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.*

Plenum, græcè, *impletum. Hæc* quæ dixi de verbo æterno, incarnato, & per nos vobis annuntiato; ut unà nobiſcum ſocietatem habeatis cum Patre & Filio: *ſcribimus vobis* in eumdem finem, *ut gaudeatis* gaudio vero & ſpirituali, nimirùm de bonis in illa ſocietate acceptis & accipiendis: utque *gaudium* illud perficiatur & perſeveret. In græco legitur: ut *gaudium noſtrum ſit plenum*; cujus ſenſus eſt: Ut nos de vobis tanquam ſociis & conſortibus ejuſdem gratiæ *plenum* ac perfectum capiamus *gaudium*; ita *Beda* & *Oecum.*

℣. 5. *Et hæc eſt annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.*

Hactenùs prooemium epiſtolæ; nunc incipit exhortationem. *Et hæc eſt annuntiatio*, ſeu promiſſio: eſt autem hebraiſmus, ubi annuntiatio ponitur pro re annuntiata: Hoc, inquit, eſt quod *audivimus ab eo* ſcilicet Chriſto, *Quoniam Deus lux eſt* &c. Deus autem lux eſt, 1° quoad intellectum quia infinita eſt ſapientia ejus: 2° quoad voluntatem, quia ſumma bonitas, juſtitia & rectitudo eſt. 3°. propter effectum divinæ lucis in nobis, quod Apoſt. potiſſimùm ſpectaſſe videtur: quia in ſeipſo ita lux eſt puriſſima, nulliſque permixta tenebris, ut etiam fons ſit omnis lucis, id eſt, veritatis, bonitatis ac juſtitiæ quæ in nobis eſt; & ita *tenebræ* erroris & ignorantiæ & peccati ab illa luce, quæ Deus eſt, alienæ ſunt, ut etiam

à nobis errorem & peccatorum tenebras expellat; qui ſenſus colligitur ex ſequentibus & congruit Evangelio *Joan.* c. 1. ℣. 5. & c. 12. ℣. 46.; ex *Eſtio.*

℣. 6. *Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.*

Veritatem non facimus, hoc eſt, facto non probamus verum eſſe quod verbo aut cogitatione loquimur. Aut, *non facimus*, id eſt, non loquimur veritatem. Nota quòd non omnis is, in quo aliquæ ſunt peccatorum tenebræ, *in tenebris ambulat*: ſed is ſolus cui tenebræ dominantur, id eſt, in quo peccatum regnat *Rom.* 6. ℣. 12. & 14., & qui ſervus eſt peccati, *ibidem* ℣. 17. & 20., nam & tenebras patitur qui in luce ambulat, imò qui lux eſt in Domino.

℣. 7. *Si autem in luce ambulamus ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.*

Significat inter ipſos quibus ſcribit & Apoſtolos Chriſti ſocietatem conſtare non poſſe proindè nec cum Deo, niſi *in luce ambulent*; ne vanè de ſocietate & amicitia Dei ſibi plaudant. *In luce ambulamus*, ſi exercemus opera lucis, id eſt, veritatis, bonitatis, juſtitiæ cum profectu. *Sicut & ipſe eſt in luce*, nimirùm immutabilitèr, ùt *Pſal.* 101. ℣. 13. *Sicut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem ſignificat, ſeu potiùs imitationem alienæ perfectionis in nobis exprimendæ, ùt *Matth.* 5. ℣. 48. & *Luc.* 6. ℣. 36. *Et ſanguis Jeſu Chriſti* &c.; quibus verbis oſtendit non ita nos in luce ambulare ut tenebris omninò careamus, ſed opus eſſe nobis

continuâ tenebrarum diſcuſſione, id eſt, peccatorum purgatione quæ fit per *ſanguinem Jeſu Chriſti filii Dei.* Dicitur verò *nos emundare ab omni peccato*, in fieri non in facto eſſe: ita ut numquam, cùm hìc vivimus, ſimus *ab omni peccato* prorsùs emundati.

℣. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Cùm ſepties cadat juſtus in die & non ſit homo mundus ſuper terram neque infans unius diei: *Si dixerimus* in nobis peccatum non eſſe, *noſipſos ſeducimus*: cùm dicat *David: Delicta quis intelligit?* & *Paulus*; *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Quicumque enim ſe aſſerit peccati expertem eſſe, indubiè præſumptionis vitio laborat: & ita ſeipſum ſeducit, neque *veritas* in eo eſt, qui etſi peccatum non haberet, cùm tamen id ſibi tutò promittit, peccat: ita *Gaig.* Multis enim modis peccatum quis habere dicitur 1°. propter affectum peccati quatenùs in hoc ſeculo nemo reperitur planè purgatus ab omni vitioſo affectu; ex *Aug. in Pſ.* 118. 2°. propter reatum peccati, & ſic ſemper dicere debemus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Ex *Aug. l.* 1. *de nuptiis & concup.* c. 26. 3° propter actum peccati, non quidem præſentem, ſed frequentem & quotidianum. 4°. propter peccatum in quo nati ſumus, aut quod actu commiſimus. At verò ultimus hic ſenſus preſenti loco minimè congruit: Apoſtolus enim exigit confeſſionem peccatorum proponens ſpem veniæ ℣. 9. Loquitur ergò de peccatis remittendis: quale non eſt originale in Fidelibus ad quos ſcribit. Vult igitur, ùt *Jac.* c. 3. ℣. 2. & c. 5. ℣. 16., ut confiteantur offenſas ſuas quotidianas. Ex quo

patet ſenſum tertio loco allegatum præcipuè à *Joanne* intentum eſſe; quem explicant, aliiſque Scripturæ locis declarant *Patres Milevitani*, *Canonibus* 6. 7. & 8.; ex *Eſtio*.

℣. 9. *Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Poſtquam docuit neminem carere peccato, nunc commonſtrat generale remedium; nempè peccatorum confeſſionem: eam nimirùm, quæ paſſim in Scripturis V. & N. Teſtamenti deſcribitur & commendatur: ſive ea coram ſolo Deo fiat, ſive coram ſacerdote Dei vicario, juxta temporum & peccatorum differentiam. Nomine *confeſſionis* tota pœnitentia intelligenda eſt. *Fidelis & juſtus*, ſupple, *Deus* vel *Jeſus Chriſtus*. *Fidelis* quidem quatenùs promiſſa dandi veniam peccatoribus pœnitentibus obſervat. *Juſtus* autem non quòd pœnitenti lege juſtitiæ debeatur venia ùt benè operanti vita æterna; ſed vel quia ſervare fidem promiſſorum pars quædam juſtitiæ eſt, vel quia condecet divinam bonitatem humiliter peccata confitentibus condonare. Fidelis itaque eſt Deus & ſibi infinitè juſtus, ut det veniam confitentibus, licèt non tamquam mercedem; cùm eam ſub tali ratione non promiſerit. Dixit: *& emundet nos ab omni iniquitate*, quod nota, non fieri ſolâ peccatorum non imputatione, ùt contendunt hæretici, ſed verâ renovatione vitæ.

℣. 10. *Si dixerimus quoniam non peccavimus: mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.*

Prima pars dupliciter exponi poteſt: vel ut ſit repetitio & inculcatio ejus quod dictum eſt ℣. 8., juxta quem ſenſum idem eſt *Joanni* non

peccaſſe & *peccatum non habere.* Vel aliquid diverſum ℣. 8. dicitur : ut ſenſus ſit. *Si* quis verò noſtrûm eò temeritatis proceſſerit, ut non modò dicat, ſe peccatum non habere, ſed inſuper audeat dicere, ſe nunquam peccaſſe; is non ſolùm mendax eſt ſeducens ſeipſum, ſed & Deum *facit mendacem*, qui paſſim totum humanum genus peccati arguit; ùt pulchrè ex pluribus Scripturæ locis ſimul collectis docet *Paulus ad Rom.* 3. Poſterior hic ſenſus *Eſtio* probabilior apparet, quia *Joannes* videtur hoc dicere contra Judaïzantes, qui corruptæ naturæ pravitatem non agnoſcebant. *Et verbum ejus non eſt in nobis*, id eſt, Verbum incarnatum ſeu Chriſtus non habitat in nobis per gratiam : ita *Thom.* Sed *Eſtius* hunc ſenſum præfert: *Verbum* ſcilicet Evangelii, quod nos à Deo miſſi vobis annuntiamus, ſcilicet quòd ſanguine Chriſti omnes à peccatis ſimus mundandi, *non eſt in nobis* per fidem. Nam non credere Evangelio Dei eſt Deum *facere mendacem.*

CAPUT II.

Monet Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis, hortatur ad mutuam dilectionem, & docet fugiendos Antichriſtos.

℣. 1. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum:*

Filioli, vox eſt blandiſſimè monentis, quâ & Chriſtus ad diſcipulos uſus fuit *Marci* 10. ℣. 24. & *Joan.* 13. ℣. 33. & *Paulus ad Gal.* 4. ℣. 19. & *Joannes* hìc frequentiùs utitur. Quod ait, *hæc ſcribo vobis*, nempè nos omnes

peccaſſe & peccatum habere & à peccatis emundari in ſanguine Chriſti ſi ea confeſſi fuerimus; nam inolita conſuetudo peccandi & facilitas veniæ ſolent incitamento eſſe ad iteranda peccata : dicit ſe hæc non ſcripſiſſe ut liberiùs peccent, ſed contra ut peccata ſolicitè vitent, ùt *Rom.* 6. ℣. 1. & 2. Sicut autem *ſuprà* remedium monſtravit obtinendæ remiſſionis peccatorum, nempè confeſſionem eorum; ita *advocatum* oſtendit cujus interceſſione & merito eadem purgatio nobis contingat, ſive peccatum ſit veniale ſive mortale. Ad advocati autem officium tria pertinent: 1°. Ea apud judicem allegare quibus citra rei condemnationem juſtitiæ ſatisfiat. 2°. Proferre preces rei peccatum agnoſcentis ac veniam poſtulantis, 3°. Suis precibus apud judicem intercedere, ut clementer, non cum rigore juſtitiæ agat cum reo. Quæ maximè in Chriſtum competunt : qui Patri ſanguinem ſuum offert pro pretio redemptionis peccatorum noſtrorum : & allegat humilem Rei confeſſionem : & ſuam addit interpellationem orans indeſinenter pro nobis ad Patrem : teſte *Paulo Rom.* 8. & *Heb.* 7. Addit *Joannes*, *juſtum* : id eſt, ſanctum, innocentem & inculpatum : de quo *Paulus Heb.* 7. ℣. 26. Quod Chriſto perfectiſſimè convenit qui ita *juſtus eſt*, ut per omnia Deo placeat ac reconciliatore pro ſeipſo prorsùs non egeat : ex *Eſtio.*

℣. 2. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris : non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

Pleniùs explicat excellentiam advocati noſtri nempè qui talis ſit, ut non offerat Patri alienam ſatisfactionem, ſed exhibeat ſuam ac propriam; per quam non ſolùm ſatagit (ùt apud judicem faciunt advocati) Deum redde-

re nobis placatum : verùm certiſſimè Deum nobis ipſe placat ac propitium reddit. *Ipſe*, inquit, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris :* ut *propitiationem* intelligas vel ſacrificium quo redditur Deus propitius; quomodo *Auguſtinus* intellexit; vel ipſum propitiatorem, id eſt, eum qui reddit Deum propitium. Nam Chriſtus utrumque eſt : & Sacerdos Deum nobis placans, & hoſtia quâ placatur, non ſolùm ſufficienter, ſed efficienter; non enim ait, *fuit*, ſed *eſt* continuè uſque ad finem ſeculi; ex *Eſtio*. Pronomen *noſtris* ad quos referendum ſit, pendet ex intellectu partis ſequentis : *Non pro noſtris autem tantùm ſed etiam pro totius mundi*. Quorum verborum variæ ſunt expoſitiones quas videre licet in *Eſtio*, qui hanc *Cyrilli lib.* 11. *ſuper Joan.* c. 19. amplectitur: *Non pro noſtris*, id eſt, Judæorum peccatis *tantùm*, ſed etiam gentilium cujuſcumque per totum orbem nationis. Scribitur enim hæc epiſtola ad Judæos; & *Joannes* ſic etiam alibi loquitur: ùt *Evangelii ſui Cap.* 10. ℣. 16. & c. 11. ℣. 51. & 52. item in *hac Epiſt.* c. 4. ℣. 10. & 14.; cum quo convenit *Evang.* c. 17. ℣. 20. & 21. Quod autem ſenſus Apoſtoli non ſit prorsùs univerſalis, ùt volunt qui *de ſufficientia* propitiationis locum hunc dumtaxat exponunt : docèri poteſt ex his: *Advocatum habemus ad Patrem* &c.; quibus ſtatim ſubjungendo, *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* &c. declarat, Chriſtum *propitiationem* eſſe *pro peccatis* illorum quorum eſt advocatus. Atqui tantùm electorum eſt advocatus, quia tantùm pro his orat : ùt teſtatur *Joan.* 17. ℣. 9. ergò tantùm pro electorum peccatis tam eorum qui ſunt ex Gentibus quàm qui ex Judæis ſignificatur eſſe *propitiatio*, ùt oſtenditur *Joan.* 11. ℣. 52.; ubi per *filios Dei* intelligit electos. Nam etſi non electi interdùm

propitiationis participes fiant, quia tamen ab ea excidunt, ac proindè temporales ſunt finemque non attingunt: meritò reputantur inter alienos & propitiationis exſortes; ex *Eſtio.*

℣. 3. *Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus.*

Id eſt, *in hoc* ſcire poſſumus, ſicut cauſa per effectum cognoſcitur, *quoniam cognovimus eum* advocatum Chriſtum, cognitione ſcilicet approbationis ſive experientiæ, non tantùm ſimplicis ſpeculationis: undè Gloſſa, hoc eſt agnoſcere Deum quod amare. *Si mandata ejus obſervemus*, maximè illa duo in quibus lex pendet & prophetæ: *Matth.* 22.

℣. 4. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.*

Id eſt, falſum dicit, veritatem non loquitur.

℣. 5. *Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.*

Perfecta, id eſt, conſummata *eſt charitas*, quâ nos Deum diligimus. Quam autem charitatem Dei conſummatam dicat, intelligimus ex c. 4. ℣. 12. Agnoſcitur autem hujuſmodi *charitas verè* in aliquo eſſe, ſi ſe extendat ad proximos, nec amicos tantùm, ſed etiam inimicos. *Matth.* c. 5. ℣. 44.

℣. 6. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.*

Repetitio eſt ejuſdem doctrinæ: *Joanni* enim eadem ſunt, eſſe in Deo & manere in Deo, id eſt, charitate conjunctum eſſe Deo. Simul declarat, eum *ſervare verbum ejus*, qui in actionibus ſuis Chriſti eſt imitator: quod Chriſtus *Joan.* 15. ℣. 10. commendat. In quo autem hæc

imitatio conſiſtat, docet *Joan.* hìc c. 3. ℣. 16. *Quoniam ille*, ait, *animam ſuam pro nobis poſuit*, *& nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quòd ſi in hoc opere excellentiſſimæ charitatis imitandus nobis eſt Chriſtus, quantò magis in minoribus & facilioribus: ex *Eſtio.*

℣. 7. Chariſſimi, non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio: mandatum vetus eſt verbum, quod audiſtis.

Pergit Apoſtolus hortari fideles ad obſervationem præcepti de diligendis proximis, docens ſe non aliquod *novum* ingerere præceptum; ſed *vetus mandatum* annuntiare, *quod habuerant ab initio* Evangelii ipſis per Apoſtolos prædicati. Ex quibus intelligi poteſt, quomodo *Joannes* dicens: *Non mandatum novum ſcribo vobis*, non ſit contrarius Domino quem Evangelii ſui *cap.* 13. teſtatur dixiſſe: *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem.* Erat enim illud novum, quando Chriſtus hoc dixit; quia nondùm fuerat palàm mundo publicatum: non novum autem quando *Joannes* hæc ſcripſit, quia fidelibus *ab initio* datum eſt. Quamquam & aliæ rationes adferri poſſunt; ſcilicet quia propriè pertinet ad Legem Novam quæ eſt amoris, nec niſi per gratiam Novi Teſtamenti impletur: & quia novum fecit hominem ex veteri: ita *Eſtius*. Quidam *mandatum vetus & ab initio datum* interpretantur eò quòd ſit Legis naturæ; alii quòd antiquis Patribus in veteri lege datum eſt *Lev.* 19. Et quia, quod veteri mandato adjectum erat: *Odio habebis inimicum tuum*, per Evangelii legem ſublatum eſt, ideò Chriſtus *Joan.* 13., & *Joannes* hìc ℣. 8. vocat illud *mandatum novum*: Quam interpretationem improbatam vide in *Eſtio.*

℣. 8.

℣. 8. *Iterum mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt & in ipſo, & in vobis : quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.*

Non ſibi contraria ſcribit *Joannes*, nunc *novum* vocans *mandatum* quod anteà *vetus* dixit, & *novum* negavit: ſenſus enim eſt ; mandatum vetus quod accepiſtis ab initio, nobis illud prædicantibus, nunc ego vobis renovo per hanc Epiſtolam, iterum monens ne illud tradatis oblivioni : aut, ùt alii cenſent, utitur Apoſtolus correctione rhetoricâ : q.d. Quamquam & verè *novum* eſt quod *ſcribo vobis*; ſed diversâ ratione : nempè eo ſenſu quo Chriſtus appellavit novum qui primus illud mundo propalavit : vel ob rationes *ſuprà* dictas. *Quod verum eſt & in ipſo, & in vobis. Verum*, ideſt, res vera. Alii vertunt, *Quod veritas eſt. Cajet.* ſupplet hoc modo : quod verum eſt in ipſo, idem verum eſt & in vobis. Aliis magìs placet ut referatur ad totum illud complexum, *mandatum eſſe novum :* ut ſenſus ſit. Verum hoc eſt tum in ipſo nempè Chriſto qui novam legem tulit & promulgavit ; tum in vobis ſive nobis qui ſumus novæ legis primitiæ in quibus mandatum illud obſervatione publicâ cœpit impleri : cui ſenſui, ait *Eſtius*, benè congruit quod ſequitur. *Quia tenebræ tranſierunt* &c. Tenebras intelligit ignorantiæ & peccatorum, ùt in *cap. ſup.* Has dicit *tranſire* quia paulatim minuuntur, Evangelii luce per Apoſtolorum prædicationem latiùs indies diffundente. Hoc enim eſt quod ait, *Et verum lumen jam lucet :* nempè indies magìs & magìs. q.d. Nunc poſt adventum Salvatoris & Spiritum S. effuſum lux Evangelicæ veritatis quotidianis effectibus augetur : undè neceſſariò efficitur tenebras tranſire & minui : ut

conjunctio copulativa ſit pro cauſali : *Tenebræ tranſeunt, quia verum lumen lucet.* Sic *Eſtius.*

℣. 9. *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.*

Qui dicit ſe verſari *in luce* Evangelii & diſcipulum eſſe Chriſti ; *ſi fratrem ſuum odit*, fallitur, cùm *in tenebris adhuc* verſetur denſiſſimis. *Fratrem* vocat proximum.

℣. 10. *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt.*

Qui diligit fratrem ſeu proximum charitate ſincerâ, verſatur in luce Evangelii, verus eſt Chriſti diſcipulus: *& ſcandalum* ſeu offendiculum *in eo non eſt* : ſenſus illativus eſt ; ac ſi dicat : Et ideò non offendit, non impingit ; qui enim in tenebris ambulant, offendunt: non item qui in lumine : ſignificatur offenſio ſpiritualis ; quemadmodùm ſpirituale lumen & ſpirituales tenebræ. Reſpicit ad verba Domini *Joan.* c. 11. ℣. 9. *Heſſelius* explicat: *Qui diligit* fratres, non patitur ſcandalum ex aliorum peccatis, nec propter illa fraternitatem deſerit aut odit : quod eſt Hæreticorum & Sciſmaticorum. Sed tolerat, excuſat, ex charitate corripit & corrigit, ubi poteſt : & inter hæc Deum orat aſſiduè ut Eccleſiæ in omnibus aſſiſtat.

℣. 11. *Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.*

Rursùs ad alterum redit antithetum : cujus ſenſus planus eſt ex jam dictis. *Et neſcit quo eat* &c.; id eſt, & præ tenebris in quibus ambulat, non videt *quo eat* ; actiones ſuas non

expendit rectâ ratione. Hinc colligitur omnem peccantem errare.

℣. 12. *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.*

℣. 13. *Scribo vobis patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum.*

℣. 14. *Scribo vobis infantes, quoniam cognoviſtis patrem. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.*

Variè totus hic locus exponitur: probabiliùs autem eſt, *B. Joannem* tres diſtinguere fidelium, ad quos ſcribit, ætates: *puerorum, juvenum & ſenum*; & unamquamque bis ponere: tribuens cuique ætati, quod congruit. Quod autem ad ætatum ſignificationem attinet, magìs placet, ætates ſpirituales intelligi; ut *filioli* ſeu pueri dicantur infirmi Chriſtiani quos *Paulus parvulos* vocat *lacte nutriendos*, 1. *Cor.* 3 & *Heb.* 5., vel neophyti in fide ac nuper baptizati, qui plerumque etiam ſenſibus & mente parvuli ſunt; ùt loquitur *Paulus* 1. *Cor.* 14. *Patres* autem qui *perfecti* vocantur *Heb.* 5. & *Spirituales* 1. *Cor.* 2.; vel etiam qui multo tempore fuerunt Chriſtiani, & tales eſſe deberent, ut poſſent & alios erudire & ad Chriſtum adducere. *Juvenes* deniquè & *adoleſcentes* qui tametſi nondùm illam *patrum* perfectionem attigerunt, eò tamen progreſſi ſunt ut jam vires habeant quibus fortiter reſiſtant *Maligni*, id eſt, diaboli tentationibus: vel etiam qui propter tempus quo Chriſtiani fuerunt, tales eſſe deberent. Poſtremò vox *quo-*

nium in his quinque appellationibus accipitur causaliter pro *quia*. Sensus autem per ſingula eſt.

Scribo vobis filioli, ſeu *infantes modò geniti* ait *Petrus* 1. *ep.* 2., eo quòd acceperitis in baptiſmo remiſſionem peccatorum, virtute ac merito Chriſti pro vobis paſſi. Præſens enim loco præteriti poſitum videtur: ùt 1. *Cor.* 6. ℣. 11.

Scribo vobis patres, quoniam ſeu propterea quòd *cognovistis eum qui ab initio* ſeu ab æterno *eſt*. Jeſum Chriſtum Filium Dei, Verbum Patris. *Scribo vobis adoleſcentes, quoniam* ſeu quia *malignum* variè vos oppugnantem *viciſtis* & quotidiè vincitis fortiter ejus tentationibus reſiſtendo.

Scribo, pro quo ſyri codices, quidam græci & nonnulli latini legunt: *Scripſi*. q. d. *Scripſi, iterumque ſcribo vobis infantes*, quos anteà *filiolos* dixit, *quoniam*, id eſt, quia Chriſtum jam *noviſtis* ac diligitis ùt *Patrem*, utpotè per fidem ex eo renati: ut enim de Chriſto exponatur, ſuadent præcedentia, nominatim illud ℣. 12. *propter nomen ejus*. Sequitur etiam *hoc verſu* in græcis & ſyris codicibus: *Scripſi vobis patres, quoniam cognoviſtis eum qui ab initio eſt*. Ut probabile ſit hoc à librariis omiſſum, velut ſuperfluum; quia prorſus idem eſſet cum priore. *Scribo* vel ùt ſupra dictum eſt, *Scripſi vobis juvenes quoniam fortes eſtis & viciſtis malignum*, quod *ſuprà* explicatum eſt. Poteſt & illativè intelligi, & *ideo viciſti malignum*; nempè viribus à Deo ſuppeditatis. Quod ſignificat illa pars interpoſita, *Et verbum Dei manet in vobis*, id eſt, fidem Evangelii conſtanter retinetis: ut locus hic conveniat cum illo *Petri* 1. *Ep.* 5. ℣. 9. Notandum autem contra hæreticos, non ex his ſequi, ſingulos fideles de ſeipſis perſuaſos eſſe debere quòd ſint

ipſis remiſſa peccata; &c. Non enim hoc ſimpliciter affirmat Apoſtolus; ſed quia baptizati in tali vel tali erant ætate, ſupponit illos habere, quod cuique ætati & conditioni congruit; quatenùs ex ipſorum parte nihil defuerit: ex *Eſtio.*

℣. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo:*

Suprà Apoſtolus cuique ætati fidelium aſſignaverat rationem quare ſcribat; nunc declarat quid ſcribat. Cùm enim propoſitum ei ſit hortari omnes ad dilectionem fraternam, ut id faciat efficaciùs, revocat eos à dilectione earum rerum quarum amor & cupiditas fraternæ & Chriſtianæ charitati adverſatur. *Mundum* vocat homines deditos rebus hujus mundi; quos diligi vetat quatenùs tales ſunt: nam quatenùs ejuſdem nobiſcum beatitudinis capaces ſunt, diligendi & adjuvandi ſunt. Per ea *quæ ſunt in mundo*, intelligit voluptates, divitias, honores &c. ùt poſteà ipſe explicat. Hæc autem diligi vetat, nimirùm inordinatè. *Si quis diligit* &c. Quibus verbis oſtendit cur eos à dilectione mundi retrahat. Ac ſi dicat. Nemo poteſt mundum ſimul & Deum diligere: ùt *Matth.* 6. ℣. 24. ex *Eſtio.*

℣. 16. *Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.*

Vetuit Apoſt., ne diligantur ea quæ in mundo ſunt: nunc quænam ea ſint, partitione declarat. Pro *concupiſcentia* Aug. deſiderium ver-

tit: & pro *ſuperbia vitæ* ex græco verti poteſt *jactantia vitæ*; alii *inſolentiam* vertunt. *Concupiſcentia* autem *carnis* non modò rei venereæ, ſed omnium, quæ ad carnem pertinent, immoderatus & illicitus uſus eſt, ſive cibi ſive potûs ſive lusûs &c. *Concupiſcentia* autem *oculorum* & avaritiam & omnem inanem comprehendit rerum aſpectabilium curioſitatem. *Superbia vitæ* eſt omne genus arrogantiæ & ambitionis ac ſuperbiæ. Placet igitur *per ea quæ in mundo ſunt* ℣. 15. *B. Joannis* intelligere tria hujus mundi bona, quæ ab hominibus origine corruptis ac nondùm renatis, ſolent appeti; voluptates, divitias, honores. Ad quæ tria quidquid aliud malè concupiſcitur, facilè reducitur: peccatorum enim peſſimas radices explicare voluit Apoſtolus. Quod additur: *Quæ non ex Patre*, referendum eſt ad omnia tria ex græco. Senſus autem eſt: Triplex hoc genus cupiditatis non eſt à Deo authore, *ſed ex mundo* originem habet quatenùs ſcilicet ex peccato primi hominis in genus humanum transfuſum eſt. Ex quo patet, concupiſcentiam non facultatem, ſed vitium naturæ eſſe; etiam in baptizatis, quamvis ei non conſentiant: ùt ex variis *Auguſtini* locis & *Bedæ* commentario, & apertis Scripturæ teſtimoniis benè docet *Heſſelius*: ita *Eſtius*.

℣. 17. Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

Aliâ ratione docet, mundum & ea quæ in mundo ſunt, non eſſe diligenda. Nam quæ tranſeunt, diligenda non ſunt, ſed æterna: *mundus* autem *tranſit*, id eſt, mali homines pereunt. Tranſit & *concupiſcentia* mundi: ſive intelligas vitia prædicta, quantùm ad actus de-

lectabiles (non enim manebit in damnatis ad delectationem, ſed ad pœnam, ex *Aug. l. 6. cont. Jul. c. 5.*) Sive intelligantur illorum objecta: non enim manebunt opes, voluptates, honores: ut 1. *Pet.* 1. ℣. 24. & *Jac.* 1. ℣. 10. *Qui autem facit* quæ Deus præcipit, vivet *in æternum*; neque enim opera ejus ita tranſeunt quin maneant, ſemperque manſura ſint quoad glorioſum fructum & mercedem: ex *Eſtio.*

℣. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit: & nunc Antichriſti multi facti ſunt; undè ſcimus, quia noviſſima hora eſt.*

Noviſſima hora eſt, id eſt, noviſſimum tempus inſtat; extremum tempus jam decurrit, ut poſt illud uſque ad mundi finem & Domini adventum non ſit alius rerum ſtatus expectandus. *Et ſicut audiſtis*, ſcilicet à nobis Apoſtolis quod venturus ſit *Antichriſtus*, ita tenete: nam omninò venturus eſt. Et quidem nunc interim *multi Antichriſti facti ſunt*, Hæretici ſcilicet Antichriſti præcurſores, Chriſtique hoſtes, qui vel eum hominem, vel Deum negant: quales tempore *Joannis* Ebion, Cerinthus, Nicolaus, & alii; *Unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.* Noviſſimo enim tempore venturus eſt Antichriſtus; inſtat autem quia jam præcurſores ejus venerunt, & per hoc noviſſimum tempus conjicimus, quo ſe præparare ad adventum Domini oportet; ita *Gaig.* & *Eſtius.*

℣. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis.*

Prodierunt, græcè, *exierunt*: ſignificatur

enim defectio, non origo. Occurrit autem ſcandalo quod ex his perverſis naſci poterat. *Ex nobis*, inquit, *prodierunt* ab unitate Catholica recedentes. Erant enim de Eccleſia numero non merito, Sacramentorum perceptione non charitatis communione. *Sed non erant ex nobis* prædeſtinatione & electione, & ideò ex receſſu eorum Eccleſia non eſt damnum paſſa, ſicut nec damnum patitur corpus cùm humores pravi exeunt de corpore. *Nam ſi fuiſſent ex nobis*, prædeſtinatione & electione Dei, finaliter *manſiſſent* in conſortio fidei ſeu fidelium. Ideò autem à Deo exire permittuntur, ut *manifeſtati ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis*, qui priùs latebant & ſub ſpecie fratrum vos decipere poterant, ita *Thom.* & *Eſtius*.

℣. 20. *Sed vos unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia.*

Sed vos habetis unctionem, id eſt, Spiritum Sanctum vel Spiritûs Sancti gratiam, quâ uncti & Chriſti Dei eſtis, per quem *omnia noſtis* ad ſalutem neceſſaria, & per quem vafriciem Antichriſtorum dignoſcere poteſtis. *A Sancto*, id eſt, à Chriſto; quia unctio participata ab eodem deſcendit qui unctus eſt præ omnibus conſortibus ſuis. Quærit *Eſtius* an hoc quod dicit: *& noſtis omnia*, pertineat ad omnes & ſingulos fideles. Reſpondet. Quamvis unuſquiſque fidelis, quatenùs verè fidelis eſt, fide teneat omnia ad ſalutem neceſſaria ſaltem implicitè: (nam alioquì fidelis non eſſet) non tamen ad ſenſum Apoſtoli in unumquemque competere quòd omnia norit, & quod ℣. 27. dicit *Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos*. Nam ejuſcemodi verbis non ſimplex fides eorum quæ credenda ſunt, ſignificatur. Sed ſcientia quædam, quâ & intelligantur aliquouſque ea quæ fidei ſunt &

idoneis rebus explicentur: de qua *Paulus* 1. *Cor*. 12. Dicendum proindè hæc & ſimilia dici potiùs ad Eccleſias eorum ad quos ſcribit, q. d. Habetis Epiſcopos, Presbyteros &c. quorum curâ Eccleſiæ veſtræ ſatis inſtructæ ſunt & inſtruuntur in iis quæ pertinent ad doctrinæ Chriſtianæ veritatem: ita *Eſtius*.

℣. 21. ***Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non eſt.***

Cohæret hæc pars cum præcedentibus; quaſi dicat: *noſtis omnia*; & proindè *non* hæc *ſcripſi vobis quaſi veritatis* iſtarum rerum ignaris; *ſed* potiùs *quaſi ſcientibus*; velut in memoriam vobis revocans ea quæ ſcitis, ut veritati præceptæ firmiter adhæreatis. *Et* ſcientibus *quia omne mendacium non eſt* ſive officioſum, ſive otioſum, ſive pernicioſum *ex veritate*, id eſt, ex Deo ſive Chriſto, qui eſt veritas; ſed ex diabolo; ita *Eſtius*.

℣. 22. ***Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.***

Non ſentit Apoſtolus, ſolos eos in doctrina religionis eſſe mendaces *qui negant Jeſum eſſe Chriſtum*; (erant enim eo tempore aliarum hæreſeon magiſtri) ſed hos ceteris eſſe pejores ac peſtilentiores; notat Cerinthum & Ebionem, qui convenienter Antichriſti dicuntur, docentes Jeſum Mariæ filium non eſſe Chriſtum. *Hic eſt Antichriſtus qui negat Patrem & Filium*. Quidam putant his verbis prænuntiari Mahometum tanquam inſignem Antichriſtum, negat enim Deum habere filium: alii

ſentiunt Apoſtolum hìc loqui de vero Antichriſto, qui adhuc expectatur. Aliorum porrò ſententia eſt, *Joannem* loqui de Antichriſtis, id eſt, hæreticis ſui temporis: hâc enim parte eos de quibus ℣. 18. egerat, quaſi digito monſtrans dicit: *Hic eſt* &c. q. d. Quicumque hodiè negat Patrem & Filium, Antichriſtus eſt, id eſt, ex eorum numero quos antè Antichriſtus dixi. Hic commentarius quem tradit *Irenæus* l. 3. c. 15. & alii poſt eum, maximè convenit tam textui quàm tempori Apoſtolico. Dicit autem, fruſtrà aliquem ſibi blandiri de Patre qui Jeſum negat eſſe Chriſtum & Filium Dei: hocque *Joan.* potiſſimùm c. 4. & 5. diligenter inculcat; ita *Eſtius*.

℣. 23. *Omnis qui negat filium, nec Patrem habet. Qui confitetur filium, & Patrem habet.*

Oſtendit meritò ſe dixiſſe, negat Patrem & Filium; quamvis illi contra quos agit non Patrem diſertè negarent, ſed Filium; nam Pater à Filio ſeparari non poteſt. *Qui confitetur* ſe credere *Filium*, is demùm eſt, qui etiam Patrem fide tenet, alioquì Patrem non habiturus: ex *Eſtio*.

℣. 24. *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis.*

q. d. Nihil novum & inauditum aut incognitum vobis adfero: probè tenetis omnia: Tantùm moneo ut doctrinam quam *ab initio*, nobis Apoſtolis prædicantibus, *audiſtis* & accepiſtis & hactenùs tenetis, firmiter retineatis uſque in finem, nec iſtis novis magiſtris novorum dogmatum fautoribus aurem præbeatis. *Si*

in vobis permanſerit &c., hoc eſt, ſi doctrinam *ab initio* vobis traditam retinueritis, *permanebitis* in ſocietate & amicitia Dei Filii & Patris. Filium ante Patrem nominat, quia contra eos agit qui Filium negabant. Tacet Spiritum Sanctum quia de eo non erat quæſtio: ex *Eſtio*.

℣. 25. *Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.*

Et pro *Quia*: ut ſenſus ſit. Nam quòd dixi vos in Patre & Filio manſuros, merces eſt, nobis in tradita veritate permanentibus à Chriſto Domino promiſſa, vita ſcilicet æterna.

℣. 26. *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.*

Hæc, inquit, *ſcripſi vobis* de falſis magiſtris qui conantur vos in errorem inducere.

℣. 27. *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos: manete in eo.*

Unctionem pro *unctio* ponitur; ùt *Joan.* 14. *Sermonem quem audiſtis non eſt meus.* Eſt autem hæc ſyntaxeos ordinatio; *Unctio, quam vos accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Et exhortatio eſt ut perſeverent in doctrina Spiritûs Sancti quam à Chriſto acceperant. *Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos.* Eatenùs enim opus non habebant doctore quatenùs omnia noverant: quod quo ſenſu reſpectu fidelium ſit intelligendum, *ſuprà* declaratum eſt. Habebant enim Epiſcopos &c. à quibus inſtruebantur & continebantur in doctrina Apoſtolica. Proindè non opus habebant doctore eodem quo rudes vel ſeducti eo indigebant; licèt doctore opus ha-

berent ut retinerentur in doctrina priùs acceptâ & pleniùs inſtruerentur contra errores &c. Locus ferè ſimilis eſt 1. *Theſſ.* 4. ℣. 9. Undè ex hoc loco non ſequitur, Spiritum S. ita cuilibet adeſſe Chriſtiano ut vel externo doctore omninò non egeat, vel ipſe de ſe judicare poſſit de quibuſcumque fidei Chriſtianæ controverſiis. Non enim ſingulis fidelibus tribuit *Joannes*, omnia noſſe & alioqui doceri opus non habere; niſi juxta ſenſum jam explicatum. *Sed ſicut unctio* &c. Quorum verborum conſtructio ſic ordinanda videtur. *Sed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus* (*& verum eſt & non eſt mendacium*) *ſicut docuit vos*, *manete in eo:* potiùs *in ea* ut ad unctionem referatur. Quaſi dicat: *Sed ſicut unctio ejus*, id eſt, Spiritus S., qui in omnibus quæ docet verax eſt ſinè ulla falſitatis admixtione, docet vos tam interioribus inſpirationibus ſeu lumine fidei, quàm externis prædicationibus &c.; ità firmiter *in ea* doctrina *manete ùt docuit vos*.

℣. 28. *Et nunc filioli manete in eo: ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.*

Senſus eſt: *Manete*, perſeverate in eo, id eſt, in unctione ſeu in doctrina à nobis Apoſtolis accepta, ut cùm Chriſtus ad judicandum venerit rationem noſtræ legationis à nobis exacturus non afficiamur pudore propter vos diſcipulos noſtros, ſi in eo, quod tradidimus non permanſeritis; ſed ut cum gaudio & fiducia, id eſt, intrepidâ ac ſecurâ libertate vos Chriſto judici ſiſtamus, propter fidem doctrinæ noſtræ adhibitam & in ea perſeverantiam electis aggregandos; ſimulque cum eis æternæ vitæ præmio remunerandos. Locus hic ſimilis eſt *Verſui* 8. *Epiſt.* 2. ejuſdem Apoſtoli: item *Hebr.* 13. ℣. 17.; ex *Eſtio.*

℣. 29. *Si ſcitis quoniam juſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis, qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt.*

Poſt admonitionem de Antichriſtis fugiendis, tranſit ad deſcribendos veros Dei filios: & in eo immoratur *toto cap. ſeq. Si ſcitis* id eſt, cùm ſciatis certitudine fidei, Deum ſeu Chriſtum eſſe juſtum naturâ & authorem totius juſtitiæ; *Pſal.* 10. ℣. 8. Eâdem certitudine *ſcitote quoniam & omnis, qui facit* opus juſtitiæ, filius Dei eſt, ſcilicet per adoptionem, & etiam certo ſenſu per confirmationem & imitationem: vel *ex ipſo natus eſt*, id eſt, ex ipſo habet quod facit; ſicut filius naturalis habet à Patre naturali, quod eſt ſecundùm naturam, ſic filius ſpiritualis habet à Patre ſpirituali, ſcilicet Deo quod eſt ſecundùm mores: ſignificat hâc ſententiâ Apoſtolus, omne opus juſtitiæ non ex viribus naturæ, ſed ex Chriſto omnis juſtitiæ fonte proficiſci: ex *Eſtio.*

CAPUT III.

Docet qui ſint filii Dei, & fraternam charitatem commendat.

℣. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum.*

V*idete* quàm charos nos Pater habuerit; vel ùt Græci, *videte* quotam dilectionis ſuæ portionem *Pater* in nos impenderit, ut nempè *filii Dei dicamur & ſimus.* Igitur *Dei charitas* ſignificatur quâ nos ipſe diligit, cujus in nobis effectus eſt ea charitas

quâ nos ipſum diligimus: ſinè qua certè ipſius filii non eſſemus. Hæc enim eſt quaſi forma quâ filii Dei ſcilicet adoptivi conſtituimur ac regni ejus heredes: ùt 2. *Pet.* 1. ℣. 4. *Propter hoc &c.* ac ſi diceret: non mirùm, ſi mundo non ſimus filii Dei, ſed contrà contemptibiles & exoſi: nam ideò *mundus non novit nos* nec diligit, *Quia Deum*, cujus filii ſumus, nec novit nec diligit. Non debet autem moleſtum nobis eſſe ſi non diligamur ab iis qui nec Deum diligunt, ùt *Joan.* 15. ℣. 18. & 21.

℣. 2. *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: & nondùm apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

Spectat hoc quoque cum ſequentibus ad conſolationem & exhortationem fidelium: quamvis, inquit, mundo deſpecti & viles habiti, tamen etiam *nunc* in hoc ſeculo reverâ *filii Dei ſumus* utique adoptione per baptiſmum, & fide: ùt *Rom.* 8. ℣. 14. & 24. Sed *quid erimus* ſeu futuri ſumus, id eſt, quàm glorioſè, quàmque beati, quàm animo & corpore conſummati, id *nondùm apparuit. Scimus*, certitudine fidei, *quoniam cùm apparuerit* Chriſtus in ſecundo adventu, id eſt, perfectè innotuerit omnibus, (modò enim innoteſcit paucis fidelibus, ſed tunc in die judicii omnibus apparebit) *ſimiles ei erimus* ſecundùm corpus immortales & impaſſibiles, ſicut ipſe filius; ùt 1. *Cor.* 15. ℣. 42. & *ſeqq.* item ℣. 48. & *ſeq.*, item *Phil.* 3. ℣. 20. & 21. Nam etſi & ſecundùm animam beati Chriſto capiti ſimiles erimus gratiâ & gloriâ; tamen de corpore videtur ſenſus *hoc loco* germanior. *Quoniam videibimus eum* &c.; quibus verbis ſignificat, ideò nos Chriſto ſimiles fu-

turos, *quoniam*, id eſt, *quia videbimus eum ſicuti eſt*. In qua cauſalitate explicanda hæc ſententia probabilior eſt: videbimus Chriſtum ſecundùm utramque ejus naturam divinam & humanam, non in aliqua creata ſimilitudine, *ſed ſicuti eſt*, id eſt, clarè & immediatè ùt in ſe ipſo eſt, contemplabimur; ſive *facie ad faciem* ùt *Paulus* dicit 1. *Cor.* 15.; Sicut Chriſtus promiſit *Matth.* 5. ℣. 8. & *Joan.* 17. ℣. 21. Ex qua beatifica viſione redundat gloria, id eſt, immortalitas & reliquæ dotes corporis glorioſi: ita *Eſtius*, qui ſimul notat, non ſequi ex hoc loco neque ex *Apoc. ult.* ℣. 4., Sanctorum animas non viſuras Deum *ſicuti eſt* ante Chriſti adventum: loquitur enim *Joannes* utrobique non de animabus ſeparatis, quas *Apoc.* 20. teſtatur ℣. 4. *regnare cum Chriſto mille annis*, id eſt, uſque ad conſummationem ſeculorum: nam illi mille anni (teſte *Aug. l.* 20. *de civ. Dei c.* 7.) ponuntur ùt certum pro incerto. Sed loquitur de nobis, id eſt, hominibus in adventu Chriſti reſuſcitantis ad vitam.

℣. 3. *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.*

Docet Apoſt. quid agere debeant qui ad ſimilitudinem jam dictam aſpirant: & ſenſus eſt: Igitur quicumque *ſpem* hujus rei *habet in Chriſto*, quòd, cùm apparuerit, ſimilis ei in gloria futurus ſit & viſurus eum ſicuti eſt: priùs in hac vita purificare ſe debet atque emundare ab ômni ſorde peccati ac dignâ converſatione reddere ſe ei ſimilem, id eſt, ſanctum ſicut ille per omnia ſanctus eſt, ùt *Heb.* 7. ℣. 26. Ut enim in futuro ſeculo ſimilitudinem aſſequamur gloriæ ejus, debemus ad illam in hac vita nos præparare, puritatem & innocentiam vitæ ejus imitando. Conſequens eſt ex hoc loco, veram in nobis eſſe ſanctitatem; item

hominem ſe ipſum ſanctificare & juſtificare; coöperando ſcilicet liberâ ſuâ voluntate gratiæ Dei ipſum ſanctificantis; quæ tamen ipſa coöperatio effectus eſt divinæ gratiæ: ex *Eſtio.*

℣. 4. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.*

Et priore loco ſignificat *etiam*, poſteriore capitur pro *quia:* argumentatur enim Apoſtolus hoc modo: Omne *peccatum eſt iniquitas*, ergò *quicumque facit peccatum, facit iniquitatem.* Sunt qui *peccatum* & *iniquitatem* ita diſtinguunt, ut *peccatum* pro incredulitate & impietate cordis accipiatur, *iniquitas* pro fructibus, ùt loquuntur, impietatis; cujuſmodi ſunt peccata in proximum: ut ſit ſenſus: Qui impius & contemptor Dei eſt, idem & in proximos injurioſus erit, eò quòd ex hac impietate omnis in homine *iniquitas* oriatur. Verùm ait *Eſtius*, iſta expoſitio longè quæſita parùm congruit huic loco. Melior eſt *S. Greg.* commentarius, qui *l.* 11. *Moral. c.* 23. dicit inter illa duo nihil diſtare quoad rem ipſam: omne enim peccatum eſt iniquitas & contrà; ſed ſolùm quoad ſignificationem: Apoſtolus enim, ùt ex voce græca patet, per *iniquitatem* hìc intelligit legis tranſgreſſionem, dicitque omne peccatum eſſe iniquitatem, ut oſtendat nullum peccatum tamquam leve contemnendum eſſe, quia in omni peccato eſt legis divinæ quædam violatio. Et ſenſus eſt hujuſmodi: Ac ne quis ſibi blandiatur in peccatis quibuſdam quaſi levibus, eo quòd non videantur eſſe contra leges humanas à quibus exceptâ adulterii injuriâ puniri non ſolebant, ab iis præſertim qui imbuti erant erroribus Simonianis & Nicolaitis: declaro vobis & affirmo, *omne peccatum eſſe iniquitatem*, id eſt, legis divinæ tranſgreſſionem, & omnem eum, qui peccatum com-

mittit, iniquitatem committere legemque divinam tranſgredi; ideòque fruſtrà cùm quis in peccatis hæret, ſibi promittere gloriæ ſimilitudinem cum capite Chriſto.

℣. 5. *Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt.*

Et ſcitis, id eſt, ſcire debetis, quia *ille*, ſcilicet Chriſtus *apparuit* in primo adventu propter hoc *ut peccata* auferret, ùt *Joan.* 1. ℣. 29. Tollit autem peccata, ea in ſe ſuſcipiendo & pro illis debitas pœnas perſolvendo ùt dicit *Iſaïas* 53. ℣. 4. & 1. *Pet.* 2. ℣. 24. Convenit tamen & altera ſignificatio velut ex priore conſequens: Chriſtus enim ea in ſe ſuſcipiendo abſtulit & verè delevit: igitur etiam tollit dimittendo peccata, adjuvando ne fiant, ducendo ad vitam ubi omninò non fient. *Et peccatum in eo non eſt.* Nec originale, nec actuale, ùt 1. *Pet.* 1. ℣. 19. Ex quo ſequitur, nos manere non poſſe in peccatis nec ad ea reverti, ſi velimus manere in Chriſto: ex *Eſtio.*

℣. 6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.*

Malè ex hoc aliiſque ſimilibus locis docuerunt Jovinianus & Pelagius juſtos vivere ſinè peccatis: manifeſtè enim refelluntur ipſius *B. Joannis* authoritate *c.* 1. ℣. 8. & *ſeqq.* Variæ autem ſunt Catholicorum interpretationes. *Aug.* pluribus in locis dicit, juſtos non peccare ex ea parte quâ in Chriſto renati ac renovati in eo manent; licèt ex parte quâ adhuc ſunt filii hujus ſeculi, ſæpè numero peccent: ſic etiam *Bern.* Verùm huic loco magis convenit quod *Aug.* dicit *in comm. hujus loci tract.* 5.,

ubi interpretatur *Joannem* de graviore peccato quod eſt non diligere fratrem, id eſt, quo violatur fraterna charitas: ſic enim ipſe *Joannes* exponere videtur *infrà* ℣. 10. Verumtamen, ait *Eſtius*, ſub illo fraterni odii peccato etiam cetera mortalia comprehendi debent; quæ ℣. 8. generaliter vocantur *opera diaboli*, ſicut ℣. 7. opera bona dicuntur *Juſtitia* in genere. Sic generaliter intellexit *S. Hier. l. 2. cont. Jov. c.* 1. & *l.* 1. *cont. Pel. c.* 3. *Joannes* igitur dicit, omnem qui manet in Chriſto non peccare; ſcilicet dum manet in Chriſto: ſicut *Paulus* dicit *Rom.* 6., nos mortuos peccato & liberatos à Peccato: item 2. *Cor.* 6. nullam eſſe participationem juſtitiæ cum iniquitate. Nam & *Petrus* ita loquitur 2. *Epiſt.* 1. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Agit autem *Joannes* non de quibuſcumque ſed tantùm de gravioribus peccatis, id eſt, de mortalibus: diſtinguit enim per *peccare* & *non peccare* inter filios diaboli & filios Dei: quod ultimæ huic interpretationi optimè congruit; non item priori. *Et omnis qui peccat* &c. Rem declarat ex oppoſito: non dicit tamen, non manet in eo, ſed *non vidit eum* &c. viſionem & notitiam, ùt alibi, intelligens affectivam quam nemo habet niſi qui manet in eo: & ſenſus eſt: eum qui peccat ſcilicet mortaliter, tunc quando peccat, ab affectiva Dei notitia alienum eſſe: ex *Eſtio.*

℣. 7. *Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt: ſicut & ille juſtus eſt.*

Admonet fideles ne ſe ſinant in errorem abduci à ſeductoribus, qui docentes opera ad ſalutem neceſſaria non eſſe, ſed fidem ſolam, carni & omni vitiorum generi laxabant habenas; quam *Joan. Apoc.* 2. vocat *doctrinam Balaam. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt:* convenit

hoc cum ℣.29. *cap. præc.* & cum *Ezech.* 18. ℣.5. & 9. *Juſtitiam* intelligit non habitualem ſed opera bona; quæ vocantur opera juſtitiæ, ùt & *Aug.* declarat *in Pſal.* 118. *Conc.* 16. Ex quo conſequens eſt contra hæreticos, in operatione virtutum conſiſtere juſtitiam Chriſtianam, non autem in ſola peccatorum remiſſione nec in imputatione &c. Dubium autem occurrit, quomodo *omnis, qui facit juſtitiam, juſtus* ſit, cùm multi tam Catechumeni quàm poſt lapſum pœnitentes, opera juſtitiæ exerceant, necdum juſti utpotè nondùm juſtificati. Varias aſſignat *Eſtius* reſponſiones: ùt ſi dicamus ejuſmodi hominem juſtum eſſe ſed juſtitiâ actuali, quæ, ùt dictum eſt, conſiſtit in bonis operibus: vel quòd dicatur juſtus à juſtitia inchoata: vel dici poteſt; *Joannem* agere de eo qui à peccato jam liber eſt: quam ultimam interpretationem *Heſſelius* confirmat qui dicit, Apoſtolum ſcribere fidelibus per Baptiſmum renatis; quos affirmat juſtos & filios Dei, ſuppoſito ſcilicet quòd rectè vivant. *Sicut & Chriſtus juſtus eſt.* Ab eadem enim radice procedit juſtitia Chriſti & noſtra; Chriſti quidem principaliter & naturaliter, noſtra ſecundariò & per adoptionem. Chriſtus enim qui perfectiſſimè juſtus eſt & nobis factus eſt à Deo juſtitia & ſanctificatio 1. *Cor.* 1. ſolâ mentis rectitudine juſtus eſt, non etiam peccatorum remiſſione quæ nulla habere potuit, ſicut & Angeli ſancti eo tantùm modo juſti ſunt; verùm quia nos homines in peccatis nati ſumus, & in multis offendimus omnes. *Jac.* 3. Idcircò non in ſola rectitudine mentis, & virtutum operatione conſiſtit noſtra juſtitia, ſed etiam in remiſſione peccatorum; ut iis condonatis jam verè juſti ſumus, *ſicut ille juſtus eſt*, licèt gradu inferiori; nam ſimilitudo non æqualitas ſignificatur, ex *Eſtio.*

℣. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.*

Chriſtus juſtitiæ nobis author eſt, tum quia à Deo Patre juſtitiam nobis ſuâ paſſione promeruit, tum quia juſtitiæ nobis exempla & præcepta tradidit: diabolus verò peccati author eſt hominibus, quoniam & primus peccavit & primus homini peccatum ſuggeſſit: igitur omnis qui facit peccatum ex diabolo eſt, tamquam ex eo qui peccati eſt author & parens, ùt Dominus ad Judæos dicit *Joan.* 8. ℣. 41. & 44. Peccantes igitur *ex diabolo* ſunt eo ipſo quo peccant, ſuggeſtionibus & tentationibus illius conſentiendo. Et veriſſimè diabolus omnium peccatorum author dicitur, non quia ſemper immediatè concurrit, ſed quia quicumque peccat, ex ea ſaltem concupiſcentia ad peccandum inducitur quæ diabolo per ſuaſionem authore invecta & in totum genus humanum diffuſa eſt. *Quoniam ab initio* &c. Non ab *initio* creationis ſuæ (ùt docebat ſententia meritò condemnata) diabolus peccavit: ſed ab initio, id eſt, ſub initium mundi, ſtatim à mundi creatione diabolus peccavit; cùm priùs nullum eſſet in mundo peccatum, ſic ut ab eo velut principio quodam peccatum ad alios tranſiret, tam Angelos quàm homines. Apoſtolus non dixit, *peccavit ab initio*: ſed *peccat*, quia ex quo diabolus peccare cœpit, nunquam peccare deſinit, ait *Beda*. *Opera diaboli* vocantur peccata, quia diabolus eorum omnium author eſt, ut ſenſus ſit, *Dei filius*, ideò *apparuit*, id eſt, incarnatus eſt, ut per ſuam paſſionem ſolveret ac deſtrueret peccata quæ diabolus in genus humanum invexit, ſolvit non

in omnibus hominibus, ſed in electis, & ſolviſſe dicitur, quia pretium redemptionis dedit; ex *Eſtio*: vel *opera diaboli* intellige illam nativitatem quam à diabolo contraximus, ex *Thoma*.

℣. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

Similis hic locus eſt *Verſui* 6., ideòque eodem modo explicandus eſt; nimirùm: *Nemo natus ex Deo*, id eſt, per regenerationem & gratiam adoptionis factus Dei filius, dum talis eſt, *facit* ſeu committit *peccatum* grande quod mortale vocamus; de quo loquitur *Joannes* ùt ℣. 6. probatum eſt. Repetit eamdem ſententiam *infrà* c. 5. ℣. 18. Sunt qui utrumque hunc locum intelligunt de certo peccati genere ùt quod in Spiritum S. committitur. Iidem *natos ex Deo* interpretantur prædeſtinatos quos exiſtimant ita conſervari à Deo ut in ejuſmodi peccatum numquam labantur. Rectiùs *S. Bern. l. de Grat. & lib. Arb.* hoc explicat; dicens: *Hoc dictum eſt de prædeſtinatis ad vitam: non quòd omninò non peccent, ſed quòd peccatum ipſis non imputetur; quia vel punitur condignâ pœnitentiâ, vel in charitate abſconditur.* Ita etiam *in ſerm.* 1. *in Septuag.* Verùm, eum, quem primò dedimus, germanum ſenſum eſſe hujus ſententiæ à *Joanne* toties iteratæ, ſatis liquet ex dictis ad ℣. 6. Quod & confirmat ratio ſubjuncta: *Quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Hoc *ſemen* variè exponitur. Quidam dicunt Spiritum S. nos regenerantem: nonnulli Filium Dei: alii gratiam Spiritûs S.; alii charitatem Dei: rursùs alii verbum Dei fide non otiosâ ſuſceptum. Ex mente tamen *B. Joannis* (ait *Eſtius*) videtur per *ſemen* Dei intelligenda na-

tivitas ſpiritualis quâ ex Deo renati & facti ſumus filii Dei. Sic enim ſeipſum explicare videtur c. 5. ℣. 18. Senſus igitur eſt: omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia nativitatem ſeu filiationem Dei in ſe manentem habebat, cum qua peccatum non conſiſtit. Dicitur autem hæc in eo manere, non quòd maneat uſque ad finem, ſed quia permanenter ineſt atque inhæret velut quieſcens & inhabitans. *Et non poteſt peccare* &c. quod alii explicant, non licet ei peccare videlicet ob acceptam tantam gratiam quâ filius Dei factus eſt: ita *apud Aug. l. de Nat. & Grat. c.* 14.; vel *non poteſt*, id eſt, non vult habituali ſcilicet voluntate: ita *Oecum.*; vel non poteſt quatenùs ex Deo natus eſt; ſed hoc modo nec venialiter poteſt peccare. Verus ac germanior intellectus videtur, quem tradit *Hier. l. 2. cont. Jov.*, *Non poteſt peccare* quamdiu manet filius Dei, ſenſu ſcilicet compoſito; hoc enim declarat etiam ratio adjuncta, *Quoniam ex Deo natus eſt*: nam & eadem immediatè præceſſit. Senſus eſt: ſtare non poſſunt hæc duo, peccare & eſſe filium Dei. Similia ſunt quæ leguntur *Matth. 6. ℣. 24. & Rom. 8. ℣. 8.* Ex quo ruit hæc falſa Calvini interpretatio: non poteſt ita peccare quin in eo maneat ſemen illud quo regeneratus eſt, quod incorruptibile & inamiſſibile falsò dicunt: ex *Eſtio.*

℣. 10. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum:*

Id eſt, hoc ſigno dignoſcuntur in hoc ſeculo inter ſe *filii Dei*, & *filii diaboli*: quòd iſti peccant, illi non peccant. Refertur enim illud *in hoc*, ad præcedentia ubi dixit, *qui facit peccatum, ex diabolo eſt* &c. *Qui natus eſt ex Deo*,

peccatum non facit. Undè patet illas ſententias de peccato mortali debere intelligi: non enim venialia diſcernunt filios diaboli à filiis Dei. Liquet etiam filios Dei intelligi ſecundùm præſentem juſtitiam non ſecundùm æternam prædeſtinationem. Et quamvis peccare & non peccare, diligere & non diligere certiſſima ſint ſigna hujus diſcriminis, non tamen ſemper nobis evidentia ſunt. *Omnis qui non eſt juſtus*, & juſtitiam non facit, id eſt, ùt ℣. 7. dictum eſt, opera juſtitiæ non exercet, *non eſt ex Deo*, ſed ex diabolo. Simul innuit Apoſtolus non eos ſolos à ſemine Dei alienos eſſe qui gravia peccata committunt, ſed etiam qui bona quæ facere deberent omittunt; quod eſt non facere juſtitiam. *Et qui non diligit fratrem ſuum*, id eſt, proximum ſuum, ſupple, *non ex Deo eſt.* Additur hoc non tamquam aliquid diverſum, ſed magìs docendi & explicandi cauſa: ex *Eſtio.*

℣. 11. *Quoniam hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum.*

Id eſt; ſic inſtituti eſtis cùm primùm facti eſtis Chriſtiani, *ut diligatis invicem*, adeò quidem ut ſinè eo filii Dei & Chriſti diſcipuli eſſe non poſſitis: ùt *Joan.* 13. ℣. 35.

℣. 12. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, juſta.*

Id eſt, non exiſtentes *ſicut Cain* exteriùs ſe fratrem diligere ſimulans, interiùs odium ſervans, *qui ex* diabolo erat per imitationem invidiæ, & *occidit fratrem ſuum* innocentem, ſicut diabolus primum hominem. *Sap.* 2. ℣. 24. & 25. *Et propter quid*, id eſt, quid movit ut occiderit eum? Reſponſio ſequitur. *Quoniam*

opera ejus maligna erant &c. q. d. Occidit eum invidiâ motus quâ fratri invidebat gloriam, quam ex bonis operibus habebat: ùt patet ex. *Gen.* 4. ℣. 4. & 5. Tale etiam fuit odium Judæorum in Chriſtum, ùt patet *Sap.* 2. ℣. 12. Hoc exemplum *Cain* optimè convenit inſtituto *B. Joannis*, ùt qui agit de ea dilectione quâ proximus diligitur ut benè vivat & Deo inhæreat: ex *Eſtio.*

℣. 13. *Nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus.*

Nam res valdè vetus eſt, bonos odium & perſecutionem ſuſtinere à malis, ùt exemplo Cain monſtratum eſt. Hoc & *Paulus* affirmat 2. *Tim.* 3. ℣. 12. in conſolationem fidelium.

℣. 14. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte:*

Pertinet hoc ad conſolationis amplificationem: q. d. Quamvis mundus nos odit, *nos ſcimus* &c. *Mortem* intellige quâ dicitur anima mortua, vel homo mortuus morte peccati, vel damnationis æternæ: & ſenſus eſt, *ſcimus quoniam tranſlati à Deo ſumus de morte* peccati *ad vitam* juſtitiæ, vel è ſtatu mortis æternæ ad ſtatum vitæ æternæ, nempè quoad meritum attinet. Tranſlati autem ſumus à Deo ùt & *Paulus* dicit ad *Coloſ.* 1. ℣. 13. *Quoniam diligimus fratres*, non ſignificatur meritum aut omninò cauſa tranſlationis prædictæ, neque enim *opera bona præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum*, ait *Aug. l. de fide & op c.* 14. Sed cauſalitas hæc referenda eſt ad cognitionem quâ ex dilectione velut effectu novimus nos de morte tranſlatos ad vitam: ſic ut quantùm
de

de illa certi ſumus, tantùm & de iſto: ut *hoc loco* explicat *S. Aug.* Etſi tamen dilectio non mereatur nec præcedat juſtificationem, impetrat tamen remiſſionis gratiam, ùt *Luc.* 7. ℣. 47. & augendæ juſtificationis ſunt cauſa, ùt *Apoc. ult.* ℣. 11. Igitur qui non diligit, id eſt, qui officia dilectionis cùm opus eſt, fratri non exhibet, *manet in morte* vel peccati, vel damnationis æternæ, quia ab ea ad vitam non transfertur, ita *Aug.*; ex *Eſtio.*

℣. 15. *Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.*

Obiter attexit præcedentibus aliquid adversùs odium fratrum. q. d. Si manet in morte qui non diligit, graviùs certò peccat, qui fratrem odit; imò affirmo, illum coram Deo *homicidam eſſe.* Sed difficultas eſt quomodo hoc verum ſit. Sunt qui dicunt homicidam eſſe ſui ipſius, quia fratrem odiendo ſuam ipſius animam occidit. Verùm exemplum *Cain ſuprà* allegatum demonſtrat, *Joannem* intelligere interfectorem alterius. Undè nec ſatìs eſt dicere, *homicidam* proximi dici, quantùm in ſe eſt, quia per odium ſuum eum provocat ad iram & diſcordiam. Ideò *Eſtius* putat, rectiùs intelligi poſſe homicidam eſſe qui odit fratrem, vel quia omne odium ſaltem diſpoſitio quædam eſt ad homicidium; & hâc ratione omnis motus iniquus ad nocendum fratri, in homicidii genere deputatur, ſicut omnis motus libidinoſus ad genus mœchiæ pertinet: vel quia completum odium, etiamſi lateat in animo, homicidium animo & voluntate conſtituit. Quod enim perfectè quis odit, optat non eſſe; teſte *Hier.* qui *Epiſt.* 62. dicit: *Quem odit*

quis, *periiſſe cupit*. Similis igitur hic verſus eſt *Matth*. 5. ℣. 28. Qui ultimus ſenſus præferendus videtur. *Et ſcitis quia omnis homicida* &c. *Scire* eos dicit quia ſic inſtructi erant & ſic tenebant. *Vitam æternam* intellige vel charitatem & juſtitiam per quam pervenitur ad vitam æternam; vel ipſam beatam futuri ſeculi vitam: quam in ſe manentem dicitur habere omnis juſtus, quia eſt in ſtatu illius adipiſcendæ ex merito præſentis juſtitiæ; quæ in ipſo manet adinſtar habitûs, ùt *ſuprà* de *ſemine Dei* dictum eſt: ex *Eſtio*.

℣. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Hortatur ad charitatis officia erga fratres exemplo Chriſti qui ſummam erga nos charitatem oſtendit animam ſuam ponens pro nobis indignis, ùt Chriſtus dicit *Joan*. 10. ℣. 18. *Et nos debemus* exemplo ejus (ùt injungit *Joan*. 13. ℣. 15.) *pro ſalute animas ponere*: Prælati ſcilicet debito præcepti, alii debito Charitatis & conſilii. Nam & ordo charitatis id poſtulat, ut plùs animam proximi quàm corpus noſtrum diligamus, & honorem Dei aliis omnibus bonis anteponamus; ex *Aug*. & *Heſſel*.

℣. 17. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

Nomine *ſubſtantiæ* generaliter intelliguntur quæ ad victum & vitæ præſentis uſum pertinent: & ſenſus eſt. Qui habet facultates mundanas ex quibus etiam aliorum indigentiæ queat ſubvenire, & *viderit* ſeu noverit fratrem

ſeu proximum rei alicujus indigentem & *clauſerit viſcera*, id eſt, commiſerationis affectum & effectum ei noluerit exhibere inopiam ejus ſublevando: *quomodo charitas Dei* communis omnium parentis, propter quem frater diligendus eſt, & quâ Deus diligitur, in animo ejus reſidet? Quaſi dicat Apoſtolus; id fieri non poſſe. Deſcendit ab excellentiſſimo charitatis opere (teſte Chriſto *Joan.* 15. ℣. 13.) ad aliud multò inferius. Cui pulchrè conſonat quod dicit *S. Aug.*; *Si nondùm es idoneus mori pro fratre; jam idoneus eſto dare de facultatibus tuis fratri.* Frivolum autem eſt, hoc præceptum de extrema neceſſitate interpretari: quaſi *Joannes* tantùm inſtruere vellet de eo quod rariſſimè eveniat; ait *Eſtius.*

℣. 18. *Filioli mei non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.*

Exhortatio propter eos qui dilectionem verbo obtendentes, opere non præſtant: contra quos agit *Jacobus* c. 2. ℣. 16.

℣. 19. *In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.*

In hoc, id eſt, hoc argumento vel ſigno, quòd opere & veritate fratrem diligamus, *cognoſcimus* cognitione probabilis conjecturæ non ſcientiæ; *quoniam ex veritate ſumus*, id eſt, ex Deo vel ex Chriſto qui eſt veritas: ut ſenſus ſit; eum qui diligit opere & veritate cognoſcere quòd ſit ex Deo natus, Deique filius; ſecundùm quod Chriſtus dicit *Joan.* 18. ℣. 37.; vel *ex veritate ſumus*, id eſt, veritatem ſectamur & amamus, quod fit ubi liber eſt animus à pravis affectibus. Poteſt etiam per *veritatem* intelligi veracitas Dei in promiſſis; ùt *Rom.* 15. ℣. 8. Juxta quam

interpretationem *ex veritate* ſunt qui, ùt *Paulus ad Rom.* 9. dicit, *Filii ſunt promiſſionis. Et in conſpectu ejus*, id eſt, coram eo *ſuadebimus corda noſtra* ſcilicet conſcientiam noſtram coram Deo tranquillam atque pacatam reddendo quòd eum verè diligamus, certâ conceptâ fiduciâ quòd condemnationem ejus in judicio Dei evaſuri ſumus: ùt *inferiùs* & *ſeq. cap.* explicatur: ita *Eſtius.*

℣. 20. *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.*

Declaratio eſt à contrario quâ terret dilectionis fraternæ ſimulatores allegato Dei omnia cognoſcentis judicio. q. d. Diligamus fratres opere & veritate: nam alioqui; ſi cor noſtrum ſeu conſcientia nos condemnet tamquam ſimulatos dilectores: hypocriſis illa non latet conſcientiam noſtram quamvis puſillam & pauca ſcientem, ſed ab ea redarguitur: quantò magis à Deo, qui cognitione incomparabiliter *major eſt corde noſtro*, adeòque *omnia novit*, redarguetur & condemnabitur? ex *Eſtio.* Ore ergo & corde diligamus, ut ſic diligentes ſecuram & confidentem conſcientiam coram Deo habeamus: alioqui quomodo non titubabit illius conſcientia, qui cùm mundum latuerit ſimulatè diligens, Deum latere non poterit cordium ſcrutatorem, ita *Gaign.*

℣. 21. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:*

Facit hæc pars ad explicandum quod præceſſit ℣. 19. *In conſpectu ejus* &c. Et ſenſus eſt. Si non condemnat nos propria conſcientia, *fiduciam habemus ad Deum*, id eſt, confidentes

& ſecuri ſumus coram Deo, quòd ſuo judicio nos non condemnabit, ùt dicitur *cap. ſeq.* ℣. 17. quam utique fiduciam parit bona conſcientia. Vel *fiduciam habemus* accedendi ad Deum & ab eo aliquid petendi & impetrandi: de quo *in verſu ſeq.* Loquitur Apoſtolus non universè de quibuſvis hominibus, ſed de Chriſtianis Chriſtianâ doctrinâ imbutis & Deum quem noverunt, ejuſque judicia timentibus; quos ſi cor non reprehendat tamquam fraternam dilectionem ſimulantes, fiduciam habere poſſunt ad Deum: cum quo ſtat, quòd Deus reprehendat qui major eſt corde noſtro. Propter quod *Paulus* 1. *Cor.* 4. dixit: *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Undè & *caſtigavit corpus ſuum* 1. *Cor.* 9.; ex *Eſtio.*

℣. 22. *Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.*

Huic loco ſimile eſt quod dicitur *Pſal.* 65. ℣. 18. & 19. Ratio hujus fiduciæ obtinendi quod petimus ſunt promiſſiones toties à Chriſto Domino factæ: quas tamen ſic intellige; ſi petatur quod & quomodo petendum eſt, & quantùm res tanta peti debet idque perſeveranter. An requiratur ut pro ſeipſo quis petat, videbitur c. 5. ℣. 14. Rationem hanc declarant ſequentia: *Quoniam mandata ejus cuſtodimus*, præcipuè primarium illud de dilectione Dei & proximi. *Et quæ ſunt placita coram eo, facimus*; nempè diligendo fratres: quod quàm placitum ſit, docet vox Chriſti ad Petrum *in Evang. Joan.* 21. ℣. 15. & *ſeqq.* & *infrà* c. 4. *à* ℣. 7. *ad finem.* Ex *hoc loco* deſtruitur dogma hæreticorum dicentium mandata Dei homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia,

& omnia juſtorum opera eſſe peccata; niſi dicant quod abſque blaſphemia dici non poteſt, peccata eſſe Deo placita; ut notat *Eſtius*.

℣. 23. *Et hoc eſt mandatum ejus: ut credamus in nomine filii ejus Jeſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.*

Repetit mandatum dilectionis fraternæ, ut intelligamus præter fidei præceptum, & charitatis præcepta ad ſalutem eſſe nobis obſervatu neceſſaria: quod eſt adversùs Sectariorum dogma condemnatum in *Conc. Trid. Seſſ.* 6. *can.* 9. *Credere in nomine Chriſti* eſt credere in Chriſtum recipiendo ea quæ de eo divinitùs revelata ſunt. Addit, *ſicut dedit mandatum nobis:* vel ut explicet modum dilectionis à Chriſto præceptum *Joan.* c. 13. ℣. 34. & c. 15. ℣. 12.; vel quod probabilius puto, ait *Eſtius*, per repetitionem hoc addit, quia benè nobis inculcatum vult, Dei præceptum eſſe ut diligamus invicem.

℣. 24. *Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.*

Mandata ejus, quæ prædicta ſunt de fide in Chriſtum & fraterna dilectione, *qui ſervat* ea, in Deo *manet*, & Deus *in eo:* ſignificatur præclara merces iis propoſita qui ſervant mandata Dei, videlicet intima & conjunctiſſima cum Deo amicitia: de qua amicitia & ſocietate *ſuprà* c. 1. plura diximus. *Et in hoc ſcimus, quoniam manet in nobis de Spiritu*, græcè, *ex Spiritu quem dedit nobis*. Quæ verba bifariàm poſſunt intelligi, vel ut dicantur ex perſona fidelium in genere; vel ſpecialiter ex perſona Apoſtolo-

rum. Priori modo ſenſus eſt: Deum manere in nobis, cognoſcimus hoc ſigno, nimirùm *ex Spiritu quem nobis dedit*, quo donati mandata ejus ſervamus & nominatim dilectionis. Quantùm igitur quiſque novit hoc ſigno ſe habere charitatem & proindè ſpiritum Dei, tantùm novit Deum in ſe manere: utrumque verò ſinguli fideles non norunt certâ & infallibili ſcientiâ, ſed probabili notitiâ. Hoc ſenſu intelligendum eſt quod dicit *Paulus ad Rom.* c. 8. ℣. 16. Alter ſenſus eſt: Deum in nobis Apoſtolis manere, tamquam veracibus magiſtris, ſcimus & comprobamus *ex Spiritu quem dedit nobis*, hoc eſt, ex variis Spiritûs S. chariſmatibus in nos collatis à Deo; ùt erant dona linguarum, ſanationum, &c. quæ *Paulus* recenſet 1. *Cor.* 12. Solebant enim doctrinam ſuam confirmare ſignorum & miraculorum operatione: ùt patet ex *Act. Apoſt.* Et hoc argumento & ſuam & aliorum Apoſtolorum *Paulus* comprobat *Rom.* 15., 1. *Cor.* 2. & *Heb.* 2.; utique Chriſti exemplo qui paſſim per miracula fidem adſtruit doctrinæ ſuæ. Prior ſenſus connectionem habet cum præcedentibus: ſed poſterior congruit iis quæ ſequuntur *de probandis ſpiritibus* &c. qui & extendi poteſt ad Eccleſiam Apoſtolicam. q. d. Deum *in nobis*, id eſt, in Eccleſia nobis adhærente noſtramque ſequente doctrinam, *manere*, ex eo ſcimus, ipſaque per ſe hoc infallibiliter novit Eccleſia, quòd in ea Spiritus S. manifeſtè ſuam oſtendat præſentiam per multiplicem chariſmatum operationem & gloriam miraculorum. Confer c. 4. ℣. 13.; ita *Eſtius*.

CAPUT IV.

Docet quis ſpiritus ſit ex Deo & quis non ſit; Deum eſſe charitatem, & eum qui timet, perfectum non eſſe.

℣. 1. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.*

QUia prædixerat quòd nobis hinc innoteſcit Deum manere apud nos, quia ſpiritum ejus in nobis haberemus: & multi eâ ætate venirent in Chriſti nomine, illi tamen contrarii, fingentes ſe ſpiritum Dei habere, ſubdit: *nolite* paſſim *cuivis ſpiritui credere*, *ſed* doctrinas, revelationes aut ipſos homines doctrinam & revelationem tanquam à Dei ſpiritu profectam adferentes, *probate*, diſcernite ac dijudicate, num verè *ſint ex Deo* ipſi doctores & eorum doctrina. Hoc præcepto poteſtas judicandi de controverſiis fidei non tribuitur omnibus & ſingulis Chriſtianis, quod volunt ſectarii, ſed una & altera regula præſcribitur ad quam poſſint & debeant fideles ad quos ſcribit Apoſtolus etiam ſinguli judicio quodam rationis explorare doctrinam, quæ fortè nova ad eos perferretur; ex *Eſtio.* Duò autem Apoſtolus fidelibus, ne decipiantur, dat ſigna infallibilia: primum aperta myſterii incarnationis profeſſio; nam ea eſt prima orthodoxæ fidei nota.

℣. 2. *In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt:* .

Hoc, inquit, ſigno poteſtis cognoſcere, imò cognoſcite & probate *ſpiritum* quempiam *eſſe Dei*, id eſt, doctrinam à Dei ſpiritu profectam: *Omnis ſpiritus qui confitetur* &c.; id eſt, omnis doctrina quæ tradit Jeſum Chriſtum in principio Deum ac Dei Filium poſteà *veniſſe in carne*, id eſt, inter homines converſatum in vera humana natura, & omnis doctor qui id docet *ex Deo eſt*. Intellige, qui non ore tantùm, ſed etiam opere confitentur, ſervantes ſcilicet omnia quæ Deus ſervanda præcepit: aliàs enim *abominati & reprobi* ſunt; ùt dicit *Paul. Tit.* 1. ℣. 16.; ita *Auguſt. & Beda*.

℣. 3. *Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.*

Solvere Jeſum nihil aliud eſt quàm aliquid eorum quæ illi propria ſunt auferre, vel deitatem vel humanitatem: vel *ſolvere Jeſum* eſt negare eum in carne veniſſe, ita *Dydimus*. *Et hic*, qui ſolvit Jeſum: vel *& hic eſt*, ſubaudi, ſpiritus *Antichriſti*, *de quo* ſcilicet ſpiritu *audiſtis*, *quia venit* in præcurſoribus hæreticis & ſchiſmaticis. Nam à temporibus Apoſtolorum in hæreticis exſtitit, ſemina quædam ſpargens futuri regni Antichriſti; ita *Gaign. & Eſtius*.

℣. 4. *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum, quoniam major eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.*

Alloquitur Eccleſiam fidelium, cujus præcipua membra ſunt filii Dei. *Et viciſtis eum:*

ſcilicet Antichriſtum in præcurſoribus ejus hæreticis. Græci legunt *eos*, ſcilicet Antichriſtos, pſeudoprophetas, mundum. *Viciſtis*, intellige per fidem, ut c. 5. ℣. 4. ſcilicet eorum argumentis fidei ſimplicitatem opponentes. q. d. Nolite metuere eos, ſuperiores enim facti eſtis illis, quia *major* ſeu ſuperior *eſt qui in vobis* habitat Deus, diabolo qui impios inhabitat, illoſque agit: ita *Gagn.* & *Eſtius*.

℣. 5. *Ipſi de mundo ſunt: ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit.*

Antichriſtos ſeu hæreticos intelligit, qui *de mundo eſſe* dicuntur, quia terrena ſapiunt & quia cœleſtia ignorant: *Gloſ. Ideò de mundo loquuntur*, quia falſam doctrinam proferunt quæ non eſt ex Deo ſed ex mundo & diabolo principe mundi & patre mendacii: & quia docent errorem, perſuadendo rationibus mundanis, ùt non poſſe Deum hominem fieri, mortuum ſuſcitari; ùt *Joan.* 3. *Et mundus*, ſeu potiùs & *ideò mundus eos audit*; quia quiſque libenter audit ea & obedit iis, quæ ſunt ſuæ ſectæ & ſcholæ. Communicant autem impii ſcholæ diaboli licèt alii aliis addicti cupiditatibus & ſectis. Ita Dominus *Joan.* 15. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret.* Addidit hoc Apoſtolus, ne fideles turbentur ob multitudinem eorum qui hæreticis adhærent: ex *Eſtio.*

℣. 6. *Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.*

Loquitur *Joannes* ex Apoſtolorum perſona: & poſt particulare ſignum, generale quoddam proponit quo vera doctrina diſcernatur à falſa.

Nos Apoſtoli, inquit, non ex mundo ſumus, ſed *ex Deo*; ùt enim à Deo miſſi ſumus ad prædicandum Evangelium Chriſti: ita doctrinam ab eo acceptam tenemus & aliis tradimus. *Qui* verò *Deum noverunt* & ex Deo ſunt, *nos* Dei Apoſtolos *audiunt*; *Qui non eſt ex Deo*, quatenùs ex Deo non eſt ſeu cum Deo amicitiam non habet, *non audit nos. In hoc cognoſcimus* &c. quod dicit in perſona fidelium: hoc, inquit, ſigno nos fideles *cognoſcimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris*; id eſt, diſcernimus inter doctrinam veram & falſam, & conſequenter inter doctores veros & falſos. Signum illud eſt, quod jam dixit, nempè nos Apoſtolos *audire* vel *non audire*. Igitur *hoc loco* alteram dat regulam eamque generalem: in qua ſtatuenda quidem reſpicere videtur ad verba Domini *Luc.* 10 ℣. 16. Nam id non ſolùm de præceptis Apoſtolorum, verùm etiam de doctrina ab illis tradenda accipiendum; & etiam ad ſucceſſores referendum eſt. q.d. Si quis Eccleſiam audit & ejus doctrinam ſequitur, hic ex Deo eſt: Si quis eam non audit; ſed ab ejus doctrina recedit, hic *non eſt ex Deo*: ex *Eſtio*.

℣. 7. Chariſſimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo eſt. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.

Redit ad exhortationem dilectionis fraternæ quam commendat, duplici quidem ratione: unâ ab excellentia ejus; diligere enim fratres propter Deum eſt eximium opus à Deo quod per ſuam gratiam in nobis operatur. Alterâ à poſſibilitate & facilitate præcepti: de quo etiam c. 5. ℣. 3.; q. d. Præceptum hoc grave non eſt; *Charitas* enim *ex* ſeu *à Deo* eſt, & proin-

dè ab eo petendum auxilium, ut dilectionis præceptum à nobis impleatur. Nam eo auxiliante, non ſolùm poſſibilis ſed & facilis fit illius præcepti adimpletio : quam rationem tradit & explicat *S. Auguſtinus lib. de grat. & libero arb. c.* 18. *Et omnis qui diligit* &c. quibus verbis Apoſt. complet priorem rationem, declarans dilectionem ita *eſſe à Deo*, ut eum qui fratrem *diligit*, Dei filium conſtituat (eadem enim ſunt *ex Deo natum* eſſe, & eſſe Dei filium) heredem faciens vitæ æternæ: quod addit, *& cognoſcit Deum*, intellige notitiâ affectivâ, ſeu notitiâ familiaritatis vel experimentalis cognitionis, ut fructum adoptionis oſtendat, qui eſt Deum noſſe ùt amicum : ex *Eſtio*.

℣. 8. *Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas eſt.*

Qui non diligit ſcilicet Deum & proximum ex charitate, *non novit Deum*, notitiâ affectivâ & experimentali, quia bonum hujuſmodi cognitione cognoſci non poteſt, niſi diligatur, quia in malevolam animam non introibit ſapientiâ Dei, præcipuè affectiva : *quoniam Deus charitas eſt* eſſentialiter quidem cauſaliter & objective: quia autem *Joannes* non dicit *noſtra*, ſed abſolutè *Deus eſt charitas* ùt & repetit ℣. 16., hinc patet Apoſtolum dicere Deum charitatem eſſentialiter : & quamvis hoc toti SS. Trinitati commune ſit, ſpecialiter tamen hic Deo Patri attribuitur, qui *Filium ſuum unigenitum miſit &c.* ùt dicitur *verſu ſq.*; ex *Eſtio*.

℣. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

Oſtenſa eſt erga nos *charitas Dei Patris*, *quia filium*, ſibi conſubſtantialem, proprium, natu-

ralem non adoptivum, *unigenitum* non ex multis unum, *miſit Deus* Pater ſcilicet *in mundum*, id eſt, in humana carne viſibilem mundo exhibuit, *ut* qui mortui eramus, hoc eſt, æternæ morti addicti propter peccatum, *per eum* velut mediatorem, qui debitum omne noſtrum patiendo & moriendo in ſe ſuſciperet, à morte liberati *viveremus*, vitâ æternâ ac beatâ, ùt *Joan.* c. 3. ℣. 16.

℣. 10. *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.*

In hac miſſione commendatur gratuita *charitas* Dei erga nos, quòd nos dilexerit cùm eſſemus ab eo penitùs averſi: non autem ideò dilexerit, quòd nos eum priùs diligeremus; quomodò ſolent homines diligere eos à quibus ſe diligi animadvertunt. Probat hic locus gratiam Dei non ex meritis dari, & quod indè conſequens eſt, electionem quâ nos elegit Deus ad ſalutem, non niti præviſione noſtrorum operum, ſed eſſe merè gratuitam, ùt *Rom.* 5. ℣. 8. undè ſequitur: *& miſit filium ſuum propitiationem* &c. quibus ſignificat Apoſtolus, Deum miſiſſe Filium ſuum qui eſſet ſacrificium quo in cruce immolato, ipſe ob peccata noſtra nobis iratus reconciliaretur. *Aug. l.* 15. *de Trinit. c.* 17. loco vocabuli *propitiationem* legit *litatorem*, id eſt, ſacrificatorem; ſe ipſum enim obtulit. Meliùs tamen vox græca redditur *propitiationem* pro ſacrificio propitiatorio: ita *Eſtius*.

℣. 11. *Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.*

Invitat nos ex dilectionis debito ad dilectionem, *ſi ſic*, inquit, *Deus dilexit nos*, tantus tantillos, Creator creaturam, juſtus injuſtos, ut

filium ſuum unigenitum daret in mortem pro nobis: utique *&* *nos* tanto exemplo admoniti, *debemus alii alios diligere*: nec amicos ſolùm & benefactores, ſed etiam alienos & inimicos & perſecutores, ùt *Epheſ.* 5. ℣. 1. & 2.

℣. 12. *Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.*

Deum nemo vidit quod intelligi non poteſt de viſione corporali, ùt quidam intellexerunt: ſic enim nec Filius Deum vidit: igitur de oculis mentis intelligitur, nec de ea qualicumque ſed quâ Deus videtur *ſicuti eſt*. Sentit *Joannes*, neminem mortalium eſſe qui Deum viderit aut videat, ut poſſit eum, uti decet, redamare; ſicut amamus & redamamus amicum quem videmus & cum quo familiariter agimus. Per quod inſinuat, Deum, qui in ſe ipſo à nobis videri non poteſt, ideòque nec dignè diligi, diligendum eſſe in fratribus quos videmus, ùt *infrà* ℣. 20. Et quamvis, inquit, nullus hominum Deum viderit, *ſi* tamen *nos invicem diligamus*, *Deum*, à quo mandatum accepimus ut fratres diligamus, habebimus *in nobis manentem* per gratiam ejus & amicitiam, q. d. erimus Deo cari & amici. *Et charitas ejus*, quâ ſcilicet eum diligimus, *in nobis perfecta eſt* perfectione ſufficientiæ & tendit ad perfectionem excellentiæ; tunc enim eſt charitas Dei perfecta quando eum diligimus non ſolùm in ſe, ſed & in ſua imagine. Incipis diligere, incipit Deus in te eſſe: creſce in dilectione, & ampliùs habitando in te faciet te perfectum; ut eum diligas & etiam inimicum: ſicut & ipſe inimicos dilexit: ita *Gloſ.* & *Thom.* Videtur tamen (ait *Eſtius*) *Joannes* hic per *charitatem perfectam* non intelligere illam, quæ

opponitur imperfectæ ſeu ineſſicaci; ſed illam, quæ opponitur fictæ vel imperfectæ illi quâ Deus diligitur non propter ſe, ſed noſtri commodi causâ; ut charitas perfecta ſit amor amicitiæ ſeu benevolentiæ; de qua 1. *Cor.* 13. dicitur: *Non quærit quæ ſua ſunt.* Imperfecta autem amor concupiſcentiæ. Senſus igitur Apoſtoli eſt: ita demùm exiſtimemus nos ſincerâ charitate Deum diligere & nobis amicum habere, ſi nos invicem ſincerâ charitate diligamus: ita *Eſtius.*

℣. 13. *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.*

Cùm dixiſſet Apoſtolus, Deum in nobis manere, ſi diligamus invicem: nunc alio ſigno evidentiore docet, non de ſingulis ſed præſertim de Eccleſia fidelium intelligi, quòd intimam cum Deo ſocietatem habeat (id enim ſignificatur illis verbis: *in eo manemus & ipſe in nobis*) *quia* nimirùm *de Spiritu ſuo dedit nobis*, id eſt, varia Spiritûs ſui chariſmata diſtribuit nobis: quæ ordine numerantur 1. *Cor.* 12. Loquitur *Joannes* præſertim in perſona Eccleſiæ primitivæ, quæ in Apoſtolis & aliis multis fidelibus de ſpiritu Dei copioſè acceperat, ùt patet *Act.* 2. Quod erat certiſſimum argumentum eos in Deo manere & Deum in ipſis. Undè *Paulus* 1. *Cor.* 14. de infideli intrante in Eccleſiam in qua conſpiciuntur hujuſmodi dona. ſic ait: *Cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis ſit*: ita *Eſtius.* Poteſt tamen hic locus etiam appropriari fidelibus, quibus Deus dona ſpiritûs ſui diſtribuit donatione inviſibili per gratiam: verùm tunc ſignum quo cognoſcimus nos in Deo manere per charitatem quâ nos eum diligimus, & Deum in nobis

per charitatem quâ nos diligit, non eſt omnimodæ certitudinis, ſed moralis & probabilis conjecturæ tantùm.

℣. 14. *Et nos vidimus, & teſtificamur quoniam Pater miſit filium ſuum ſalvatorem mundi.*

Dicens: *Et nos*, declarat nunc ſpecialiùs ſe loqui, ſcilicet in perſona Apoſtolorum, ùt *initio Epiſtolæ*. Nam ſenſus eſt. Et ut ampliùs intelligatur Deum in nobis eſſe & nos in Deo. *Nos* Apoſtoli, quorum magiſterio fidem ſuſcepiſtis, *vidimus* oculis noſtris & manibus contrectavimus eum (hæc enim dicuntur 1. *cap.*) in quem crediditis, & ſicut vidimus ita *teſtificati ſumus*, & adhuc *teſtificamur* ſignis coöperantibus *quòd Deus Pater miſit filium ſuum*, ut eſſet *mundi ſalvator*, id eſt, ut homines in ſe credentes à peccatis & à morte ſalvaret, undè & *Jeſum*, id eſt, ſalvatorem illum appellari præcepit *Matth.* 1. & *Luc.* 1. Et præſignari voluit per Joſeph patriarcham *Gen.* 41. ex *Eſtio.*

℣. 15. *Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.*

Hæc pars illativè accipienda eſt & ex præcedente ſupplenda hoc modo: *Quiſquis* igitur *confeſſus fuerit quòd Jeſus eſt Filius Dei* Salvator mundi &c. quaſi dicat Apoſtolus; cùm & teſtimonio Spiritûs ſancti, qui multa & varia chariſmata effudit in Eccleſiam per nos fundatam & prædicatione noſtrâ, id eſt, Apoſtolorum qui ſumus oculati teſtes, certiſſimè conſtet, Deum Patrem miſiſſe Jeſum filium ſuum, qui omnes in ſe credentes ſalvos faceret: ergò *quicumque* hoc integrâ fide *confeſſus fuerit*, intimam obtinet cum Deo conjunctionem: qua-

in re ſalus noſtra conſiſtit, imperfectè quidem in hac vita, perfectè autem in futura, ùt *Rom.* 10. ℣. 9.; ex *Eſtio.*

℣. 16. *Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Videtur hìc rursùs loqui generaliùs, videlicet in perſona fidelium: ut ſenſus ſit. Itaque *nos* per Apoſtolorum prædicationem perque Spiritûs S. teſtimonia *cognovimus* hoc ſcilicet, quòd Chriſtus ſit Filius Dei, & *credidimus* ac fide complexi ſumus *charitatem* illam immenſam, *quam Deus habet erga nos*, ùt pro quibus vivificandis & ſalvandis filium ſuum miſerit in mundum. *Deus charitas eſt.* q. d. Cùm tantam oſtenderit Deus charitatem erga genus humanum; meritò vobis inculco ac repeto, Deum eſſe ipſam charitatem propriè & eſſentialiter. *Et qui manet in charitate* &c. Particula *Et* non copulativè ſed illativè ſumenda videtur: ut hoc ſit enthimema Apoſtoli: *Deus charitas eſt*: ergò *qui manet in charitate, manet in Deo*, & conſequenter *Deus in eo.* Hæc enim immanſio (ùt ſuprà dictum eſt) fit per ſocietatem & amicitiam quæ neceſſariò eſt mutua. *Petrus Lombardus* aliique Theologi conati ſunt aliquando ex hoc loco probare, *charitatem* illam quâ homo diligit Deum & proximum, non eſſe qualitatem creatam, ſed ipſam eſſentiam divinam, ſcilicet ipſum Spiritum S.; quod enim dicitur, & *qui manet in charitate*, de charitate increata volunt accipiendum eſſe, de qua dictum eſt, Deus charitas eſt. ℟. Dum dicit *Joannes*; & *qui manet in charitate*, intelligit charitatem creatam nobiſque intrinſecam. Non enim ſyllogiſmum facit, in quo neceſsè ſit, eumdem

terminum, *charitas*, eâdem accipi ſignificatione: ſed cùm Deus eſſentialiter charitas eſt, ideòque fons omnis dilectionis quæ eſſe poteſt in creaturis; optimè colligit eum qui manet in dilectione fraterna, manere in Deo, quia per charitatem illam creatam Deo, qui per eſſentiam charitas eſt, ſimilis efficitur eidemque ſocietate conjungitur. Opinio autem *Petri Lombardi* damnata videtur in *Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 7. & can.* 11. ita *Eſtius*.

℣. 17. *In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.*

Charitas Dei intelligi poteſt, vel quâ nos Deum diligimus, vel quâ nos Deus diligere dignatus eſt. Primo modo, ſenſus eſt. *In hoc*, id eſt, eo ſigno oſtenditur eſſe *in nobis perfecta charitas* ſive erga Deum, ſive erga proximos, ſi *fiduciam* in nobis ſentiamus quòd in die judicii non ſumus condemnandi, ita *Beda & Heſſel*: putarem ad ſenſum illorum ſic jungendum locum, ſi *perfecta Dei charitas nobiſcum eſt*, fiduciam habemus in die judicii, quia *ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo*, id eſt, *quia ſicut ille* in mundo degens perfectam charitatem habebat, ideòque nihil principem mundi hujus verebatur, dicens; *Venit autem princeps mundi hujus, & in nihil habet quidquam*: ita & nos in hoc mundo ſi perfectam habemus charitatem, ſicut ille, ſumus nihil formidantes in die judicii principem mundi hujus. Secundo modo, ſenſus eſt: *in hoc*, id eſt, ob hoc conſummata fuit *Dei in nos charita ut fiduciam habeamus in die judicii*: prædixit enim in hoc ſummam Dei erga nos charitatem apparuiſſe; quòd unigenitum filium ſuum miſit in mundum ut vi-

vamus per eum, *ut nos*, tam inſigne charitatis argumentum habentes ob oculos, *fiduciam habeamus in die judicii*, id eſt, nihil vereamur, ſed cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ ipſius. Quod cum ſequentibus rectè nectitur; quia ſicut ille eſt in hoc mundo manens in nobis, ita & nos ſumus manentes in illo, & ſicut ille in nobis ſanctitatis & puritatis & charitatis author eſt, ita nos in eo ſanctè & caſtè gerimus mortui mundo; & ſicut ille eſt in nobis ſummè nos diligens, ità & nos in eo ſumus, ſummè eum diligentes, propter eum verò fratres & proximos; quod ſi indubiè tales ſumus in eo, qualis ipſe in nobis, fiduciam habebimus in die judicii, & tunc perfecta erit charitas expers omnis timoris ſervilis, ita *Gaig*. Quia tamen vox *Dei* non legitur in græcis, uti nec apud *Aug. & Bedam* nec in multis latinis codicibus iiſque emendatioribus, *Eſtius* putat probabiliùs, charitatem fraternam hìc intelligi; hoc ſenſu: Charitas noſtra mutua ac fraterna, ſi ſit perfecta, id eſt, germana, ſincera ac Chriſtiana, parit nobis hunc fructum ut benè confidamus in die judicii nos aggregandos numero filiorum Dei. Senſum hunc commendat ℣. 21. *cap. præc.* *Quia ſicut ille eſt* &c. quibus verbis probatur ſententia præcedens, quâ dixerat, charitatem fraternam gignere in nobis fiduciam. Nam charitas, inquit, illa nos Deo ſimiles facit; ſicut enim Deus eſt Charitas per eſſentiam, ſic & nos ſumus per imitationem, officia charitatis fratribus impendentes; idque *in hoc mund.* ubi variæ & frequentes occurrunt neceſſitates eam exercendi erga proximos. Quem ſenſum exigere videntur quæ dicuntur ℣. 9. 10. & 11. Hunc etiam refert *S. Aug. Matth. 5.* ℣. 45. & 48., quem ſequuntur plures alii tradentes hanc expoſitionem: ita *Eſtius*.

℣. 18. *Timor non eſt in charitate : ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.*

Toto hoc verſu probatur quod dictum eſt de fiducia in die judicii; ablegato enim timore locus eſt fiduciæ. Sermo igitur eſt de timore Dei ùt judicis ſeu de timore judicii divini quo pœna gehennæ infligitur. Utrùm verò de timore ſolo ſervili loquatur Apoſtolus, an etiam initialem comprehendi velit; pendet præcipuè ex acceptione *Charitatis* in eodem hoc verſu. Quidam enim totum exponunt de Charitate perfecta, qualis eſt eorum qui in hac vita perfecti dicuntur ùt diſtincti ab incipientibus & proficientibus. Alii *Charitatem* & *charitatem perfectam* pro eadem accipiunt; ut *perfecta charitas* Joanni dicatur perfectione eſſentiali, (quemadmodùm ex *Eſtio* explicatum eſt ℣. *præc.* & c. 2. ℣. 5.) id eſt, charitas vera, ſincera, Chriſtiana: qualis eſt etiam incipientium & proficientium. Primo modo *Charitatem* accepit author hujus operis *Bencé*, & conſequenter timorem judicii intellexit prout ſub ſe comprehendit ſervilem & initialem, hunc ſenſum aſſignans. *Timor* ſcilicet ſervilis qui eſt ſolius gehennæ, *non eſt in charitate*; ſed præparat ei locum & eam tandem introducit ſicut acus filum, ùt ait *Aug. Sed perfecta charitas*, perfectione excellentiæ, *foras mittit timorem*, gehennæ ſcilicet initialem qui ſimul eſt offenſæ divinæ. Aliud enim eſt timere Deum ne te in gehennam mittat, aliud ne te deſerat, ait *Auguſt. Quoniam timor* hujuſmodi gehennæ, *pœnam habet*, tormentum conſcientiæ, *Gloſ. Qui autem timet* ſupplicium gehennæ vel aliquam pœnam vel periculum temporale vel ſepa-

rari à Deo, *non eſt perfectus in charitate*, perfectione ſuperabundantiæ, *Rom.* 8., licèt ſit perfectus perfectione ſufficientiæ; ut loquitur *Thom.* Secundo modo accepit *Eſtius* exponens hunc locum de ſolo timore ſervili, quem vera charitas etiam imperfectorum excludit, & conſequenter qui parit fiduciam ſalutis tantò majorem, quantò ipſa magìs proficiat & perfectior fiat. *Quoniam timor pœnam*, græcè, *cruciatum* ſeu *tormentum* malæ ſcilicet conſcientiæ *habet. Qui autem timet* pœnam à Deo Judice infligendam & eo timore principaliter movetur ad faciendum bonum & abſtinendum à malo, *non eſt perfectus in charitate*, id eſt, nondùm aſſecutus eſt charitatem veram atque germanam qualem lex Chriſtiana requirit & proinde fiduciam veram habere non poteſt in die judicii; ita *Eſtius* qui ſic *charitatem* accipiendam arbitratur: quia Charitas ſtrictè perfecta in paucis admodùm reperitur, atque ita doctrina hìc tradita in paucis locum haberet; ſequeretur etiam ſolos charitate perfectos habere poſſe fiduciam in die judicii: quæ aliena videntur à mente Apoſtoli. Denique hanc expoſitionem confirmat *cap.* 3. ℣. 21. Videri etiam poteſt in *Eſtio* locus *S. Aug.* ſuprà allegatus.

℣. 19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

q.d. Ut perfecti ſimus, *nos* qui in Deum credimus, *diligamus Deum*, dilectione perfectiore quâ poſſumus; & hoc debemus, *quoniam ipſe prior dilexit nos*, quàm nos ipſum, ùt *Rom.* 5. ℣. 6. & *ſeqq.* Dilexit impios ut faceret pios; ex *Auguſt.*

℣. 20. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?*

Si quis dixerit ſe diligere Deum, eâ dilectione quâ diligendus eſt, & interim *fratrem oderit* aut ab affectu ſuæ dilectionis excludat, is *mendax eſt*; nam id, quod dicit, facto negat; *qui enim* non exhibet charitatis officia erga hominem ſibi notum: quomodo *Deum quem* numquam *vidit*, ſed tantùm credit, *diligere poterit*?

℣. 21. *Et hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

Et hoc mandatum habemus à Deo, allegatum à Chriſto Domino *Matth.* 22. ℣. 37. & *ſeqq.* Duo enim ſunt mandata charitatis, ſcilicet Dei & proximi; undè infert, eum eſſe mendacem qui, cùm non diligat fratrem, affirmat ſe diligere Deum; ex *Aug.*

CAPUT V.

Fide nos ex Deo gigni, vitam æternam eſſe in filio Dei.

℣. 1. *Omnis, qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo.*

QUos ſuprà *fratres* noſtros dixit nunc *Dei* filios appellat; quos diligendos eſſe ex eo nomine ulterius demonſtrat. *Omnis*, inquit, *qui credit quoniam Jeſus eſt Chriſtus*, ſeu ex græco, *Jeſum eſſe Chriſtum illum*, ſcilicet in lege promiſſum & Patribus exſpectatum, *ex Deo natus eſt*, utique per regenerationem ex ſpiritu & proindè Dei filius eſt. *Qui credit* nempè fide formatâ, non informi, fide vivâ, obediente, efficaci, quâ quis ita *credit Jeſum eſſe Chriſtum*, ut totam ejus doctrinam recipiat & legem ſervet. Nam qui credit quidem Jeſum, ſed alios articulos rejicit, vel fidem operibus non oſtendit, nondùm ex Deo natus eſt. Similis eſt locus *Joan.* 1.℣.12. *Et omnis qui diligit eum* &c., hoc eſt, ita naturâ comparatum eſt, ut qui diligit patrem, ejus causâ filium quoque diligat. Ex quo inferendum reliquit, omnem qui verè & ſincerè Deum diligit, etiam proximum propter Deum ſic diligere debere. Rectè etiam hâc ſententiâ utuntur Theologi, ut probent in divinis unam perſonam ſinè altera nec diligi nec videri poſſe: ùt Dominus ait, *Joan.* c. 14. ℣. 9. & c. 15. ℣. 23. ex *Eſtio.*

℣. 2. *In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.*

Huc uſque Apoſtolus docuit dilectionem fraternam neçeſſariam conditionem eſſe ad diligendum Deum ùt oportet. Nunc à contrario argumentatur, probans amorem Dei ſignum eſſe dilectionis proximi, in hunc modum: Qui diligit eum qui genuit, diligit & natos ex eo: nos ergo ſi *Deum diligamus*, eo ſigno *cognoſcimus*, nos diligere natos Dei, qui iidem ſunt fratres noſtri: ex *Eſtio.*

℣. 3. *Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt.*

Senſus eſt. Idcircò adjeci de mandatis ejus ſervandis; quia diligere Deum per conſequentiæ rationem eſt mandata ejus ſervare: *Charitas* ſiquidem erga Deum ratio eſt ſervandi ejus mandata; quinimò charitas ſi vera & germana ſit, talis eſt efficaciæ in nobis, ut faciat nos cuſtodire Dei mandata. *Et mandata ejus gravia non ſunt*, ùt & Dominus dicit *Matth.* 11. ℣. 30. Amanti enim omnia facilia ſunt. Undè juſtis & charitate Dei præditis, facilia & ſuavia ſunt Dei mandata; & quidem eò magis aut minùs quo plùs minùſve profecerint in charitate & juſtitia; ùt docet *Conc. Trid. Seſſ.* 6. c. 14. Si autem homini juſtificato gravia non ſunt, multò minùs ei impoſſibilia ſunt: de quo legatur *Aug. l. de Nat. & Grat. c.* 43., 68. & 69., item *Leo ſerm.* 5. *de Quad.* Aliter verò loquendum eſt de homine peccatore & non renato: huic enim fatemur Dei mandata gravia eſſe; ùt non obſcurè inſinuat *Conc. Trid. loco citato.* Vide *Eſtium.*

℣. 4.

℣. 4. *Quoniam omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.*

Oſtendit natis ex Deo; nativitate ſpirituali per fidem & charitatem, mandata Dei non eſſe gravia ob hoc ipſum, quia nati ſunt ex Deo, quia filii Dei, & quia toto mundo ſuperiores ſunt & potentiores. *Vincere mundum* dicitur qui vincit omne *quod in mundo eſt*, nempè *concupiſcentiam carnis* &c. ſuprà c. 2. ℣. 16.; hoc eſt, qui ſuperat omnes tentationes ita ut per eas à Dei charitate non ſeparetur: ùt *ad Rom.* 8. ℣. 35. & *ſeqq. Et hæc eſt victoria* quâ mundus vincitur & quæ à nobis filiis Dei per fidem noſtram quâ in Chriſtum creditur, obtinetur. Proponit enim auxilium & gratiam per Chriſtum, & monſtrat promiſſa præmia benè certantibus. Per hanc fidem quanta fecerint Patres antiqui, *Paulus* docet *Heb.* 11. Quapropter & fideles admonet, ut *in omnibus ſumant ſcutum fidei. Ephеſ.* 6. De quo & *Petrus* 1. *Epiſt.* c. 5. ℣. 9.; ex *Eſtio.*

℣. 5. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt filius Dei?*

Non quòd hic ſolus articulus ſufficiat ad vincendum, ſed quia hoc ſermone oſtendit mediatorem, per quem ſolum mundus vincitur: ex *Eſtio.* Hic fidei articulus duo comprehendit, incarnationem Verbi & divinitatem Jeſû Chriſti: quod utrumque duplici teſtimonio probat. Primum quidem *verſû ſequenti.*

℣. 6. *Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.*

Prædixerat credentes eſſe Dei filios, nunc

quomodo filii fiant, ſubdit; quia *Jeſus* eſt *qui venit* ut nos Deo Patri in filios adoptaret. Pro clariore hujus loci intelligentia notandum, omnes Evangeliſtas ſtudiosè referre de *Joanne Bapt.* quòd in aqua baptizaverit & ad hoc venerit miſſus à Deo, ùt *Matth.* 3., *Marc.* 1., *Luc.* 3., *Joan.* 1., item *Act.* 1., 11. & 19.; quin & *Joan.* 1. ſic de ſe *Baptiſta* loquitur: *Ut manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans.* Ubi certè monſtrat ſe eum eſſe qui venit *in aqua ſolùm*, ad differentiam ejus qui venturus eſſet *non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine:* ſicut hìc dicitur. Et quamvis expreſsè non dixerit, poſt ſe venturum qui baptizaret in ſanguine, ſed qui *in Spiritu S.*, ùt teſtantur iidem Evangeliſtæ: *de ſanguine* tamen non tacuit. Nam in ſanguine venturum ſignificavit quando dixit: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*, utique per ſanguinem in cruce effundendum: de quo ſanguine *Joan. ſuprà c.* 1. ℣. 7. Pertinet etiam huc hiſtoria aquæ & ſanguinis manantis è latere Chriſti in cruce *Joan.* 19.; de quo in majorem confirmationem Evangeliſta ℣. 35. adjicit: *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus.* Oſtendit igitur Apoſtolus hoc loco; Jeſum eſſe verum hujus mundi ſalvatorem utpotè qui non venerit in aqua ſolùm & quemadmodum *Joannes Bapt.*, ſed *in ſanguine & ſpiritu*, quod & *Joannes* prædixerat, ùt jam docuimus. *Venit* autem *Jeſus in aqua* quia inſtituit baptiſmum aquæ, quem ſignificavit aqua quæ fluxit ex ejus latere. *Venit & in ſanguine*, quia per ſuum ſanguinem animas purgat & vivificat tum in baptiſmo tum in aliis Sacramentis tum & extra Sacramenta. Porrò quomodo *Jeſus in ſpiritu venerit*, jam ſequitur: *Et ſpiritus eſt qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas.* Duobus teſtibus, qui ſunt aqua & ſan-

guis, nunc tertium adjungit *Spiritum*; quem hìc non alium intelligimus quàm Spiritum S. maximè ſecundum græcam & ſyriacam lectionem quæ habet: *Quoniam ſpiritus eſt veritas*. Uti & legit *Leo Ep.* 10. *c.* 5. *in fine*. Et *Aug. de dono perſev. c.* 23. Senſus noſtræ lectionis eſt: Sed & Spiritus S. teſtificatur Chriſtum eſſe veritatem; quomodo Chriſtus ſe nominat *Joan.* 14. ℣. 6. Hoc autem teſtificatus eſt in die Pentecoſtes *Act.* 2., & per varia charismata quæ deinceps in Chriſti fidelibus operatus eſt, qualia enumerantur 1. *Cor.* 12. Quod ſpiritum S. facturum Chriſtus prædixerat *Joan.* c. 15. ℣. 26. & c. 16. ℣. 14. Unde & *Petrus*, *Nos*, inquit, *teſtes ſumus horum verborum*, *& Spiritus Sanctus*, *quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi*: *Act.* 5. Senſus autem græcæ lectionis eſt: Spiritus S. teſtificatur, cujus teſtimonium rejici non poteſt, quoniam veritas eſt falli & fallere neſcia: ex *Eſtio*, qui dicit, ſe neſcire, utra harum lectionum præferenda ſit.

℣. 7. *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.*

Quod *verſu præc.* triplici teſtimonio probaverat, nunc continuat triplici teſtimonio dato à tribus teſtibus infallibilibus *in cœlo*, *Patre*, *Verbo* quod incarnatum eſt, *& Spiritu S.*; qui omnes *tres* inter ſe eſſentiâ ſeu naturâ *unum ſunt*: quod enim hoc non de conſenſione dumtaxat voluntatis poſſit accipi, liquet ex ipſa ſerie ſermonis. *Pater* autem teſtimonium dedit Miſſioni, Incarnationi & Divinitati Chriſti per voces Prophetarum, per vocem in Baptiſmo & in transfiguratione ejus, item in templo coram omni populo *Joan.* 12. ℣. 29., nec non miraculis prædicationem Chriſti ubique concomitantibus; ùt Dominus ipſe ſæpiùs declaravit,

Joan. c. 5. ℣. 19. 36. *& ſeqq*, c. 8. ℣. 18. & 54., c. 10. ℣. 25. 37. & 38., c. 14. ℣. 11. *& ſeqq.*, & c. 15. ℣. 23. *& alibi. Verbum*, ſeu ſecunda Perſona SS. Trinitatis, hæc de ſe teſtatum eſt verbis & miraculis, paſſione & reſurrectione ſuâ, de quibus vide *Joan.* 5. ℣. 17. *& ſeqq.*, ℣. 36. *& ſeqq.*, c. 8. ℣. 12. *& ſeqq.*, ℣. 25. *& ſeqq.*, c. 10. ℣. 24. *& ſeqq.*, ℣. 37. *& ſeqq.*, c. 11. ℣. 44. *& ſeqq.*, c. 13. ℣. 17. & c. 14. ℣. 29.; item in paſſione ſua publicè id de ſe Dominus teſtatus eſt. Tandem & *Spiritus S.* illa teſtatus eſt, deſcendens ſuper eum in baptiſmo, & in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos, item per miracula & varia chariſmata fidelibus data, &c. Quo triplici teſtimonio in cœlis dato & in unam eamdemque rem confirmandam conſpirante, Miſſio Incarnatio & Divinitas Chriſti irrefragabiliter ſtabilita eſt: ita ut à nemine ullâ veriſimilitudine negari queat: ùt ipſe Dominus inſinuat *in Evang. Joan.* 5. ℣. 31. 32. & 37.

℣. 8. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.*

Et tres ſunt, ſcilicet teſtes, *qui teſtimonium dant* ejuſdem illius rei, ſcilicet Chriſtum eſſe illum Meſſiam, & non minùs verum hominem quàm Deum: & hi teſtes ſunt *in terra*, id eſt, in hac inferiore mundi parte & inferiores ſuperioribus tribus divinis teſtibus in cœlo, cùm hi ſint ex numero creaturarum. *Spiritus*, *aqua & ſanguis*. De aqua & ſanguine ſatis dictum eſt *ſuprà* ℣. 6. Agitur autem hìc præcipuè de aqua & ſanguine quos ſudavit in horto Gethſemani, & ſpecialiùs qui fluxerunt è latere ejus jam mortui. Supereſt inquirere an etiam de Spiritu Sancto hic locus intelligatur: ſic enim ſuadere videtur ℣. 6. quem de Spiritu S. intelleximus; ex quo verſu etiam patet quomo-

do Spiritus S. in terra teſtimonium præbuerit humanitati &c. Chriſti Domini. Sed videtur S. Auguſtinus magis congruè intelligere illum *Spiritum* in his Apoſtoli verbis, de quo idem in Evangelica Chriſti patientis hiſtoria dixit: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum*, *Joan.* 19.: clamans nimirùm Chriſtus voce magnâ ex *Pſal.* 30. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*; ùt eſt *Luc.* 23. Spiritus autem ille ipsâ ſui emiſſione teſtificatus de ipſo quòd ſit verus homo; quippe cùm ſolus homo ſpiritum ſeu animam rationalem habeat. Qui ſenſus ſanè aptiſſimus videtur inſtituto Apoſtoli ſcribentis etiam contra impium illud figmentum Baſilidis negantis veram Chriſti humanitatem. Nihilque incommodi eſt, quòd ℣. 6. ſermo ſit de *Spiritu Sancto*: cùm enim ℣. 7. commemoretur *Spiritus* expreſsè adjuncto epitheto *Sancti*, optimè intelligitur ℣. 6. eodem modo intelligi poſſe. Sed cùm in ℣. 8. poſteà iterùm ſinè illo epitheto ponatur, meritò aliter accipitur, præcipuè quia materia hujus versûs ita poſcat: ita *Continuator Eſtii*. Eodem autem modo ſicut *Spiritus* ſeu anima Chriſti probat eum eſſe verum hominem, hoc ipſum teſtantur *aqua & ſanguis* qui de Chriſti jam mortui latere fluxerunt, quia ex illis conſtat verum ac non phantaſticum, imò humanum ejus corpus fuiſſe, utpotè quod animæ rationali eo uſque fuerat conjunctum. Atque ita hi tres teſtes in terra etiam *unum* fuerunt in teſtando unam eamdemque rem. Circa quod nota, hæc verba: *Et hi tres unum ſunt.* In multis latinis codicibus non legi, in græcis tamen omnibus (exceptâ Complutenſi) invenitur, ſed hoc modo: *Et hi tres in unum* ſcilicet confirmandum *ſunt*. De qua revide *Contin. Eſtii*, *Calmet* &c. utì & de authenticitate versûs 7.

℣. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quo majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.*

Authoritatem divini teſtimonii, allegati ℣. 7., magis proponit & urget. q. d. Cùm in rebus humanis quotidiè ita fieri videamus, ut hominum duorum aut trium concorditer de una aliqua re aſſeverantium teſtimonium recipiatur, ac ſecundùm illud jus dicatur partibus litigantibus; certè longè majore ratione Deo Patri credere debemus teſtificanti de Jeſu filio Mariæ, quòd ſit filius ſuus dilectus: ùt ℣. 7. dictum eſt.

℣. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt de filio ſuo.*

Eſt principalis concluſio quam *initio capitis* propoſuerat; ſimulque eſt exhortatio ad fidem ſuſcipiendam, &c. q. d. Ita Pater teſtificatus eſt *de Filio ſuo*: *Qui* autem *credit in Filium Dei*, non ait filio, vel filium, ſed *in Filium*; quia aliud eſt credere Deo, credere Deum, & credere in Deum: *habet teſtimonium Dei* Patris *in ſe*, id eſt, conſentit quòd teſtimonium Dei de Filio ſuo ſit verum; vel approbat divinum teſtimonium quod Pater perhibet de illo; & ſic intelligit ipſum eſſe veracem in teſtimonio de Filio. E contrario. *Qui non credit filio*, græci, *Deo* aſſerenti Chriſtum eſſe filium ſuum naturalem, ſibi coæqualem & conſubſtantialem, *mendacem facit eum* quantum in ſe eſt: *quia non credit in teſtimonium* ſeu non credibile reputat *teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus* Pater *de Filio ſuo*, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus* &c. Meliùs tamen generaliter intelligitur omne *teſtimonium* quod Deus Pater de Filio ſuo de-

dit; ad confirmandum quod ſit verus Deus & homo, Redemptor & Salvator generis humani.

℣. 11. *Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus eſt.*

Hoc *teſtimonium* nunc aliis verbis confirmat: dicens Deum Patrem teſtatum eſſe quòd *vitam æternam* per filium ſuum *nobis dederit*; & quòd *hæc vita in filio* ùt authore & conſummatore ſit: q. d. Si ergo vita æterna in filio eſt & nobis per filium data à Patre, *in hoc eſt teſtimonium* quòd ipſe Deus eſt, quòd vita æterna in ipſo eſt, & ſolus Deus largiri vitam æternam poteſt; ex *Gaig.*

℣. 12. *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.*

Eſt hìc iterata concluſio adhortatoria ad fidem in Jeſum Chriſtum, cum argumento ex ſpirituali utilitate imò neceſſitate: hâc videlicet quòd ſinè hac fide vera vita neque in hoc neque in futuro ſeculo obtineri poſſit. Fidem autem intelligit qualem Scripturæ paſſim adſtruunt, cùm fidem commendant, piè ſcilicet affectuoſam, & obedientem. Quod autem illud: *Qui habet Filium*, intelligendum ſit, qui Filium piè & verè affectuoſâ ac obediente fide tenet, ex ſimilibus hujus Apoſtoli ſententiis docetur; ùt c. 2. ℣. 23. Ita ſit ut hic locus correſpondeat *Act.* 4. ℣. 12., & *Evang. Joan.* 14. ℣. 6. Magnum igitur hoc loco eſt teſtimonium de fide Mediatoris, quæ omnibus ad ſalutem ſemper fuerit & ſit neceſſaria: ita *Contin. Eſtii.*

℣. 13. *Hæc ſcribo vobis: ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei.*

Hæc ergo *vobis* jam verâ affectuoſâ atque obediente fide credentibus in Jeſum Dei filium,

eo fine ſcripſi *ut ſciatis*, quòd per eum jam in hoc ſeculo *habeatis vitam æternam*; ſed inchoatam dumtaxat eoque amiſſibilem. *Habetis* autem in illa ipſa fide, utpote charitatem ſibi aſſociante: eo item fine ſcripſi ut fidem hanc conſtantiſſimè retinentes ſemper credatis in Dominum Jeſum, quantumcumque undique vobis obſtrepant pſeudo-prophetæ falſa dogmata huic fidei contraria; ita *Oecum.*

℣. 14. *Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus: ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.*

Non tantùm in ſeculo futuro ſperare debemus cœleſtia, ſed etiam in hac vita impetrabimus quidquid ſalubriter petierimus. *Et hæc eſt fiducia* ſpei, *quam habemus ad Deum*, non ad hominem, ùt *Pſal.* 124. ℣. 1. & *Heb.* 4. ℣. 16. Quia *quidquid petierimus ſecundùm voluntatem ejus*, non ſecundùm deſideria noſtra carnalia: ſi ſcilicet ut, quod vult, rogemus; vel quales nos eſſe deſiderat ad rogandum inveniat. Locus hic ferè ſimilis eſt illi qui habetur *in Evang. Joan.* c. 16. ℣. 23. Conditiones autem ad bonam & efficacem orationem requiſitæ videri poſſunt in Authoribus theologicis, vel breviter *in Continuatore Eſtii.* Ad quæſtionem autem an oratio debitis conditionibus ſtipata infallibiliter exaudiatur dum quis petit ſeu orat pro alio, breviter ex eodem authore reſpondetur negativè: ratio eſt, quia poteſt eſſe impedimentum ex parte ejus pro quo oratur, quod impedimentum Deus juſto ſuo judicio tollere nolit: quod non fit quando quis pro ſe ipſo ſecundùm voluntatem Dei & modo debito orat: eo ipſo enim ad obtinendum diſpoſitus eſt. Et hoc ſignificat Apoſtolus hìc ℣. 16. Atque hoc eſt quod dicit *Aug. tract.* 102. *in Joan.*

℣. 15. *Et ſcimus quia audit nos quidquid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.*

Quas poſtulamus, in nonnullis vetuſtis codicibus latinis, uti & græcè legitur *poſtulavimus*. Et quidem in græco adjungitur conjunctiò *Si. Et ſi ſcimus quòd audit nos* &c. Juxta oſtram lectionem hic verſus abſolvit ſententiam, & (ùt ait *Beda*) repetitio ac inculcatio eſt, ut ad orandum nos vivaciùs excitet. Nam cùm ℣. 14. dixiſſet nos habere *fiduciam*, hìc ait nos habere *ſcientiam* ſeu abſolutè certos eſſe, nos exaudiendos ſi petamus ſecundùm Dei voluntatem: & quidem ſi legimus *poſtulavimus*, ùt germanior lectio videtur; ſenſus eſt: Scimus quod audit nos Deus quidquid petierimus: ſcimus enim quòd habemus petitiones quas antehac ab eo poſtulavimus: per ea quippe, ait *S. Euch. lugd.*, quæ quis cognoſcit præſtita, diſcit ſperare promiſſa &c. Secundùm græcam lectionem ſententia tantùm terminatur ℣. 16. hoc modo: Et ſi ſcimus quia audit nos ... & ſi ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulavimus ab eo; qui ſcit fratrem ſuum peccare ... petat, & dabitur &c. Certitudo autem ſcientiæ quòd Deus ritè petentes exaudiat, fundatur paſſim in promiſſionibus divinis quas habemus in Evangeliis.

℣. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.*

Hic verſus eſt concluſio ſpecialis deducta ex aſſertionibus generalibus ℣. 14. & 15., quæ docet orandum pro Chriſtiano peccante quiſ-

dem ſed *non ad mortem*. q. d. Cùm habeamus fiduciam imò cùm ſciamus nos exauditum iri à Deo &c.; ſi quis noverit fratrem quempiam, hominem Chriſtianum dico, peccatum aliquod commiſiſſe quod *non* ſit *ad mortem*; *petat* à Deo ut illum à peccatis liberet, & Deus dabit illi vitam: *Eſt* autem *peccatum ad mortem*, *non pro illo dico*, id eſt, non jubeo, non moneo nec hortor *ut roget quis*. Hoc loco olim abuſi ſunt Novatiani ut probarent dari peccatum irremiſſibile in hac vita. Catholici autem variis interpretationibus explicant ſenſum Apoſtoli circa *peccatum non ad mortem*. Imprimis aliqui per hoc intelligunt peccatum veniale; quod tamen non congruit Apoſtolo docenti: *Et dabitur ei vita*. Non congruit enim illud explicare hoc modo: *Dabitur vita* gratiæ major; vel *Dabitur vita* auferendo occaſionem ſcilicet veniale peccatum quod occaſionaliter minuendo fervorem charitatis &c. ducit ad mortem. Sed contextus exigit explicare de *vita* peccato mortali amiſſa. Intelligitur itaque peccatum mortale etiam illud, quod Apoſtolus dicit *non ad mortem*. *S. Aug. l.* 1. *Retract. c.* 19., & *l. de cor. & grat. c.* 12. dicit, peccatum ad *mortem* eſſe quodcumque mortale in quo quis cum impœnitentia finali moritur. Eodem modo intellexiſſe videtur *S. Hieronymus* ad hæc verba *Jerem.* 14. *Noli orare pro populo iſto*. Alii *peccatum ad mortem* dicunt Apoſtaſiam à fide ad hæreſim, idolatriam &c. Ejuſmodi enim peccatum, quia directè opponit ſe Deo fonti omnium bonorum, & gratiæ, meritò ad mortem & incurabile dicitur quia quantùm eſt ex ſe rejicit & directè removet principium remiſſionis. Hæc interpretatio conformis eſt dictis Chriſti Domini *Joan.* 8. ℣. 21., & *Pauli ad Heb.* c. 6. ℣. 4. & *ſeqq.* & c. 10. ℣. 26. Meliùs tamen hoc loco per *peccatum ad mortem* intel-

ligendum videtur quodcumque peccatum mortale graviſſimum, factum ex pura malitia; atque ita *peccatum non ad mortem* eſt peccatum mortale ex ignorantia vel infirmitate commiſſum; faciliùs enim hoc quàm primum remittitur quod directiùs etiam bonitati divinæ repugnat. Aliam adhuc difficultatem parit hæc Apoſtoli ſententia; *Non pro illo dico ut roget quis:* quæ contraria videtur præcepto & exemplo Chriſti, orandi pro perſequentibus &c. ℞. Apoſtolus hoc loco illud non prohibet; ſed ad id non audet hortari quemlibet Chriſtianorum ut ſcilicet pro tali oret cum eadem fiducia de qua locutus eſt ℣. 14. & parte priore *hujus verſûs.* Sic *Hier. l. 2. cont. Jovin.*, & *Amb. l. 1. de pœnit.* c. 9. Et quidem *Amb.* c. 10. dicit, *Joannem* hoc loco abſolutè non excludere deprecantem, ſed aſſignare quis debeat eſſe qui pro gravi & ad mortem peccato Deum deprecari poſſit; nempè non vulgaris ſed ſingularis virtutis homo.

℣. 17. *Omnis iniquitas, peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem.*

Hoc additur ad declarationem *verſûs præc.*; & ſenſus eſt. *Omnis* injuria, injuſtitia, iniquitas, *peccatum eſt*, quoniam, ùt definit *S. Aug.*, eſt dictum factum vel concupitum contra legem Dei æternam: atque ita injurius eſt Deo quiſquis peccat, quia legem ejus violat cui ex juſtitia tenetur obedire. Et vice verſâ, *omnis* ejuſmodi *iniquitas* ſeu in Deum injuria *peccatum eſt:* & *hoc* verum eſt de iis peccatis quæ extinguunt charitatem, vitam animæ, mortalia ideò dicta; & tamen hæc ipſa alia ſunt ad mortem, alia non ad mortem ùt *ſuprà* diximus. Hoc ipſum ſignificat dicens, & *eſt peccatum ad mortem:* undè relinquitur ſubaudiendum, eſſe etiam quoddam peccatum quod non ſit ad mortem.

℣. 18. *Scimus quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.*

Epiſtolam ſuam Apoſtolus concludit tribus principiis, quæ omni Authoritate ſuâ aſſerit ad conſolandum fideles, quos Idololatris & infidelibus in infinitum præfert. Primum eſt hoc verſu: *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo non peccat.* q. d. Ingens ille fructus quem ex Chriſtianiſmo accipitis meritò vos permovere debet, ut in eo permaneatis; *omnis* enim *qui* per fidei ſacramentum *natus eſt ex Deo* acceptâ gratiâ juſtificationis per quam adoptatus eſt Deo filius, non ſolùm habet remiſſionem præcedentium peccatorum, ſed etiam ſervatur deinceps à peccatis: nam retinens illam gratiam, quâ Dei filius factus eſt, nunquam ullum mortale peccatum admittit, quo dignitatem illam perdat: ut autem eam gratiam conſtanter retineat, in ipſo ſitum eſt, divino auxilio aſſiduè illum præveniente & ſubſequente, quod Deus petentibus non denegat: ita *Continuator Eſtii.* Quibus adjungi meretur ex *Maudnit in analyſi hujus Epiſtolæ*, quòd immunitas illa à peccato mortali, quam hic aſſerit Apoſtolus, non ſit abſoluta, cùm juſtus omnis à juſtitia excidere poſſit & plures excidant; multò minùs hæc ſit immunitas actu ùt aſſerunt prætenſi reformati, cùm tot juſti quemadmodum & ipſe *Petrus* primam juſtitiam perdiderint. Sed quòd ſit immunitas ipſi ſtatui Chriſtianorum propria; reſpiciendo tam ex una parte principia regenerationis quæ ſunt Gratia & Charitas juſtos ad bonum continuò per ſe inclinantes, tum ex altera ſtatum peccati & corruptionis in quo ante converſionem degebant, obcæcatum & malitiis addictum cor:

habentes: quaſi dicat: ſcimus homines, qui in ſtatu paganiſmi niſi ad peccandum valebant, poſtquam jam nati ſunt per baptiſmum ex Deo, non ampliùs eſſe in ſtatu peccati & corruptionis: *ſed generatio Dei*, ſive ùt c. 3. dicitur, *ſemen Dei* nempè ipſa charitas ſeu gratia juſtificans, quæ facit hominem filium Dei adoptivum, *conſervat eum*, *& malignus*, per quem ùt c. 2. & 3. intelligitur diabolus, *non tangit eum* ſic ſcilicet ut conſentiat tentationi: ita *Beda*.

℣. 19. *Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt.*

Secundum principium eſt in hoc verſu quo cauſa notatur utriuſque ſtatûs tantùm inter ſe diverſi. Et dicit: *Scimus* quòd omnes boni Chriſtiani *nati* ſunt *ex Deo*, ideòque tuti à peccato & ab aſtutia & violentia diaboli, quandiu hoc Dei ſemen & hanc filialem adoptionem ſervant. Reliqui omnes homines ſub poteſtate ſunt diaboli; nam *mundum* dixit homines ſpiritu Dei non renovatos; ex *Oecum.* & *Aug.* Nomen *mundi* eodem modo quo hìc ſumi diximus, accipitur *hâc ipsâ epiſtolâ* c. 3. ℣. 1. & 13., & c. 4. ℣. 5., tum ſæpiùs *in Evangelio Joannis* ùt c. 7. ℣. 7., c. 14. ℣. 17. 22. 27. & 30., c. 15. ℣. 18. & 19., c. 16. ℣. 8. 11. 20. 33., & c. 17. ℣. 9. 14. & 25.; ita *Continuator Eſtii.*

℣. 20. *Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus & vita æterna.*

Tertium principium eſt, quòd *Filius Dei venit* in mundum, per aſſumptam humanam naturam, & operatus eſt ſalutem noſtram paſſione & morte ſuâ: *& dedit nobis ſenſum* ſpiritualem fidei, ſapientiæ & intellectûs, *ut cognoſcamus verum Deum*, ſic dictum ad diſ-

ſentientiam falſorum numinum. Videtur hic præcipuè ſignificari Deus Pater, propter illa relativa verba proximè ſequentia. *Et ſimus in vero Filio ejus* ſcilicet per gratiam & charitatem habitualem veluti membra capiti annexa. Congruit hic locus cum verbis Domini *Joan.* c. 17. ℣. 3. Græci legunt, *Et ſimus in vero in Filio ejus*, ſcilicet hæc duo vocabula *vero* & *Filio* commatè ſeparata: in qua lectione ambiguum videri poſſet an illud *vero* ad Patrem vel Filium referatur: rectiùs tamen videtur ad Patrem referri debere; cùm de Filio ſequatur: *Hic eſt verus Deus*. Qui ad Filium referre volunt, dicere debent, Chriſtum *verum Filium* appellari quia eſt filius naturalis non adoptivus. *Hic*, ſcilicet Filius, *eſt verus Deus & vita æterna*. Eſt autem ſua divina vita æterna per eſſentiam, Angelorum verò & hominum cauſaliter; idque bifariàm. Nam & materia eſt vitæ æternæ, quia eſt objectum viſionis beatificæ; & in beatis illam efficit per lumen gloriæ mentem eorum elevando. Eſt verò hominum beatorum cauſa vitæ æternæ Chriſtus homo etiam alio modo, quatenùs ſuâ paſſione & morte eam à Deo Patre promeruit. Eſt etiam vitæ æternæ, quæ eſt in via, Filius Dei & materia & cauſa effectrix ſimul & meritoria. Ita eſt ut cum *hoc verſu* conſonet id quod Dominus dicit *Joan.* 17. ℣. 1. 2. & 3. Apoſtolus autem dum initio hujus verſûs dicit: *Et ſcimus*, agit de ſcientia certitudine fidei acquiſita: ex *Continuat. Eſtii.*

℣. 21. *Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris. Amen.*

Epiſtolam claudit monendo *ut caveant à ſimulacris* ſcilicet idolorum: id eſt, ab omni idolorum cultu. Sunt qui per *ſimulacra* intelli-

gunt ſimulatam hæreticorum pietatem ; vel etiam generaliter totum genus hypocriſeos ; quia ſpeciem ſanctitatis aſſumunt quam non habent. Alii dicunt *idola* hìc appellari opiniones & doctrinas hæreticorum. Quæ duæ ultimæ expoſitiones , ſi non ſunt planè literales & genuinæ ac ab Apoſtolo intentæ (qualis indubiè prima maximè eſt) certè illi proximæ ſunt, & omninò præferendæ illi, in qua per idola intelligitur avaritia, vel illecebræ mundi &c. Additur *Amen*, quo veluti ſigillo quodam epiſtolam ſuam obſignat Apoſtolus in confirmationem omnium quæ proponuntur in hac epiſtola : ex *Continuat. Eſtii.*

B. JOANNIS
EPISTOLA SECUNDA.
ARGUMENTUM.

Gratulatur nobili feminæ Chriſtianæ & filiis ejus, quòd rectam fidem teneant: hortatur ut in ea & in charitate maneant & hæreticos devitent. Per hæreticos autem præcipuè intelligit Baſilidem & ſectatores ejus, impiè tunc docentes, Chriſtum non verum hominem ſed phantaſma fuiſſe. &c.

℣. 1. *Senior Electæ dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes, qui cognoverunt veritatem,*

SEnior *electæ Dominæ* &c., ſubintellige ſalutem dicit vel ſcribit. *Senior* græcè *presbyter* quod nomen hìc fuit retinendum, quia dignitas Eccleſiaſtica ſignificatur, eaque non infirma, ſed Epiſcopalis, imò dignitas Epiſcopi primatis: Nam is fuit Apoſtolus

Joannes per Aſiam, cujus totius fundavit rexitque Eccleſias, inquit *Hieron.*; ſive quòd jam profectâ eſſet ætate, ſive potiùs quòd Epiſcopus eſſet, & Epiſcopi in primitiva Eccleſia *Presbyteri* vocarentur; ex *Oecum.* & *Gaign.* *Electam* nomine & re, quia devota erat, *dominam* vocat, quia nobilis ſive genere ſive opibus. *Qui cognoverunt veritatem*, id eſt, omnes fideles, qui cognoverunt Chriſtum qui eſt veritas & qui alios omnes, quâ parte tales ſunt, in Deo diligunt; ex *Thoma.*

℣. 2. *Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.*

Non ob aliam cauſam vos diligimus quàm *propter veram* Catholicam fidem, *quæ in nobis* perdurat uſque in finem mundi juxta divinas promiſſiones *Iſaïæ* 59., *Matth.* 28., & *Joan.* 14.

℣. 3. *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & à Chriſto Jeſu filio Patris in veritate, & charitate.*

Sic autem conſtructio ordinatur. Senior ergo Electæ dominæ & natis ejus quos ego diligo, &c. ſcribo ſic ſupple: *Sit vobiſcum*; *gratia* culpas delens, *miſericordia* pœnam indulgens, & *pax* Deo reconcilians: vel *gratia* illuminans intellectum contra errores hæreticorum, *miſericordia* purgans affectum, & *pax*, id eſt, mentis tranquillitas, ùt *Rom.* 1. *A Deo Patre* qui totius boni eſt author, *à Jeſu Chriſto* qui totius boni eſt mediator, *in charitate* Dei & proximi, & *veritate* fidei; ita *Thomas.* Rectiùs tamen voces *in veritate & charitate* adjunguntur ei quod proximè præcedit, *Filio Patris*, ut quâdam amplificatione ſignificetur quòd Chriſtus ſit Patri conſubſtantialis. q. d. Et à Jeſu Chriſto Filio Patris veriſſimo & dilectiſſimo, utpotè ejuſdem cum ipſo naturæ: ita *Continuat. Eſtii*

℣. 4. *Gaviſus ſum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus à Patre.*

Præmittit Apoſtolus exhortationi, quam ſtatim inchoat, laudem eorum quòd hactenùs in veritate & charitate Chriſtiana permanſerint. Et quidem hanc ipſam laudem ſpecie congratulationis & gratiarum actionis proponit, dicens: *Gaviſus ſum valdè* gaudio utique ſpirituali quod eſt in Domino, id eſt, de beneficiis Domini cum animo gratias illi pro eis agendi. Quòd ait, *de filiis tuis*, indicare videtur non omnes ejus filios fuiſſe Chriſtianos, & tamen de paucorum illorum converſione ſibi & dominæ illi gratulatur & Deo gratias agit, quòd *ambularent in veritate* fidei vitæ & morum: ex *Occum. Sicut mandatum accepimus* ambulare enim in veritate nobis mandatum dedit Deus *Pater*, tum per legem naturalem, tum per leges ſuas poſitivas quas per Chriſtum promulgavit, *Matth.* c. 5. ℣. 44., & c. 22. ℣. 37., *Joan.* c. 3. ℣. 18., c. 14. ℣. 1. & 23. *Oecumenius* per *Patrem* Chriſtum intelligit quatenùs Pater eſt omnium qui ſibi dati ſunt à Patre.

℣. 5. *Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum novum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.*

Incipit hìc exhortatio: dicit *Rogo*, tum ut efficaciùs moveat dum is rogat cujus exhortari & monere eſt: ùt 2. *Cor.* 5. & *ad Phil.* ℣. 9., tum etiam ut oſtendat ſuam affectionem ad matrem, & ideò monet eam ad benè agendum & ad proficiendum. *Mandatum* autem de charitate eſt vetus ratione ſubſtantiæ, quia ab initio ſcriptum in corde rationis, & in codice legis; ſed *novum* ratione circumſtantiæ, quia

in Evangelio addit novum modum. Lex dicit, *diligite amicos*: Evangelium, *diligite inimicos.* Vel dicitur *novum* ratione efficaciæ; quia ſpiritualiter hominem innovat; ita *Thomas*. Vide quæ hac de re dicta ſunt in 1. *Epiſt. Joan.* c. 2. ℣. 7.

℣. 6. *Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundùm mandata ejus. Hoc eſt enim mandatum, ut quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis:*

Id eſt, in hoc eſſe oſtenditur & apparet *charitas, ut ambulemus* paſſibus morum de bono in melius proficiendo, ut permaneamus in fidei dogmatibus & morum, quæ per Apoſtolos accepimus, ùt *Joan.* c. 5. ℣. 3. & c. 14. ℣. 23.

℣. 7. *Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.*

Hic in particulari refert Apoſtolus à quibus hæreſibus & hæreticis debeant ſibi cavere fideles quibus ſcribit: nempè ab iis *qui negant Jeſum Chriſtum veniſſe in carne*; ii enim ſunt impoſtores, & magni Antichriſti præcurſores, adimentes Chriſto veram humanam naturam. Porrò hæreſis, adversùs quam ſpecialiter fideles hoc loco munit *Joannes*, erat *Baſilidis* & gregalium ipſius ùt dictum eſt in argumento. Quod initio hujus versûs pluraliter dictum fuerat, in fine refert ſingulariter: ſignificans ſe de toto genere iſtius hæreſeos loqui ut magis emphatica ſit oratio.

℣. 8. *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis: ſed ut mercedem plenam accipiatis.*

Confirmat ſuam adhortationem, oſtendendo iis incommoda ipſis eventura ſi non acquieſ-

cant, perdituros nimirùm eos ſalutem & æternam & præſentem. De præſenti *verſu ſeq.*, de æterna *hoc verſu* agit: *Videte*, inquit, *voſmetipſos*, id eſt, Cavete vobis ne ab his ſeductoribus in nefariam Baſilidis hæreſim vel aliam quamcumque incidatis. *Ne perdatis quæ operati eſtis*, id eſt, ne quidquid hactenùs in vera Chriſti fide bonorum operum feciſtis, id omne fiat vobis inutile & inane. *Sed ut mercedem plenam accipiatis*, mercedem utique eorum operum quæ benè operati eſtis. Adjicitur *plenam*, non quia aliqualem equidem accepturi ſint ſi non perſeveraverint; hoc enim Scripturæ repugnat, *Ezech.* c. 18. ℣. 24. item c. 33. ℣. 13. & 18., *Eccleſ.* 9. ℣. 18. & *Jac.* 2. ℣. 10. Sed *plenam* ſeu copioſam & magnam ſcilicet cœleſtem gloriam; quomodo Chriſtus loquitur *Matth.* 5. ℣. 12. Similis eſt locutio *Ruth.* 2. ℣. 12. Ex his autem colligimus ſequentia: 1º Opera bona per ſpiritum Dei facta mercedem apud Deum mereri. 2º Poſſe amitti charitatem, omniaque priora merita fieri inania. 3º Non eſſe abſolutè verum, nullum opus bonum manere immuneratum à Deo, quod & abundè *Gal.* 3. ℣. 4. refutatur. 4º Non eſſe vitioſum ſi juſtus benè operetur intuitu æternæ mercedis, conformiter ad *Conc. Trid. Seſſ.*

℣. 9. *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic patrem & filium habet.*

Senſus eſt; quicumque doctrinam à Chriſto Domino nobiſcum in terris verſante traditam (cujus una pars eſt de veritate utriuſque naturæ in Chriſto) & quam is per Apoſtolos ſuos & ſucceſſores toto orbe prædicari juſſit, ſemel receptam poſteà deſerit, is *Deum non habet*, id eſt, & Deus neque per gratiam adoptionis

ſeſe illi donat & conjungit in hac vita, neque per gloriam ſeſe illi daturus eſt in futura. Contrà autem, *qui permanet in doctrina* Chriſti, *hic & Patrem & Filium habet*: nunc quidem per gratiam juſtificationis & adoptionis; habiturus autem in futuro ſeculo per beatificationem, quæ eſt gratia conſummata. Conſonat hæc ſententia cum illa *Joan.* 14. ℣. 23. & 24.

℣. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis.*

Ex hoc loco excommunicationis facultas intelligitur quando hæretici interdici domo & ſalutatione jubentur; nam ita extra hominum commercia ſunt & communionem. Similiter dicit *Paulus ad Tit.* 3. ℣. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & alteram correptionem devita.* Et *Chriſtus, Matth.* 18. ℣. 17. *Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Non tamen vult Apoſtolus quemlibet non habentem illam doctrinam ſtatim rejiciendum eſſe; ſed pertinacem & ſeductorem, de quo proximè egerat.

℣. 11. *Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis.*

Nam qui eum ſalutat, fit particeps peccatorum ejus: quod autem verbis præcepit, etiam factis monſtravit *Joannes* vitando Cerinthum hæreſiarcham, ex *Iren. l.* 3. *c.* 3. & *Euſeb. hiſt.* 3. *cap.* 22., *Et Ebionem, ex Baron. Tom.* 1. *an.* 74. §. 9.

℣. 12. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & attramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium veſtrum plenum ſit.*

Plura pertinentia ad veſtram inſtructionem; vel de aliis documentis, vel de iſtis diffuſiùs

Spero gratiâ Dei coram loqui vobiſcum & vos mecum, ut pleniùs vos inſtruam atque ita *gaudium veſtrum*, ſpirituale ſcilicet, *plenum ſit.* Habet enim neſcio quid latentis energiæ viva vox, ex *Hieron.*

℣. 13. *Salutant te filii ſororis tuæ Electæ.*

Illa dicebatur *Electa* ſicut & iſta: vel *filii ſororis tuæ Electæ*, id eſt, alterius Eccleſiæ, vel forſan alterius Eccleſiæ metropolitanæ.

B. JOANNIS EPISTOLA TERTIA.

ARGUMENTUM.

Scribit Gaïo, fidei ejus & charitati in fratres congratulans & hortatur ut in utraque conſtanter perſeveret. Diotrephen excuſat, & Demetrium accuſat.

℣. 1. *Senior Gaïo chariſſimo, quem ego diligo in veritate.*

SUbintellige *ſcribo* vel ſalutem dico. *Senior* ætate, moribus, vel ſapientiâ, vel dignitate, quia Presbyter ſeu Epiſcopus, ùt *Epiſtol.* 2. ℣. 1. *Gajus* hic eſt de quo *Rom.* 16. ℣. 23. & 1. *Cor.* 1. ℣. 14. ex *Beda*, fuit & alius *Gajus* diſcipulus *Pauli Act.* 19. & 20. ſed ille vocatur Macedo, hic Derbæus. *Continuator Eſtii* neminem hactenùs aſſignatorum fuiſſe *Gajum* cui hæc epiſtola ſcribitur, credibiliùs eſſe putat ex ℣. 4. *hujus Epiſt.*

℣. 2. *Chariſſime, de omnibus orationem facio proſperè te ingredi, & valere, ſicut proſperè agit anima tua.*

Id eſt, Deum oro de omnibus rebus temporalibus & ſpiritualibus, ut in utriſque te proſperè agere faciat, utriſque valere: continuando tibi ſalutem animæ quam dedit per gratiam & continuando incolumitatem corporis & rerum temporalium affluentiam, *ſicut agit anima tua*, id eſt, ſicut hactenùs eſt proſper rerum tuarum ſtatus.

℣. 3. *Gaviſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perbibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.*

q. d. Hoc tibi gratulor, & mihi fuit gaudio interiori & exteriori, quòd in pauperes Chriſtianos ſoleas eſſe adeò beneficus, ſicut illi ipſi venientes à te nobis retulerunt. *Veritatem* vocat officia charitatis, quia Chriſtianum non facit ſola fides, ſed opera ei adjuncta; inter quæ officia charitatis.

℣. 4. *Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.*

Senſus eſt: majorem nulla ex re lætitiam capio, quàm cùm *audio filios meos in veritate ambulare:* vel majorem mihi gratiam præſtare non poſſunt filii mei, quàm ſi audiam eos *ambulare in veritate* veræ fidei & bonæ operationis; ita *Gaig*. Nam is *in veritate ambulat* ſecundùm Apoſtolum, qui in recta fide & ſincera charitate non ſolùm manet, ſed & roficit: ùt *Epiſt*. 2. ℣. 4.

℣. 5. *Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,*

Fideliter facis, id eſt, rem fideli dignam *facis quidquid operaris in fratres* non ſolùm gentis tuæ, ſed *& peregrinos.*

℣. 6. *Qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ: quos, benefaciens, deduces dignè Deo.*

Per illud, quòd dicitur *Charitati tuæ* nimirùm ipſis operibus tuis declaratæ, confirmatur expoſitio ℣. 3. & 4. data de *veritate. Quos benefaciens deduces dignè Deo.* Senſus & ordo verborum eſt. *Quos* ſi dignè Deo deduxeris, rem bonam feceris & tuâ pietate dignam. Deducere autem *dignè Deo* non ſolùm ſignificat quempiam proficiſcentem honoris causâ aliquò uſque comitari; ſed eſt præthereà ſubminiſtrare ſumptus profectioni neceſſarios. Sicque intelligendùm eſt, ubicumque in Scripturis mentio fit *deductionis. Dignè Deo* ſignificat, ſicut decet & dignum deducere filios Dei ſeu fideles Chriſti, ùt *Rom.* 16. ℣. 2. In his itaque verbis ùti & ℣. 8. & 11. *Joannes Gajum* adhortatur ut pergat eâdem beneficentiâ agere erga indigentes & particulariter peregrinos: ita *Continuat. Eſtii.*

℣. 7. *Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes à Gentibus.*

Pro nomine ejus ſcilicet Dei de quo proximè egerat: id eſt, pro fide & honore & prædicatione nominis ejus *profecti ſunt*, exules à patria ſua, alienati à rebus propriis, *nihil accipientes* à contribulibus ſuis, nedum petentes; non quòd non liceret accipere, ſed ne ſcandalizarentur gentiles, dicentes nullam eſſe charita-

tem inter Chriſtianos. Vel ſenſus eſt : hi quamvis annunciaſſent fidem Chriſti Gentilibus & eſſent jam complures Gentilium eorum prædicatione converſi, nihil tamen ab iis exigere vel accipere voluerunt neceſſariæ ſuſtentationis, ne quod offendiculum darent Evangelio Chriſti : ut 1. *Cor.* 2. ℣. 12., & 2. *Cor.* c. 11. ℣. 7. *& ſeqq.*, & c. 12. ℣. 13. *& ſeqq.* Utraque hæc expoſitio verè probabilis eſt, nec liquet quæ præferenda ſit.

℣. 8. *Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut coöperatores ſimus veritatis.*

Nos ergo debemus ſuſcipere, neceſſaria miniſtrando, ***hujuſmodi*** fratribus ***ut coöperatores ſimus veritatis*** cujus illi ſunt miniſtri eam prædicando, q. d. *Nos*, qui non prædicamus, *debemus* neceſſaria prædicantibus miniſtrare, ut ſic ſimus coöperatores veritatis, & ſocii mercedis (ut *Matth.* 10. ℣. 41.) aureæ ſcilicet coronæ, non tamen aureolæ; ex *Thoma.*

℣. 9. *Scripſiſſem forſitam Eccleſiæ : ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos.*

Videtur eſſe occupatio tacitæ objectionis. Potuiſſet enim mirùm cuiquam videri quòd non ſcribat has peregrinorum commendationes toti Eccleſiæ. Dicit ideò : *Scripſiſſem forſitan*, græcè, *ſcripſi* aliàs Eccleſiæ veſtræ, ſed fruſtrà quoniam *Diotrephes* qui iſtic præeſt, nobis adverſatur. Tria autem ſunt, quæ notat in iſto homine *hoc & ſeq. verſu*, ambitionem, maledicentiam in Apoſtolum, & inhoſpitalitatem in pauperes Chriſti ; idque ſinè peccato detractionis, tum quia erat publicum qualis eſſet; tum quia Gaji interat id moneri; tum ne illi parceret aut ſeſe conformaret : præſertim

ſertim quia inter Judaïzantes fidei & veræ pietati noxius plurimùm erat *Diotrephes*, & fructum prædicationis impediebat ejus authoritas; ex *Beda & Occum.*

℣. 10. *Propter hoc ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant: neque ipſe ſuſcipit fratres: & eos, qui ſuſcipiunt, probibet, & de Eccleſia ejicit.*

Commonebo, ùt & *Judæ* ℣. 5., ſignificat in memoriam reducere: ut ſenſus ſit. *Propter hoc* ſcilicet quod dixi, ſi iſtuc venire contingat, refricabo fidelibus memoriam eorum quæ pravè agit *Diotrephes*, publicè arguendo opera quæ facit: commonefaciam quòd nobis obtrectat & nomini noſtro detrahit: *& quaſi iſta non ſufficiant* quòd mihi detrahit, quòd hoſpitalitatem diſſuadet & *prohibet*, *& de Eccleſia ejicit*, non de conſortio nec participatione fidelium, ſed de loco in quo conveniunt. In quo exemplum eſt injuſtæ excommunicationis; ùt & *Joan.* 9. ℣. 22.; ex *Continuat. Eſtii.*

℣. 11. *Chariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui benefacit, ex Deo eſt: qui malefacit, non vidit Deum.*

q. d. Ne feceris ſecundùm opera iſtius impii, neque ſecundùm doctrinam aut prohibitionem ejus. Quoniam omnia hæc mala ſunt. Rationem ſubjungit: *Qui benè facit* &c. Quòd autem dicit: *Non vidit Deum*, intellige in quantum malum facit, nec viſione fidei formatæ in præſenti, nec ſpei in futuro: ùt 1. *Joan.* 3. ℣. 6. & 10., & c. 4. ℣. 7. & 8.

℣. 12. *Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſa veritate, ſed & nos teſtimonium perbibemus: & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.*

Demetrio ab omnibus, qui eum noverunt, *teſtimonium redditur* de ipſius in pauperes Chriſtianos charitate ac miſericordiâ; *& ab ipſa veritate*, id eſt, per ipſam rei evidentiam, vel à Chriſto Domino qui eſt via veritas & vita: *Joan.* 14. *Sed & nos Apoſtoli teſtimonium perhibemus* tamquam ipſimet experti ejus beneficentiam; idque facimus ad commendandam hoſpitalitatem. *Et noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.* Quod addit ut efficaciùs moveat Gajum ad Demetrii imitationem.

℣. 13. *Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum, & calamum ſcribere tibi.*

℣. 14. *Spero autem protinùs te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.*

Concludit hanc epiſtolam ùt præcedentem, quam conſule pro explicatione. Addit: *Pax tibi*, ſcilicet tranquillitas mentis de ſalute æterna inchoanda in hac & perficienda in futura vita. Deinde ſalutationibus epiſtolam abſolvit. Quæ ſalutationes non ſunt dumtaxat civiles quibus corporis rerumque extranearum proſperum ſtatum alii aliis precantur; ſed ſunt Chriſtianæ quibus Chriſtiani ſibi mutuò proſperum animæ ſtatum, id eſt, ſtatum gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro ſeculo apprecantur.

BEATI JUDÆ
APOSTOLI
EPISTOLA CATHOLICA.

ARGUMENTUM.

JUDAS Thadæus ſcribit non genti, nec perſonæ ſpecialiter, ſed omnibus fidelibus quos hortatur ad fidei perſeverantiam & ſtudium bonorum operum, & ut caveant ab hæreticis.

℣. 1. *Judas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, his, qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis.*

JUdas is eſt, quem ad differentiam Iſcariotæ *Mathæus* & *Marcus Thadæum* appellant, *frater Jacobi* minōris naturâ, fide, doctrinâ & vitâ; ſcribit hanc Epiſtolam *his qui ſunt in Deo Patre dilectis &c.*, græcè, *iis qui in Deo Patre ſanctificati ſunt & Jeſu Chriſto ſervati, vocatis.* Senſus igitur eſt: ſcribit hanc epiſtolam *vocatis*, id eſt, fidelibus qui in Deo Patre, tamquam omnis ſanctitatis authore, ſanctificati ſunt, & à Chriſto Jeſu, qui eos redemit, ſervati & cuſtoditi ſunt, ne à deceptoribus ſeducti pereant: ut ipſe Filius teſtatur *Joan.* c. 6. ℣. 39., c. 10. ℣. 28. & 29. & c. 17. ℣. 12.

℣. 2. *Miſericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.*

Sancta & verè apoſtolica ſalutatio. *Adimpleatur*, græcè, *multiplicetur*. *Miſericordiæ* nomen hoc loco videtur idem valere quod apud *Paulum* & *Petrum* in ſalutationibus nomen *gratiæ*, quæ propterea rectè vocatur *miſericordia*, quia miſeris & indignis datur. De *gratia* & *pace* vide quæ dicta ſunt in ſalutationibus aliarum epiſtolarum. Quibus addit *charitatem* quæ miſericordiæ ſeu *gratiæ* effectus eſt & cauſa *pacis*.

℣. 3. *Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.*

Senſus eſt: Cùm vehementi deſiderio tenerer *ſcribendi ad vos de communi veſtra ſalute*, neceſſarium duxi vobis ſcribere: vel meliùs, non ſolùm mihi fuit ſummum ſtudium ſcribendi ad vos de communi ſalute, verùm etiam neceſſitas ſcribendi fuit, nempe ut vos adhorter ad certandum ac depugnandum pro *fide ſemel* ſanctis, id eſt, Eccleſiæ *traditæ*; ideòque nullo tempore mutandæ: quod faciebant *Simoniani*. Simul ſubindicat Apoſtolus, nihil fidei addi poſſe, quia nimirùm tota ſemel tradita ſit, inſtar depoſiti ſervanda: Hinc illud *Pauli ad Timotheum: Depoſitum cuſtodi.*

℣. 4. *Subintroïerunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.*

Hâc narratione jam declarat neceſſitatem, de

qua *ſuprà*, quæ ipſum ad ſcribendum impulit. *Subintroïerunt enim quidam homines*, ſcilicet hæretici, qui prætextu divinæ gratiæ prædicatæ & libertatis Evangelicæ omnem permittebant luxuriam, impenſiſſimè ipſi vacantes; quales fuerunt Simoniani, Nicolaïtæ, Valentiniani & Marcioniſtæ, ex *græcis ſcholiis & Didymo*. *Qui olim præſcripti ſunt*, ſeu, priùs vel antè ſcripti: Idem enim verbum græcum *hoc ſenſu* legitur *Rom.* 15. ℣. 4. & *Gal.* 3. ℣. 1. Dicuntur ergo *præſcripti* quia de iis aliquid prædictum ſit in Scripturis, utique V. Teſtamenti: & ſenſus eſt. De quibus olim in Scripturis ſacris prænuntiatum eſt, quòd deventuri eſſent *in hoc judicium*, id eſt, in hanc damnationem de qua ſtatim locuturi ſumus. Poteſt etiam per *hoc judicium* intelligi juſta eorum derelictio quâ permiſſi fuerunt fieri errorum tam impiorum magiſtri: & finaliter ad judicium graviſſimum æternæ damnationis jam deſtinati ſunt: ùt 1. *Tim.* 1. ℣. 19., & 2. *Theſſ.* 2. ℣. 10. Impietas autem eorum exprimitur his verbis: *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam*, græcè, *laſciviam*: id eſt, *Dei gratiâ*, quæ non ſtatim in peccantes animadvertit ùt quondam lex Moſaïca, abutentes ad ſuas luxurias impunè, ùt putant, perpetrandas; ex *Gaig.*: vel qui Evangelium gratiæ Dei noſtri per Chriſtum, quo nimirùm annuntiata eſt nobis libertas à lege, peccatis & diabolo, vertunt in occaſionem omnis laſciviæ, tanquam libertas Evangèlica ſit licentia quidquid libitum eſt agendi. Quales erant hæretici ſuprà nominati: tales ſunt & hodiè qui legibus Eccleſiæ ſepſos quantùm in ipſis eſt eximunt, & liberiùs carni ſerviunt. Adversùs quam peſtem Petrus agit 1. *Ep.* 2. ℣. 16., & 2. *Ep.* 2. ℣. 19., & *Paulus ad Gal.* 5. ℣. 13, ex *Eſtio* qui notat ultima verba,

Et ſolum Dominatorem &c., dici in eoſdem hæreticos, quos conſtat ex *Irenæo & Epiph.* multa fabuloſa de Deo confinxiſſe, plures pro uno Deos mundi gubernatores introducentes: quod erat *unum Dominatorem Deum negare*. Jeſum quoque dicebant nec verè natum eſſe nec paſſum, nec reſurrexiſſe, nec Chriſtum eſſe &c. quod erat *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negare*: ita *Eſtius ex Sasboldo*.

℣. 5. *Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

Id eſt, *volo vos* commonefacere, & in memoriam vobis revocare hæc tria exempla vindictæ divinæ in homines incredulos, ſuperbos, & laſciviâ corruptos; ut oſtendat non evaſuros ſeverum Dei judicium ejuſmodi exemplis præfiguratum eos qui falsâ impiâ & impurâ ſuâ doctrinâ fidelium animos pervertunt. Vos, inquit, commonefacio quòd *Jeſus*, græcè, *Dominus* poſteaquam populum Iſraëliticum ex Ægypto liberaverat & ſalvum eduxerat, deindè eos, qui Deo fuerint increduli, perdidit; *Exod.* 12. 13. 14., *Num.* 14. 26. Quo reſpicit & *Paulus* 1. *Cor.* 10. ℣. 5. & *ad Heb.* 3. ℣. 17. Intelligitur autem *Jeſus* filius Nave, ex *Hieron.*; vel meliùs ùt patet ex græco, *Jeſus* Chriſtus qui hæc omnia fecit non ùt homo, ſed ùt Deus, Dei Filius, repræſentatus autem per Angelum qui populum Iſraëliticum ex Ægypto per mare rubrum duxit in deſertum, ac tandem introduxit in terram promiſſam. Per quem etiam Deus exercuit punitionem incredulorum; *Exod.* 14. 23. Portabat autem ille Angelus nomen Domini, tetragrammaton, *Exod.* 13., 20.; ita *Didymus* & *Eſtius*.

℣. 6. *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.*

Angelos verò qui non ſervaverunt ſuum principatum, id eſt, amiſerunt Angelicæ dignitatis honorem, ex *Oecum.*; vel *non ſervaverunt* ſuam originem, id eſt, exciderunt ac privarunt ſe dignitate ac felicitate in qua fuerunt creati; donum illud gratuitum primæ conditionis non retinuerunt, ſed cœleſte *Domicilium ſuum* ſeu habitationem, aut Deum in quo habitabant, deſeruerunt, ita *Gaig. Magnum diem* vocat diem ſeu tempus univerſalis judicii, ut ſit ſenſus; Dominus Jeſus Angelos deſertores, ſimul atque peccarunt, è cœlo præcipitatos detruſit in locum caliginoſum, id eſt, in infernum; in quo velut vinculis quibuſdam, iiſque perpetuis, traditos & aſtrictos ſervavit ac ſervat & detinet dum ſibi ad judicium illud univerſale exhibeantur, coram toto mundo ſententiam ſuæ damnationis accepturi. Quidam per *caliginem* intelligunt aërem caliginoſum in quem velut in carcerem dejecti ſunt dæmones uſque ad illud judicium, ùt *Clem. Alex.*, & *Beda*. Sed quia *Petrus* 2. *Epiſt.* c. 2. idem exemplum allegans *tartarum* vocat locum in quem ſunt detruſi, idcircò probabiliùs arbitramur infernum ſignificari: quamquam utrumque certo ſenſu verum ſit. Vide commentarium in dictum *Petri* locum: ex *Eſtio*.

℣. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.*

Hoc tertium exemplum eſt, ùt 2. *Pet.* 2.,

quo ſignificat civitates Sodomæ & Gomorrhæ vicinas ſimilia cum illis flagitia commiſiſſe, ideòque eidem pœnæ fuiſſe involutas. Per *carnem alteram* intelligit maſculam, quia quòd ad generationem attinet, duo mares una caro eſſe non poſſunt; ex *Oecum. Ignem æternum* interpretantur illarum civitatum incendium, quòd pœna illa ſit duratura uſque in finem mundi, vel quòd typus fuerit *ignis æterni* impiis præparati, ita *Cajet.*

✠. 8. *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant.*

Cohæret prima pars hujus versûs cum ſuperiore: q. d. Sicut illi exfornicati ſunt & poſt carnem alteram abierunt; *ſimiliter & hi carnem maculant:* ac proindè ſicut illi igne cælitùs emiſſo puniti ſunt, ſimiliter hi igne æterno punientur: cùm ignis ille exemplum & figura fuit ignis æterni. Porrò Græca ſic habent: *ſimiliter ſanè & hi ſomniantes*, ſive *deluſi in ſomniis carnem quidem polluunt:* in quibus Apoſtolum alludere putant ad illuſiones & pollutiones nocturnas quæ carnem maculant, ex *Gaign.*; vel ad coïtum incompletum cum mulieribus, eoque non nominando, Borboritarum; quem *Oecumenius* refert ex *Epiph.*, quod impurum facinus propter imperfectionem dicit appellari inſomnium: quemadmodùm imperfecta ſunt quæ in ſomniis aguntur. *Clemens ſomniantes* interpretatur eos qui ſomniant imaginatione ſuâ libidines & reprobas cupiditates: tamquam dicat Apoſtolus. Non aliud ſomniant quàm ſpurcas libidines, totique ſunt in illis: quem ſenſum genuinum eſſe patet ex collatione illius cum 2. *Pet.* 2. ✠. 13. & 14. *Dominationem autem ſpernunt:* non comprehenditur hoc ſub

adverbio *ſimiliter*; ſed adjungitur ùt diverſum: q. d. Nec illud tantùm faciunt quod Sodomitæ, ſed prætereà *Dominationem ſpernunt*, quæ verba explicata ſunt 2. *Pet.* 2. ℣. 10.; & agitur de Dominatione Dei ſuprema quam Hæretici tunc temporis commentitiis ſuis fabulis in contemptum adducere nitebantur. *Majeſtatem autem blaſphemant.* Quæ verba etiam *ibidem* expoſita ſunt de cœleſtibus virtutibus, id-eſt, Angelis Dei miniſtris de quibus ad eorum contumeliam multa abſurda & indigna veteres hæretici confinxerunt, ùt inter alios refert *Theod. l.* 1. *fab. hæret.*, ita etiam explicat *Clemens Alex.* in hunc locum: hæcque expoſitio multùm confirmatur ex eo quod ſequitur de *Michaële Archangelo* nolente conviciari Diabolo: nec non ex eo quod ſequitur: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant*: ex *Eſtio*.

℣. 9. *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit: imperet tibi Dominus.*

Enormem audaciam & improbitatem eorum, qui glorias blaſphemabant, arguit ex comparatione ejus quod fecit *Michaël Archangelus*: q. d. Non verentur hæretici nec Angelos, neque Deum, neque homines authoritate ac dignitate valentes blaſphemare, *cùm* interim *Michaël Archangelus* diabolum blaſphemiâ & conviciis dignum, ſecum de Moyſi corpore altercantem, *non ſit auſus blaſphemare*, *ſed* tantùm illi *dixit: imperet tibi Deus*, ſive increpet te Deus, ex *Hieron. contr Rufin.* Quidem hanc hiſtoriam depromptam putant ex libro Apocrypho cui titulus *aſſumptio Moyſi*; nec idcircò periclitatur authoritas hujus Epiſtolæ.

Nam ùt in hæreticorum libris non omnia falſa ſunt, ita nec in apocryphis: & Apoſtolus divino ſpiritu præditus haud dubiè potuit diſcernere inter ejuſdem libri vera & falſa, ex *Eſtio*: vel probabiliùs eſt, *Judam* hæc habuiſſe ex traditione Majorum non ſcripta. Sunt qui *Moyſi corpus* plebem Judaïcam interpretantur, ſicut Eccleſia Gentium corpus Chriſti dicitur, ita *Beda*. Si de vero Moyſi corpore altercatum fuiſſe intelligatur, intelligendum eſt quòd corpus Moyſi ſuſtulerit Angelus, ne illud mortuum adorarent poſteà Iſraëlitæ proni ad idololatriam: diabolum autem altercatum cum eo ut in terris maneret; *Deut. ult.* ex *Grig.* ;. vel quòd Angelus ſic ſepelierit ut incognitum hominibus maneret ejus ſepulchrum; ex *Aug. l.* 26. *contra Fauſtum. c.* 3., & *ſup. Joan. tract. ult.* Conferendus eſt hic locus cum eo qui eſt apud *Petrum* 2. *Ep.* 2. ℣. 11.

℣. 10. *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.*

Hic locus iterùm conferendus eſt cum illo *Petri* 2. c. 2. ℣. 12.; & connectitur cum *verſu præc.* hoc modo: Michaël Archangelus non fuit auſus maledicere Diabolo: At iſti nequam homunciones, paſſim ea quæ non noverunt, maledictis inſectantur, etiam Majeſtates longè ſupra ipſos poſitas: undè hic eſt ſenſus. Hi autem de Deo, Angelis, & paſſim de ſuperioribus, & etiam de dogmatibus, quæ non noverunt, blaſphemos ſermones contexunt; quæ verò *naturaliter* ſolis ſenſibus ac ſi eſſent *animalia* rationis expertia cognoſcunt, ùt ea maximè quæ guſtu & tactu percipiunt, in iis per comeſſationes & ebrietates & libidines *corrumpuntur*; ita *Epiph. in hæreſi Gnoſtic.*

℣. 11. *Væ illis, qui in via Caïn abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.*

Rursùs interitum illis ſeductoribus denuntiat, adductis ex antiquitate exemplis *Caïn*, *Balaam* & *Core*. *Væ*, inquit, iis *qui* iter *Caïn* ſecuti ſunt, dum præ invidiâ fratres interimunt, ſive corporaliter ſive pravis doctrinis ſpiritualiter; & avaritiâ decepti exemplo *Balaam*, qui mercede conductus voluit maledicere populo Dei, ſeſe effundunt in omne facinus: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas. 1. *Timoth.* 6. Notari poteſt hìc contra Simonianos agi quorum autor à *B. Petro Act.* 8. audivit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Sequitur, *Et in contradictione Core perierunt*; id eſt, & ùt illos ducentos & quinquaginta, quorum princeps erat *Core*, conſumpſit ignis egreſſus à Domino; ſic & iſtos murmuratores & querulosſos & ambitionis ſtudio factioſos involvet ignis æternus; ex *Gaig.* & *Eſtio* qui notat, multos decipi dum putant *Core* hiatu Terræ periiſſe, quomodo perierunt *Datham* & *Abiron*. Verùm *Num.* 16. & *Deut.* 11. nec non *Pſal.* 105. magis ſignificatur, ſolos Dathan & Abiron cum ſuis hiatu terræ fuiſſe abſorptos; *Core* verò cum ſuis levitis Sacerdotium uſurpantem atque incenſum offerentem incendio periiſſe: quod & ſentit *Janſenius ſuper Eccleſ.* c. 45.

℣. 12. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſinè timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſinè aqua, quæ ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ,*

Pergit deſcribere mores corruptiſſimos illorum, qui Dei gratiam transferebant in luxuriam:

In epulis ſuis, græcè, in charitatibus veſtris, ſive ùt legit *Aug.*, in dilectionibus veſtris, id eſt, *in Agapis veſtris*, græcâ voce retenta. Dicit ergo, ſeductores illos *agapis* fidelium ſeſe miſcentes eſſe eorum maculas; quoniam hæc convivia, ad fovendam charitatem inſtituta, commacularent ſuâ ſpurcitie. *Maculas* eos etiam nominavit *Petrus* 2. *Ep.* 2. ℣. 13. *Convivantes ſinè timore*, id eſt, unà vobiſcum convivantur & epulantur; non more Sanctorum quales illi de quibus *Tobiæ* 9. ℣. 12.; ſed abjecto Dei timore, licenter atque ſecurè vacantes voluptati ventris & carnis. *Semetipſos paſcentes*, non pauperes nequidem verbo & doctrina: quaſi dicat Apoſtolus. Cùm profiteantur ſe doctores, ipſos auditores ſuos non paſcunt, quinimò occidunt venenoſo pabulo; dum interim ſeipſos carnaliter ac delicatè paſcunt impenſis quas ab auditoribus accipiunt & extorquent: quomodo & faciebant illi contra quos *Paulus* 2. *ad Cor.* 11. ℣. 20., ſic & apud *Ezech.* c. 34. ℣. 2. Jam à ſimilitudinibus illos deſcribit, & quidem eos dicit, *Nubes ſinè aqua* &c. apud *Petrum* dicuntur *Fontes ſinè aqua*: id eſt, Nubes & fontes leves ac ſteriles quia pluviam promittunt veræ ac ſalutaris doctrinæ, nec tamen preſtant: ſic doctrina cum aqua & pluvia comparatur *Deut.* 32. ℣. 2. item *Joan.* 4. ℣. 13. Addit Apoſtolus, *quæ à ventis circumaguntur*; quòd illi more nubium, quæ procellis agitantur, inconſtantes ſint in ſuis dogmatibus; ita & *Epheſ.* 4. ℣. 14. *Arbores autumnales* ſic dictæ quòd fructus in autumno adferant ſed ad maturitatem non perducant: unde quidam vertit: *Arbores frugiperdæ*. *Infructuoſas* quia nullum verum ac ſalutarem fructum ferunt. *Bis mortuas* quia per baptiſmum à morte peccati ſemel reſuſcitati, in

eamdem mortem per apoſtaſiam relapſi ſunt. *Eradicatas* ſeu exciſas ſcilicet ab Eccleſia & vera fide, & brevì à mortali vita in ignem æternum mittendas. Ceterùm meritò in his obſervatur gradatio; quia 1° dixit Apoſtolus, eos fructum inutilem. 2° nullum ferre. 3° bis mortuos eſſe. 4° ad extremam eradicari mittendos in ignem; ex *Eſtio*.

℣. 13. *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

Tria notat in falſis magiſtris; quòd inſtar undarum maris perpetuò fluctuant in ſuis doctrinis, quòd turbis ac diſſidiis omnia replent, & quòd ſuas produnt ac deſpumant ſordes & turpitudines. Similis eſt comparatio *Iſaïæ* c. 57. ℣. 20. *Sidera errantia* vocat quia ſtellæ, id eſt, lumina Eccleſiæ videri volunt, ſed ſtellæ ſunt erraticæ fundamento veritatis, vel fidei non fixæ, *quibus* Hæreſiarchis *procella tenebrarum*, id eſt, magnitudo pœnarum infernalium *conſervata eſt in æternum*, quoniam pro lumine fundunt tenebras, ideò manet eos caligo tenebrarum; ita *Eſtius*.

℣. 14. *Prophetavit autem de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis.*

Prophetavit autem de his, græcè, ſinè præpoſitione, *Prophetavit autem his*: ut ſenſus ſit; ipſum etiam *Enoch* antiquiſſimum, ùt qui vixerit ante diluvium & *ſeptimus* filit *ab Adam* primo parente, ſpiritu prophetico prædixiſſe *his* ſeductoribus ſuum judicium atque exitium, verbis proximè præcedentibus ſignificatum: vel juxta noſtram lectionem ſenſus eſt; *Enoch* prædixiſſe de *his* ſeductoribus qualejudicium

atque exitium eſſent ſubituri. *Dicens: ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis. Venit* pro futuro *veniet* more prophetico; eſtque ſermo de ſecundo Chriſti adventu. *In ſanctis*, id eſt, *cum ſanctis millibus*, græcè, *myriadibus. Myrias* autem propriè eſt numerus decem millium. Hæ autem myriades beatorum Angelorum ſunt, quibus & alibi Scriptura numerum adſcribit valdè magnum: ùt *Job.* 25., *Dan.* 7., *Matth.* 26., & *Heb.* 12. *Bence*, author hujus Operis, Angelis hìc adjungit homines ſanctos obviàm Domino ituros in aëra ùt dicitur 1. *Theſſ.* 4.; verùm videtur rectiùs cum *Eſtio* ſolos Angelos intelligere juxta quod in Evangelio legitur, Dominum venturum cum Angelis ſanctis, *cum virtute multa & poteſtate*, ùt *Matth.* 24. ℣. 30., *Marc.* c. 13. ℣. 26. & 27., & c. 8. ℣. 38., item *Luc.* 21. ℣. 27. Homines enim ſancti non cum Domino venturi ſunt, ſed ad ejus adventum reſuſcitandi ſunt. &c. Quæritur undè *B. Judas* hoc teſtimonium deprompſerit. Multorum ſententia eſt, ex Apocrypho, qui liber *Enoch* dicitur, deſumptum eſſe: ſic *Hier. in Catal.*, & *in Comm. Ep. ad Tit.* 1., item *Aug. l.* 15. *de Civ. Dei c.* 23., & *l.* 18. *c.* 38., & *Beda*: quos plerique interpretes ſequuntur. Potuit autem hæc prophetia à diluvio generali fuiſſe conſervata per Noë in arca, ùt dicit *Tertul. l. de habit. mul. c.* 3. Addo, ait *Eſtius*, potuiſſe lapidi inſculptam, ùt perenne monumentum, conſervari. Nec facit quòd ex libro apocrypho ſit deſumpta; quia in apocryphis non omnia ſunt apocrypha, potuitque Apoſtolus divino ſpiritu decernere inter ejuſdem libri vera & falſa, divina & humana: ita *Eſtius.*

℣. 15. *Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra eum peccatores impii.*

Ut faciat *judicium* condemnationis *contra omnes* malos, & ut *arguat* vel diſceptando cum illis, dicendo: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, Matth.* 25. & *Joël.* 3., vel meliùs convincendo impios, etiam illos qui priùs latebant, *de omnibus operibus* ſive occultis ſive manifeſtis, ſive commiſſione ſive omiſſione, ſive factis ſive dictis, quæ durè, contumelioſè, irreverenter adversùs Chriſtum locuti ſunt. Dicit autem, *peccatores impii*, quia præcipuè hìc agit contra impios illos adversùs ipſum Chriſtum Dominum contumelioſos, qui multò graviùs certò puniendi ſunt.

℣. 16. *Hi ſunt murmuratores querùloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtûs causâ.*

Redit ad depingendos ſeductores illos à moribus & pravis ſtudiis. *Hi ſunt murmuratores* animo quidem & facto etiam adversùs Deum, licèt verbis aliter ſubdolè dicant; quia maximè Dei cultores haberi volunt: facto autem & verbo contra Eccleſiarum præpoſitos, quorum gubernationi paſſim apud fideles detrahunt. *Querulosi*, id eſt, moroſi ac difficiles. *Secundùm deſideria ſua ambulantes*, carnalia ſcilicet, per quæ de peccato in peccatum ruunt ùt inſinuatur ℣. 4. & *Petrus* de iis dicit 2. *epiſt.* c. 2. *Et os eorum loquitur ſuperbiam*, vel ùt in melioribus codicibus legitur *ſuperba* ſeu verba tumentia & magnifica; ùt *Pſal.* 16. ℣. 10.

& 2. *Pet.* c. 2. *Mirantes perſonas*, id eſt, fictâ admiratione laudantes homines præſertim potentiores, idque *quæſtûs* ſeu utilitatis *causâ* non publicæ ſed ſuæ atque privatæ, ùt jam ſuprà ℣. 11. Conſonat hoc cum *Iſaïa* c. 3. ℣. 12., *Lev.* 19. ℣. 15.; ex *Eſtio.*

℣. 17. *Vos autem charisſimi memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Hortâtur fideles ut memores monitorum Apoſtolicorum ſibi caveant ab iis quorum mores deſcripſit. Dicit, *prædicta ſunt ab Apoſtolis*, quod non ſolùm ſignificat quæ antè dicta ſunt: ſed quæ propheticè de rebus futuris ab eis dicta ſunt. Nam prædictionem de futuris etiam hìc ſignificari, manifeſtè declarant ea quæ ſequuntur. Eſt igitur exhortatio ſimilis ùt 2. *Pet. initio capitis.* 3. *Judas* autem hoc loco loquitur quaſi ipſe non foret Apoſtolus, & in fronte quidem epiſtolæ non ſe Apoſtolum ſed *ſervum Jeſu Chriſti* nominavit, ſcilicet modeſtiæ causâ, ùt & fecit *Jacobus*: ex *Eſtio.*

℣. 18. *Qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus.*

Qui, ſcilicet Apoſtoli, *dicebant* &c. ùt 2. *Pet.* 2. & 3. *Venient* propriâ uſurpatione, non Dei miſſione *illuſores*, veritatis per doctrinam erroris; quos tali ſigno poteſtis cognoſcere, quòd *ſecundùm deſideria ſua ambulent in impietatibus*: ùt ℣. 16. Cognoſcuntur igitur quòd guloſi ſint & avari, luxurioſi &c.

℣. 19. *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes.*

Rursùs alias adjungit notas. In græco non

additur *ſemetipſos*, ſubintelligi tamen poteſt. Eſt enim hæreticorum proprium primò ſemetipſos ſegregare à communione Eccleſiæ & fidei, ac ſeorſum conventus agere; deindè fratres fideles ſeducendo ab eadem communione ſubſtrahere & ad ſua conciliabula adducere. *Animales*, id eſt *hoc loco*, ſectantes eas cupiditates quæ ſunt ſecundùm animam ſenſitivam, ſeu qui ſenſibus ac ſenſuum voluptatibus obſequuntur. Vox autem *Animalis* alio adhuc modo in Scriptura ſumitur: ùt videre eſt, 1. *Cor*. 2. ℣. 14., & in *Eſtio* ibidem. *Spiritum* ſcilicet divinum *non habentes*, ideòque verè animales atque carnales: nam ubi ſpiritus adversùs carnem non concupiſcit, reliquum eſt ut ſenſus & caro dominentur: ex *Eſtio*.

℣. 20. *Vos autem chariſſimi ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes,*

Hortatur ut *ſanctiſſimæ fidei*, quam ab Apoſtolis acceperant, *ſeipſos ſuperædificent*, id eſt, ut fidem hanc pro fundamento retinentes ceteras ſuas actiones illi ſuperſtruant, atque ita magìs magìſque indies in fide omnibuſque virtutibus proficiant. *In ſpiritu ſancto*, id eſt, per Spiritum Sanctum *orantes*, quo ſpiritu petunt quæ & quomodo petenda ſunt: ùt *Rom*. 8. ℣. 26.; ex *Eſtio*.

℣. 21. *Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.*

Servate voſmetipſos & continete *in dilectione Dei*, ut vitam æternam habeatis: ex *Gaig*.

℣. 22. Et hos quidem arguite judicatos:
℣. 23. Illos verò ſalvate, de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.

Docet qualiter fideles erga fratres ab impoſtoribus ſeductos gerere ſe debeant: & quidem juxta lectionem vulgatæ aſſignat tres modos diverſos agendi cum illis pro diverſa illorum diſpoſitione. Sunt enim qui manifeſtâ ratione adhuc convinci & ab errore reduci poſſunt, quos præcipit ut rationibus, verborumque aptis diſceptationibus conentur de errore ſuo convictos ad Eccleſiam reducere: ferè ùt Paulus Epiſcopo præcipit *Tit.* I. ℣. 9. Ubi nota verbum *judicatos*, græcè, διακρινόμενοι explicari per *verborum certamine convictos*: quam verbi græci rectam ſignificationem eſſe dicit *Eſtius*, tam *hìc* quàm *ſuprà* ℣. 9. & ad illud *Rom.* 14. *Non in diſceptationibus cogitationum.* Sunt & inter fideles illos ſeductos qui voluptatibus jam in tantum immerſi ſunt ut non acquieſcant rationi, quos vult, ut quaſi vi de igne æterno rapiant atque ita ſalvent; hoc eſt, ut illos ſeveri judicii divini incuſſo terrore (de quo judicio legantur *ſuperiora* & quæ *Petrus* ſcribit) *ſalvos faciant* tanquam *ex ignis* incendio *rapientes*. Cùm enim hujuſmodi terrore ſpiritum doloris ac pœnitentiæ concipiunt, ſervari dicuntur velut ex incendio rapti, id eſt, ex periculo ignis æterni. Alii tandem jam in Apoſtaſia & errore pœnitùs obſtinati ſunt, quibus conſulit ut miſericordiam exhibeant in ſpiritu lenitatis, eos ſuſcipientes cum timore ſancto; ne & ipſis fidelibus quid tale contingat. In græco autem lectio non parùm differt à vulgata, ſic enim habet: *Et hos quidem*

miſeremini deſceptantes : hos autem in timore ſalvate, ex igne rapientes. Itaque in græco ſententia tantùm bimembris eſt, cujus prima pars reſpicit illos de quibus, malo exemplo ſeductis, adhuc ſpes affulget fore ut rationibus ad ſaniorem mentem revocentur. Secunda pars illos qui terrore judicii divini ſalvandi ſunt ex periculo ſupplicii æterni. Addit Apoſtolus: *Odientes & eam quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.* Hæc *maculatæ tunicæ* metaphora variè exponitur: quæ expoſitiones in eo conveniunt, quòd Apoſtolus hortetur & admoneat, ut fideles odio habeant & omni modo ſibi caveant ab impuro & turpi illorum hæreticorum, ſcilicet Gnoſticorum &c. vivendi more & converſatione; ita ut fugere debeant quidquid aliquam cum illis communicationem habet; ferè quomodo non ſolùm peſte laborantes, ſed & veſtes eorum vitamus & abhorremus: ita *Eſtius*, *Mauduit* &c.

℣. 24. *Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſinè peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Concluſio eſt epiſtolæ, quâ ſimul oſtendit à quo vita ſancta & immaculata, ad quam hortatus eſt, ejuſdemque perſeverantia ſit expectanda; ſcilicet ab *eo qui potens eſt* id totum præſtare. Quo verbo potentiam & efficaciam divinæ gratiæ declarat: ùt *Paulus Rom. ult.* ℣. 25. *Vos conſervare ſinè peccato*, græcè, *à peccato immunes*: quod donum perſeverantiæ finalis ſeu uſque ad finem vitæ in bono ſignificat. *Et conſtituere ante conſpectum Gloriæ ſuæ &c.* Quo ſignificatur remuneratio juſtorum, quando Deus electos ſuos ſtatuet *in con-*

ſpectu gloriæ ſuæ, id eſt, viſione & participatione ſuæ gloriæ donabit ac beatificabit. Addit *immaculatos*, græcè, *irreprehenſibiles* : quia nihil coinquinatum illuc intrabit, ùt dicitur *Apoc.* 21. Item addit: *in* ſeu *cum exultatione*, quia perpetuum gaudium excipiet eos qui in mundo triſtia multa paſſi ſunt pro Chriſto juxta *Matth.* 5. ℣. 5. & 10. In græco non legitur, *In adventu Domini noſtri* &c. Abeſt quoque in vetuſtis aliquibus codicibus. Adjecit, ait *Eſtius*, fortè quiſpiam ad deſignandum tempus quo jam dicta futura ſunt.

℣. 25. *Soli Deo Salvatori noſtro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſeculum, & nunc, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Salvatoris nomen toti Trinitati convenit; quamvis ratione Incarnationis, Paſſionis &c. Filio ſpecialiter competat. Iterùm in græcis deſunt hæc, *Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*; tametſi conſtanter in latinis reperiantur; & indicant meritum Chriſti hominis. At verò, cùm toti Trinitati ea, quæ ſequuntur, per Chriſti meritum non competant, ſatìs probabile eſt, hanc partem ab Apoſtolo non fuiſſe ſcriptam. Et ſi quis benè perpendat, inveniet totum hoc Chriſto adſcribi; ut hinc habeamus apertum Divinitatis ejus teſtimonium. *Gloria & magnificentia* &c. Harum vocum congerie ſignificat Apoſtolus, Chriſto Deo competere ſupremam ac ſempiternam in omnes & in omnia poteſtatem; ipſumque eo nomine ab omnibus honorandum & glorificandum in omnem æternitatem: ita *Eſtius*.

FINIS.

INDEX
CAPITUM
Alterius partis Tomi Secundi.

AD HEBRÆOS.

CAP. VII. *Docet Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, cujus Sacerdotium æternum futurum ſit, cùm ſemper vivat ad interpellandum pro nobis.* 529

CAP. VIII. *Chriſtum eſſe verum Pontificem docet, ac novi Teſtamenti mediatorem.* 546

CAP. IX. *Veteris Sacerdotii ritus cum novo confert, oſtendens vetus ſanctificare non poſſe: & quantum à veteri Pontifice Chriſtus differat.* 559

CAP. X. *Oſtendit legem cum omnibus ſuis ſacrificiis juſtificandi impotentem fuiſſe: hortatur ad ſpem firmam & patientiam.* 585

CAP. XI. *Declarat vim & efficaciam fidei ex antiquorum exemplo qui per fidem multa operati ſunt.* 617

CAP. XII. *Hortatur eos exemplo Chriſti & veterum Juſtorum ad fortiter ferendas afflictiones, quòd illæ ſint argumenta divinæ charitatis: deinde ad pacem & concordiam invitat.* 645

CAP. XIII. *Hortatur ad Hoſpitalitatem, caſtitatem, obedientiam, & ad offerendum Deo hoſtiam laudis: illis benè præcatus ſalutationibus Epiſtolam claudit.* 667

INDEX

IN EPIST. B. JACOBI.

Cap. I. *Conſolatur eos adversùs tentationes præmia proponens, docet in quo ſita ſit vera religio.* 685

Cap. II. *Damnatâ perſonarum acceptione pauperes à Deo electos oſtendit, & legem eſſe ſervandam, & fidem abſque operibus eſſe mortuam.* 702

Cap. III. *Linguæ commoda & incommoda aperit.* 717

Cap. IV. *Concupiſcentiam cauſam eſſe diſſentionum oſtendit.* 727

Cap. V. *Avertit divites à divitiis congregandis. Hortatur ad patientiam: prohibet jurare: efficaciam orationis oſtendit.* 736

IN PRIMAM B. PETRI.

Cap. I. *Deo gratias agit qui nos ad æterna bona per Chriſtum vocaverit; incitat ad mutuam charitatem.* 751

Cap. II. *Ad Chriſtum vivum lapidem jubet accedere: ſanctè inter gentes converſari: principibus parere, injurias patienter ferre.* 766

Cap. III. *Sui officii viros & mulieres admonet: hortatur ad virtutum opera. Arcam Noë baptiſmi figuram fuiſſe docet.* 782

Cap. IV. *Ceſſandum à veteribus delictis & charitati ſtudendum. Non dolendum ob afflictiones pro Chriſto.* 796

Cap. V. *Præpoſitos inſtituit quomodo paſcere debeant gregem, hortatur ad humilitatem, ad vigilantiam: & gratiam Dei illis precatur.* 806

CAPITUM.

IN SECUNDAM B. PETRI.

CAP. I. *Precatur gratiam & pacem : admonet bonis operibus vacare, doctrinæ ſuæ memores eſſe, Prophetarum ſcriptis attendere.* 814
CAP. II. *Falſorum doctorum depingit ingenia & quæ eos manent ſupplicia.* 827
CAP. III. *Monet ut in adventu Domini ſe præparent : Pauli doctrinam eis commendat.* 840

IN PRIMAM B. JOANNIS.

CAP. I. *Dei verbum ab æterno fuiſſe, in tempore apparuiſſe, Deum lucem eſſe, neminem eſſe ſinè peccato.* 853
CAP. II. *Monet Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis, hortatur ad mutuam dilectionem, & docet fugiendos antichriſtos.* 860
CAP. III. *Docet qui ſint filii Dei & fraternam charitatem commendat.* 877
CAP. IV. *Quis ſpiritus ſit ex Deo & quis non ſit, docet, & Deum eſſe charitatem, & eum qui timet non eſſe perfectum.* 896
CAP. V. *Fide nos ex Deo gigni, vitam æternam eſſe in filio Dei.* 911

In Secundam B. Joannis. 927
In Tertiam B. Joannis. 933
In Epiſt. B. Judæ. 939

APPROBATIO

LEgi Librum cui titulus: *Commentaria in Omnes Beati Pauli Epiſtolas* &c. Auctore JOANNE BENCE, nihilque in eo reperi contra fidem aut bonos mores. Dabam Lovanii hâc 15. Julii 1762.

F. JACOBI S. T. L. Ap. Reg. L. C.

EXTRACTUM PRIVILEGII.

MARIA THERESIA DEI Gratiâ Regina Hungariæ, Bohemiæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis Librum, cui Titulus COMMENTARIA IN OMNES BEATI PAULI ET SEPTEM CATHOLICAS APOSTOLORUM EPISTOLAS, Auctore JOANNE BENCE *Doctore Sorbonico, ac Congregationis Oratorii* JESU CHRISTI *Presbytero.* Præter *Joannis Franciſci Van Overbeke*, Tipographi Lovanienſis voluntatem, intra novennium in Belgio ullo modo imprimat, aut alibi impreſſum in Inferioris Germaniæ Ditiones importet, venalemve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, aliâque gravi pœnâ mulctabitur, ùt latiùs patet in litteris datis Bruxellis die 3. Januarii 1763.

NOTA. *Het tweede Deel van den tweeden Toom, begint met Pagina* 529.

NOTA. La ſeconde Partie du deuxiéme Volume, commence Pag. 529.